BIBLIOTECA NAZIONALE
13
23 M
16

14

13.1.K.28

XIX G 12

Digitized by Google

DE CAMBIO
NVNDINALI
Tractatus Elaboratiſsimus

ANTONII MERENDÆ I.C. FOROLIVIENSIS,
In Regio, ac Inclyto Ticinenſi Gymnaſio Primi
Profeſſoris Iuris Ciuilis.

In quo ſtudioſiſſimè exponitur eius eſſentia; confutatiſq; accuratiſſimè recentium ſcriptorum defenſionibus, oſtenditur apertiſſimè prauitas vſuraria Cambiorum nundinalium à communi ſcriptorum Schola reprobatorum.

Excerptus ex Quarto Controuerſiarum eius Volumine Deo *dante mox edendo, per*
IVLIANVM MERENDAM I. C.
Authoris ex fratre nepotem, eorum gratia, qui diligenter, ac piè vacant explicationi caſuum conſcientiæ.

IN EODEM TRACTATV

Diligentiſſimè explicatur, an, & quatenus debeatur campſoribus compenſatio lucri ceſſantis: In qua diſputatione ea accuratiſſimè exponuntur, quibus non obſeruatis multi confundunt vſuram formalem cum intereſſe lucri ceſſantis.

Coronidis loco additæ fuerunt multæ diſputationes grauiſſimæ, & quotidianæ ſpectantes ad caſus conſcientiæ, diligentiſſimo ſtudio expoſitæ in Voluminibus Controuerſiarum eiuſdem Authoris, *quarum Indicem quarta pagina oſtendit.*

Poſt quem ſequitur Index doctrinarum notabilium.

Opus Profeſſoribus accuratis caſuum conſcientiæ valde neceſſariũ, nunc primum editũ.



PAPIÆ, Apud Ioannem Andream Magrium, M. DC. XLV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur.

Inquiſit. Papiæ;

Vidit Arias Maldonad. Reg. Sen.

IVLIANVS MERENDA

I.C. Foroliuienſis eruditis, ac pijs caſuum conſcientiæ Profeſſoribus ſalutem.

CVM Patruus, ac Dominus meus animaduertiſſet, magno vſui Vobis futuram eſſe ſuam de Cambio nundinali diſputationem, mandauit mihi, vt eam ex quarto ſuarum Controuerſiarum Volumine mox edendo, cuius pars eſt, excerptam ſeparatim edi curarem vna cum Controuerſijs ad eam ſpectantibus; Hoc autem cum alacriter, de more præſtitiſſem, cæpi mecum cogitare, multas in eius voluminibus extare controuerſias accuratè explicantes maximi momenti quæſtiones ad forum internum pertinentes; earumq; indice confecto Patruum meum ſic allocutus ſum; cum hæc magno vſui futura ſint diligentibus, & pijs explanatoribus dubitationum ſpectantium ad forum internum, iubes ne Domine, me haſce controuerſias eidem volumini annectere? Cum autem reſpondiſſet, quid hæc habent commune cum Cambio nundinali? tacuit, moxq; dixit, vincat vtilitas; quò autem earum vſus facilior ſit, ordine non interrupto inuicem coniungantur, quaſi quod eo conſilio exaratæ ſint, vt in eodem volumine contineantur; Inter ipſas autem ea exiſtunt capita, ad quæ frequentius lectorem relegat in hac diſputatione, ex quibus frequentiſſimè occurret caput 13. lib. 9, quod in hoc volumine eſt caput 4: Cum verò exemplar Controuerſiarum de Cambio nundinali mirum in modum perturbatum ſit, non nulla operarum errata grauia inciderunt ſenſum Authoris obſcurantia, quæ ſua indicabit pagina; benè itaq; erit, ea te corrigere antequam diſputationem huiuſmodi perſcrutari incipias. Indicem Controuerſiarum ex profeſſo in hoc Volumine expoſitarum quarta pagina tibi oſtendet, deinde ſequetur Index doctrinarum huius voluminis notabilium, à me valde diligenter conſcriptus, quò facilior ſit earum vſus. Dum autem animaduertes, noſtrum authorem in diſputatione de Cambio liberè redarguere errores defenſorum Cambij nundinalis, ne putes; Eum à ſuo diſceſſiſſe inſtituto abſtinendi omnino ab ijs dictis, quæ videntur lædere exiſtimationem Scriptorum, aduerſus quos diſputat: Ad hoc enim eum adegerunt aucupes probabilium opinionum; retibus namq; eorum frangendis anxiè ipſum incumbere, ingentes Campſorum diuitiæ admonuerunt. Vale, iterumq; vale docte, ac pie Lector.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
Controuerſiarum in Volumine de Cambio Nundinali expoſitarum.

ACTVS merè internos per ſe an poſſit lex humana vetare, vel imperare. affirmatiua defenditur largè. caput. 45.

Aduocati ineuntes pactum de quota litis, an ſint tuti in conſcientia. c. 26.

Bartholomæi à S. Fauſto doctrina de Cambio nundinali expenditur. c. 2. nu. 107. & ſeq.

ex Beneficiorum reditibus comparata an poſſint applicari ijs vſibus pijs. quibus poterant applicari ipſi reditus, & eorum precium. c. 21. nu. 5. cum ſeq.

Cambium in quo conueniat, ac diſcrepet à mutuo. c. 1. nu. 1. cum ſeqq.

— Ab emptione, & venditione. c. 1. nu. 18. cum ſeq.

Cambium eſſe propriam permutationem. c. 1. nu. 26. cum plurimis ſeq.

Cambij nundinalis definitio propoſita à Raphaele à Turri examinatur. c. 1. nu. 67. & 68.

in Cambio haberi rationem longitudinis termini aſſignati ad ſoluendum, an reſpiciat eius eſſentiam. c. 1. nu. 11. cum ſeq. nu. 25.

Cambium nundinale initum eo tempore, quo literæ non poſſunt peruenire ad nundinas proximas, an valeat. c. 1. nu. 13. cum ſeq. nu. 39. & 52.

Cambium ſoluendum in nundinis valde proximis loco, in quo contrahitur, an ſit admittendum. c. 1. nu. 16. & ſeq. & nu. 39.

Cambium an reddatur vſurarium ex eo, quod campſor ſuſpicatur, non eſſe ſecuturam ſolutionem pecuniæ in nundinis. c. 1. nu. 42. cum ſeq. vſq; ad nu. 64. nu. 91. 97.

Cambium pro pluribus nundinis initum an ſit [illegible] dum. c. 1. nu. 47. & ſeq.

Cambij con la ricorſa origo. & deprauatio. c. 2. nu. 74. & ſeq.

— Examinatur in c. 2. nu. 1. cum plurimis ſequentibus.

— An faciat fraudem conſtitutioni Pij V. c. 2. num. 53. cum ſeq.

— An ſit grauius fœnore, quod Gentiles velut improbum damnauerunt. c. 2. nu. 56. cum ſeq.

— Eius iuſtitia an ſit probabilis. c. 2. nu. 153. cũ ſeq.

— Eius abuſus quomodo inualuerit. c. 2. n. 154. c. 3. nu. 104. cum ſeq.

— Ipſius qualitates ſuis expreſſa coloribus. c. 3. nu. 102.

Cambiorum difficultates explicare difficillimum eſſe, ſcriptorum teſtimonijs oſtenditur. c. 3. nu. 112. cũ ſeq.

Campſoriam artem in nundinis exercere, an ſit adeo periculoſum, vt in ea habeat locum Oraculum Diuinum, qui amat periculum peribit in eo. c. 3. n. 125. cũ ſeq.

— An ſit ars ſcandaloſa. c. 3. nu. 145. cum ſeqq.

Campſores ineuntes Cambia nundinalia cum perſonis alienis ab arte campſoria, & mercatura, an ſint fœneratores. c. 1. nu. 95. cum ſeqq.

Campſorem dubitauiſſe, quod non eſſet ſoluenda pecunia in nundinis à campſario, ex quibus ducatur coniecturis. c. 1. nu. 86. cum ſeqq. c. 2. nu. 26.

Campſori in caſu moræ, vt liceat accipere pecuniam per cambium, conuentio examinatur. c. 3. nu. 5. cum ſeq. num. 19.

Campſoribus incumbentibus Cambijs nundinalibus an liceat tradere ſuas pecunias exercendas. c. 3. n. 34. cum ſeq.

Campſor an poſſit exigere à campſario, vt promittat pro eo, cui committet exigere in nundinis pecunias debitas ſibi ex contractu Cambij. c. 2. nu. 149. & ſeq.

Canonici an poſſint diuidere inter ſe quæſtum factum per laicos ex pecunia Capituli. c. 21.

Capitula Bononienſia an admittant Cambium nundinale, quod hodie eſt in vſu. c. 2. nu. 74. cum ſeqq.

Cauſidici ineuntes pacta de quota litis an ſint tuti in conſcientia. c. 26.

Cenſus annui contractus in quo ſuam habeat eſſentiam. c. 29.

— An poſſit conſtitui ſuper vſufructu. c. 42.

— Aut ſuper penſione Eccleſiaſtica. c. 42.

— Vel ſuper obligatione perſonali, aut re non redente tantum, quantum capit reditus cenſus. c. 29.

— Cenſus realis an poſſit ſic conſtitui vt intra certum tempus ipſo iure extinguatur. c. 30.

— Cenſus conſtitutus in diuiſione rerum communium, contractu dotis, vel iuſſu teſtatoris an ſubijciatur conſtitutioni Pij V. c. 36.

— An valeat pactum, vt in caſu moræ in ſoluendis prouentibus cenſus contracta, poſſit repeti eius precium. c. 37.

— Si conueniatur vt tradatur pignus aſcendens ad precium cenſus. c. 38.

— Ne ve debitor poſſit reſtituere eius precium intra annos, puta tres c. 41.

— [illegible] fuerit fundus creditori ex titulo conductionis vt per hoc ſibi ſatisfaciat c. 40. à n. 5.

— Diminutis fructibus fundi cenſiti quatenus diminui debeat eius reditus. c. 39.

— Iuramentum an reddat valida pacta cenſui adiecta reprobata à conſtitutione Pij V. c. 40.

— Reditus ãnui cẽſus precij iuſtitia vnde deducatur. c. 43.

— An aſcendere poſſit ad decem annua in ſingula centena precij ipſius. c. 43.

— Cenſus annui redditus in certa ſpecie monetæ ſolui, an conueniri poſſit. c. 25.

Continuationes Cambiorum examinantur. c. 3. num. 1. cum ſeqq.

— Cum duitibus ab arte campſoria, & mercatura alienis ſecutæ impugnantur. c. 3. nu. 20, & ſeq.

— Continuatio Cambij, ſuper qua emanauit tertia deciſio Congregationis tempore Vrbani VIII. examinatur. c. 3. num. 15. cum ſeqq.

Confeſſarij officium quale ſit, dum audit ſacras confeſſiones campſorum. c. 3. nu. 110. cum ſeqq.

— Scientiæ mediocris an poſſit abſoluere cãpſorem volentẽ perſeuerare in exercendis Cambijs nundinalibus poſtquam hanc diſputationem legerit. c. 3 n. 110. cum ſeqq. num. 42, & ſeq. num. 148. & ſeq.

— Bonæ mentis ſimplicitas inſtruitur. c. 3. num. 148. & ſeqq.

Contractus ratione periculi quando ſint omnino omittendi. c. 3. nu. 131. cum ſeq. nu. 142. & ſeq.

Digitized by Google

INDEX CONTROVERSIARVM.

Deciſio prima Congregationis tempore Vrbani VIII. edita expenditur. c. 2. nu. 79. cum ſeqq.
— Secunda deciſio eiuſdem expenditur. c. 2. n. 4. cũ ſeq.
— Quarta examinatur. c. 2. nu. 64. cum ſeq.
Defenſorum callidorum Cambij nundinalis fraudes exponuntur. c. 3. nu. 108. cum ſeq.
P. DIANÆ atteſtanti de probabilitate opinionis an ſit credendum, largè exponitur. c. 3. nu. 108. cum ſeqq.
— Doctrina de Cambio nundinali expenditur. c. 2. num. 105. cum ſeqq.
Eccleſiæ an habeant priuilegium, ne teneantur vltra vires hæreditarias, quando adeunt hæreditatem abſq; inuentario. c. 35. nu. 22. cum ſeqq.
Empta à piratis infidelibus in eorum regionibus, quæ noſtris rapuerunt, an poſſint vindicari ab ijs, quibus fuerũt rapta, ſi ad regiones fideliũ ea detulerint. c. 22.
Filiucij doctrina de Cambio nundinali examinatur c. 2. nu. 13. cum ſeq.
Emptori, cui fuit facta mora in traditione rei emptæ quatenus debeatur intereſſe. c. 16. nu. 18. cum ſeq.
Finis præcepti an cadat ſub præcepto. c. 20. & c. 45. nu. 36 & ſeq.
Fructus percepti ex re aliena, & bona fide conſumpti cur reſtituendi non ſint. c. 32.
— An hoc habeat locum, cum ex ipſis fuit factus locupletior. c. 33.
— Quid in fructibus naturalibus, & ciuilibus. c. 34.
Frumenti venditor, ſi fuerit longe melius, quam ſint frumenta ordinaria, quibus precium à Rep. conſtitutum eſt, an poſſit redigere ipſum ad qualitatem aliorum frumentorum admixtis ei alijs ſeminibus. c. 44.
Hæres vſurarij an teneatur reſtituere vſuras pro parte cohæredis non habentis, vnde eas reſtituat. c. 17.
Hæredes carentes beneficio inuentarij an teneantur in foro conſcientiæ ſatisfacere vltrà vires hæreditarias creditoribus, legatarijs, & fideicommiſſarijs. c. 35.
Hypotheca tacita an concedatur creditoribus ex cauſa vſurarum à ſe ſolutarum. c. 17. & 18.
— [illegible] bonis furis, aut alterius, qui damnum dedit. c. 18.
Intereſſe lucri ceſſantis an debeatur ijs, qui ineunt contractus reprobatos à legibus poſitiuis. c. 3. nu. 38. cum ſeq. num. 77.
— Contrahentibus cambia ficta. c. 3. nu. 37. cum ſeqq.
— Ei, qui mutuauit intuitu proprij commodi principaliter, c. 4. largiſſimè, & c. 3. nu. 46. cum ſeqq.
— Ab hærede ignaro debiti. c. 7.
— Remiſſiuè ipſius examinatur. c. 3. nu. 68. cum ſeqq.
— Ceſſauiſſe verè lucrum non autem apparenter, quomodo ſit inueſtigandum, diligenter expenditur. c. 5.
— Taxari an poſſit ab initio. c. 3. nu. 6. cum ſeqq.
— An coaceruari poſſit id, quod debetur pro intereſſe lucri ceſſantis cum debito principali, vt habeatur à creditore id, quod ſua intereſt ex vniuerſa ſumma. c. 3. nu. 80. & ſeq.
— Quid in campſoribus. c. 3. nu. 78. & ſeq. nu. 89. & ſeq. nu. 92. & ſeq.
Iuramentum præſtitum aduerſus bonos mores, quatenus ſit obligatorium. c. 19.
Lex ciuilis an poſſit impedire ortum naturalis obligationis. c. 18.
Maritus qua ratione poſſit poſtulare intereſſe ob moram ſibi factam in ſolutione dotis. c. 9.
— An habeat locum aduerſus omnes promiſſores dotis. c. 10. num. 2.
— An procedat fauore hæredum mariti. c. 10. nu. 3.
— Pactum ſuper hoc factum quid operetur. c. 10. nu. 4. & ſeqq.
— Quid ſi maritus conceſſerit dilationem ad ſoluendam dotem. c. 10. nu. 5. verſ. quartò dubitatur num. 6. & ſeq. vſq; ad nu. 15.
— Quid ſi ſolutio dotis fuerit commiſſa arbitrio mariti, vel alterius. c. 10. nu. 15. & ſeq.
— Si maritus ex alia cauſa contraxerit cum promiſſore dotis, eiq; tradiderit pignus ex cauſa dotis acceptum, cuius erunt fructus. c. 10. nu. 18. & ſeq.
— An hæc deciſio procedat in marito diuite. c. 10. n. 21.
— Quid ſi maritus ceſſerit alteri actionem ſuam. c. 11. nu. 1. & 2.
— Quid ſi ſecuta fuerit delegatio. c. 11. nu. 3.
— Hoc ius an alteri cedi poſſit. c. 11. nu. 4.
— Quid ſi maritus promiſerit alere vxorem. c. 11. nu. 5. & 6.
— Aut nouauerit actionem de dote. c. 11. nu. 7.
— Vel dos fuerit promiſſa vxori. c. 11. nu. 8. & ſeq.
— An hæc deciſio procedat in augmento dotis. c. 11. n. 11.
— Quid ſi maritus acceperit pro pignore rem alienam. c. 11. nu. 12.
— Quid ſi fuerint promiſſæ in dotem res non ferentes fructum. c. 12. nu. 1. & ſeq.
— Pendente tempore, quo diſpenſatio obtinetur à S. Pontifice, an interim debeatur intereſſe dotis non ſolutæ. c. 10. nu. 11. cum ſeq.
Mutuans pecuniam cũ promiſſione reſtituendi intra tres, vel quatuor menſes, data facultate accipiendi ſub Cambijs tantundem in eaſu moræ, an ſit vſurarius. c. 6. & c. 3. nu. 76.
Mutuum quatenus diſtinguatur à Cambio. c. 1. num. 1. cum ſeq.
— Æqualitas quomodo in eo conſeruetur. c. 1. nu. 37.
— Cur repudiet, plus reſtitui, quam fuerit datum. c. 2. nu. 68. cum ſeq.
— An poſſit intelligi tacitè contractum dum campſor ſibi ipſi ſoluit cambium ex proprijs pecunijs. c. 2. n. 45. & ſeqq.
Nundinarum Cambiorum vſus, & leges examinantur. c. 1. nu. 68. cum ſeqq.
Periculum quale eſſe debeat, vt ab eo debeamus abſtinere iuxta præceptum Diuinum, qui amat periculum peribit in eo. c. 3. nu. 140. cum ſeqq.
Permutationis eſſentia in quo conſiſtat. c. 1. n. 30. cũ ſeq.
Precium mercium venditarum, habita eius fide, quantum excedere poſſit precium earum, quæ venduntur præſenti pecunia. c. 23.
Procurator, qui ſoluit precium rei à ſe emptæ nomine domini ex proprio, an poſſit interim retinere eius fructus. c. 16. nu. 23. cum ſeq.
Profeſſores ſcientiarum, & artium liberalium quatenus peccent mortaliter diminutè laudando ſcienter eiuſdem ſcientiæ, vel artis profeſſorem, aut tacendo, dum audiunt alium eum laudantem, ſi putauerint, veram eſſe huiuſmodi laudem. c. 28.
Raphaelis à Turri defenſio Cambij nundinalis examinatur. c. 2. nu. 93. & 94.
Recambij praxis exponitur. c. 2. nu. 15. & 16.
— An requirat, quod campſor in primo Cambio putauerit, ſecuturam eſſe numerationem in nundinis. c. 2. nu. 18. cum ſeqq.
— Recambijs vt debitor moroſus ſubijciatur quæ debeant interuenire. c. 3. nu. 25. cum ſeqq.
Repeti in foro conſcientiæ an poſſit ſolutum indebite ex iuris errore. c. 27.

Salonis

INDEX CONTROVERSIARVM.

Salonis doctrina de cambio nundinali examinatur. c. 2. nu. 94. & ſeq.

Scutorum di Marche *vſus cur inuentus fuerit. c. 1. nu. 76. c. 2. nu. 13.*

Societates Officiorum Romanæ Curiæ vltra valorem officij diuerſo tempore contractæ quomodo ſuſtineantur. c. 8.

Societates initæ cum mercatore aſſecurante ſortem, certa conſtituta pecuniæ quantitate ſoluenda ſingulis annis ſocijs, examinantur. c. 3. nu. 33. & ſeq. c. 41. nu. 5, & ſeq.

Solutionum in nundinis cambiorum faciendarum modus, & tempus expenduntur. c. 1. nu. 81, & 82.

Solutiones cambiorum faciendæ in nundinis ex pecunia campſoris per eius inſtitorem, vel reſponſalem confutantur. c. 2. nu. 38. cum ſeq.

— *Nec non eæ ſolutiones, quas ipſimet campſores faciunt ex proprijs pecunijs. nu. 40. cum ſeqq. nu. 49. cum ſeq.*

Solutio cambij in nundinis an fieri poſſit ex creditis, quorum exactio commiſſa eſt ei, qui ſoluere debet cambium. c. 2. nu. 152.

Trullenchij doctrina de cambio nundinali examinatur. c. 2. nu. 131. cum ſeqq.

Venditori qua de cauſa debeatur intereſſe precij non ſoluti. cap. 15.

— *An opus ſit, eum ſibi reſeruare dominium. c. 15. nu. 8. cum ſeqq.*

— *Quid valeat pactum taxans intereſſe ſoluendum venditori. c. 15. nu. 24. cum ſeqq.*

— *An procedat, ſi venditor non ſatisfecerit promiſſis, in dando fideiuſſore euictionis, obtinenda ratihabitione, alia ve cautione promiſſa. c. 16. nu. 1. cum ſeqq.*

— *Quid ſi venditor conceſſerit dilationem ad ſoluendum precium. c. 16. nu. 10. cum ſeqq.*

— *Huius legis deciſio an poſſit allegari ab emptore, cui mora facta fuit in rei traditione. c. 16. n. 18. cũ ſeq.*

— *Aut ab eo, qui vendidit actionem, quam habebat ad conſequendam aliquam rem fructum ferentem. c. 16. nu. 21. cum ſeqq.*

— *Vel à filio, cui debetur legitima. c. 16. nu. 28. cũ ſeq.*

— *Si venditor acceperit precium abſq; reſeruatione petendi intereſſe, an ſibi præiudicauerit. c. 16. num. 31. cum ſeq.*

Venditio mercium habita fide de precio quatenus excedere poſſit in precio venditiones, quæ fiunt præſenti pecunia. c. 23.

Viduæ an debeatur intereſſe ob moram ſibi factam in reſtitutione dotis, ſi non probauerit eius requiſita. c. 13.

— *Statutum mandans ſolui aliquid annuum ab hæredibus viri moroſis in ſolutione dotis, quid operetur. c. 14. nu. 4. cum ſeq.*

— *Augmentum dotale, ſeu donatio propter nuptias, an pari iure in propoſito vtatur cum dote. c. 14. num. 2. cum ſeqq.*

— *Teſtatoris præceptum mandantis hæredibus, vt ſoluant viduæ aliquid annuum donec reſtituerint dotem, quid valeat. c. 14. nu. 14, & 15.*

— *Viduæ, quæ transijt ad ſecunda vota, an hoc intereſſe debeatur c. 14. nu. 14, & 15.*

Vini venditor an poſſit ipſum vendere precio à Rep. conſtituto, ſi tempore vindemiæ ei aquam miſcuerit, dumodo non ſit detertus alijs vinis, quæ venduntur huiuſmodi precio. c. 44.

Vſuras repugnare iuri naturali oſtenditur. c. 2. nu. 68. cum ſeqq.

Finis Indicis Controuerſiarum Voluminis de Cambio Nundinali.

INDEX
Doctrinarum notabilium pro foro interno Voluminis de Cambio Nundinali.

ACTVS Morales debent, ſuapte natura, ſic fieri, vt ſub ea virtute cadant, ad quam ſpectant. c. 26. nu. 8.
Æquitatis prætextus ſternit viam abuſibus in materijs vſurarijs. c. 2. nu. 115.
Cambium non differt formaliter à cæteris permutationibus. c. 1. nu. 10.
Cambium mutuum ſæpe habet admiſtam emptionem, & venditionem. c. 1. nu. 21.
Cambij materia eſt pecunia præſens, vel quæ habeatur pro præſenti. c. 1. nu. 11.
In Cambio de loco ad locum quid ſit principaliter conſiderandum c. 1. nu. 34. cum ſeq.
— Poteſt fieri ſine literis. c. 1. nu. 45.
Cambij nundinalis praxim multi expoſuerunt. c. 1. nu. 1.
— Exactio aſperime exercetur. c. 3. nu. 9.
— Defenſoribus opus eſt ingredi magnum dubitationum mare. c. 1. nu. 1.
— Sub eius ſpecie ſepe latet mutuum. c. 1. nu. 2. c. 2. nu. 72. c. 3. nu. 28, 34, & 135.
— Eo grauius eſſe ſolet, quò longior eſt dies nundinarum. c. 1. nu. 12. in fine.
— In eo cur vtantur ſcutis imaginarijs c. 1. nu. 23.
— Multa habet recedentia à conſuetis negotiandi vſibus. c. 1. nu. 45.
— Eorum exactores liberantur ſcriptis, & tranſmiſſis literis recambijs ad camporem c. 2. nu. 34.
— Ei non nocet, literas redire inanes per accidens c. 1. nu. 45.
— Eius vſus multa [illegible]
— Habuit multos graues contradictores Genuæ. c. 2. num. 81.
— Eius abuſus remouere difficillimum eſt. c. 2. nu. 99.
— Facilè admittit falſitates. c. 3. nu. 9. in fine.
— Opiniones probabiles circa ipſum non ſunt deducendæ ex proprijs opinionibus Sigiſmundi Scacciæ. c. 1. nu. 64. c. 2. nu. 21. 24.
— Aut Raphaelis à Turri. c. 1. nu. 56, 63, 77, 85.
— Cambia vſuraria qui defenderunt ſcriptis, ac voce cognito eorum vitio, tenentur ſe retractare, c. 3. n. 151.
Campſores quomodo accipiant pecunias per cambia quando debitor non ſatisfacit literis cambij. c. 2. nu. 18. & 78.
— Cur introduxerint diſtinctionem Petri di Genoua, & Petri di Fera. c. 2. nu 42. & 43.
— Eorum ingenia ſunt acutiſſima in exercenda ſua arte. c. 1. nu. 1. c. 2. nu. 14. verſ. quia hac ratione, n. 26. in fine.
— Inuenta penetrare difficillimum eſt. c. 1. nu. 1.
— Suſpectos valde eſſe de vſuraria prauitate, recenſentur ſcriptorum teſtimonia c. 3. num. 112. cum ſeq. vſq; ad nu 124.
— Nota habent vitia cambij nundinalis. c. 2. nu. 122.
— Solent habere fidem de pecunia numeranda à campſario ſuæ vtilitatis cauſa. c. 1. nu. 12.
— Profitentur ſe cudere ſcutos di Marche in nundinis. c. 2. nu. 16.
— Exiſtimatio ipſorum periclitatur, dum quærunt inire cambia tempore inopportuno. c. 1. num. 12. in fine, & 40.
— Fraudibus eorum eſt occurrendum. c. 1. nu. 24.
— Non deferunt vt plurimum nummos ad nundinas cambiorum. c. 1. nu. 44.
— Non lucrantur ſequente ſolutione cambij in nundinis in pecunia numerata. c. 1. nu. 37, 60, & 70.
— Habentes curam exiſtimationis abſtinent à cambijs ſuſpectis. c. 1. nu. 89. c. 3. nu. 65.
— Pro contumelia accipiunt audire, quod indigeant fideiuſſore. c. 2. nu. 9.
— Cui commiſſa fuit exactio cambij realis poteſt liberare debitorem. c. 2. nu. 24.
— Malorum fraudes detegere, ſoli campſores valent. c. 2. nu. 53.
— Non potuerunt per ſuos abuſus adimere vim obligandi conſtitutioni Pij V. c. 2. nu. 145.
— Eis expedit mittere ſuos inſtitores ad nundinas, c. 2. nu. 54.
— Debent deſiſtere à cambio ſtatim, ac ſuſpicantur non eſſe ſecuturam ſolutionem cambij in nundinis. c. 3. nu. 4.
— An iuſtè exigant mercedem appellatam la prouiſione, c. 2. nu. 58.
— Eorum inſtitoribus, ac reſponſalibus non eſt facile credendū dū examinantur cambia ſuſpecta. c. 3 n. 32.
Campſarium non habere pecuniam in nundinis vnde colligatur, c. 1, nu. 40.
P. Candidi Domenicani authoritas magna in caſibus conſcientiæ. c. 1. [illegible]
Candidus de Lugbo ex Societate IESV Thologi celeberrimi elogium. c. 1. nu. 27, in fine.
in Caſibus conſcientiæ periculoſum eſt approbare opiniones proprias recentium ſcriptorum, earum fundamentis non perſcrutatis. c. 1. nu. 52. in fine.
— Pauci ſunt grandis doctrinæ. c. 3. nu. 111.
— Multi ſunt, qui conſultius feciſſent, ſi ſuas non edidiſſent lucubrationes. c. 3. nu. 125. verſ. nec his repugnat.
— Profitentes, ſe ſequi plerumq; ſententias benignas ſæpe proponunt doctrinas inconſideratè. c. 3. nu. 137.
Catholici debent diligenter cauere, ne admittant contractus ſuſpectos de fœnore. c. 2. nu. 62, & 65.
Ciuitates, & oppida qua ratione poſſint abſq; vlla fænoris ſuſpicione habere paratas pecunias, quibus ſubueniatur ciuibus habentibus idoneos fideiuſſores. c. 2. n. 66. 67.
Communis ſenſus plurimum valet in intelligendis occultis cogitationibus hominum. c. 22. nu. 7.
Confeſſarij non debent in ijs, quæ habent ſpeciem boni, facilè credere pœnitenti agenti de proprio commodo, ſed debent diligenter eius acta examinare. c. 26. nu. 4.
— Nec in ijs, quæ tendunt in damnum proximi quandò pœnitens poteſt ab alijs veritatem ſcire. c. 3. nu. 64. verſ. ne putes autem.
— Abſoluentes campſores dicentes, ſe exercere cambia ſecundum aliorum campſorum morem, omiſſa indagatione qualitatum Cambiorum, quæ ipſi exercent, grauiſſimè errant. c. 3. nu. 37.

ignor

Index doctrinarum notabilium.

— Ignorans vires campſoris exercenti Cambia nundinalia non poteſt ei concedere abſolutionē ſacramentalē, ſi voluerit in ipſis perſeuerare. c. 3. nu. 143.
— Quid ſi campſor ſit valdè dives, & velit in huiuſmodi arte perſeuerare. c. 3. nu. 144, & 148.
— Debent occurrere periculo, quod exerceantur Vſuræ ſub ſpecie Cambiorum. c. 3. nu. 149. & 150.
— Remouere debent pœnitentes ab ijs, quæ inducunt conſcientiæ remorſus. c. 3. n. 125.
— Quomodo ſe gerere debeat cum pœnitente, qui iniuit cōtractum valdè periculoſum. c. 3. nu. 134.
Confeſſioni partium non creditur in materia vetita. c. 3. num. 31.
Conſtitutio Pij V. de Cambijs habet locum in vtroq; foro. c. 1. nu. 64.
Conſuetudo non eſt allegand in materia vſuraria. c. 3. num. 103.
— Per eam introducta non ſunt extendenda ad alios caſus, quando non congruunt regulis iuris. c. 20. in fine.
Contractuum eſſentia pendet ex eorum proprio fine. c. 1. num. 43.
— Non poſſunt deducere in eſſe illi, qui nō intendunt principaliter id conſequi in quo conſiſtit finis huiuſmodi contractus. c. 1. nu. 61.
— Vitiātur ex praua mente contrahentium quando per hoc mutant ſpeciem. c. 2. nu. 131. & ſeq.
— Eorum iuſtitiam deducere ex lucro ceſſante eſt confundere ordinem docendi. c. 2. nu. 23.
— Materiæ defectus non poteſt ſuppleri à contrahentibus. c. 1. nu. 58.
— Iniuſti non excuſantur ex eo, quod eandem læſionem ſubituri erant, ſi contractus iuſtos feciſſent. c. 2. n. 25.
— Eò peiores ſunt, quò maiorem continent inæqualitatem. c. 2. nu. 60.
— Iuſti non poſſunt per ſe magis lædere, quam contractus iniuſti. c. 2. nu. 62, & 63.
— Suſpecti, ſi ſint in regione frequentati, quatenus ſint tolerandi. c. 2. nu. 147.
— Recedentes à regulis iuris non ſunt admittendi niſi magnam pariant vtilitatem. c. 2. nu. 45.
— Nulli ob defectum ſolemnitatum, an obligent in foro conſcientiæ. c. 18. nu. 7. & 10.
— Aduerſantes legibus, vel bonis moribus Ciuitatis nullā pariunt obligationem. c. 18 nu. 2, & ſeq.
— Contractus ineuntes debent eſſe inuicem conformes iuxta finem, propter quem contrahunt. c. 25. nu. 5.
— Vſurarij materia non poteſt deſeruire contractui iuſto niſi remoueatur ab ea vitium. c. 41. nu. 4, & ſeq.
Damni emergentis prætextus non ſuffragatur ei, qui potuit occurrere damno ex ſuo patrimonio. c. 3. nu. 23. & 24.
Deciſio Congregationis Cardinaliū tempore Gregorij XIII. in eo caſu verſatur, in quo reſponſalis campſoris ſoluit Cambium ex proprijs pecunijs, c. 2. nu. 39. verſ, in his autem.
pro Debitore acquirente pecuniam ſibi ſoluendam, creditorem fideiubere, rarò accidit. c. 10. nu. 10.
Dubium practicum vitiat conſcientiam. c. 2. nu. 20.
Dubius debet perquirere veritatem, cū eam poteſt inuenire, c. 1. nu. 92. c. 2. nu. 20.
Emptionis eſſentiæ an repugnet, quod emptor dubitet, rem non eſſe tradendam ſuo tempore. c. 1. num. 55. 110. & 111.
— An ſit eſſentiale, emptorem deſiderare principaliter rem emptam. c. 1. nu 53, & 54.
P. Franciſci de Nigris Genuenſis Capuccini laus, c. 2. nu. 66, in fine.
Fraus quando fiat legi. c. 2. nu. 53. & c. 20. nu. 3, & 4.
Hæreditas obligat ſuapte natura hæredem ad ſoluenda debita defuncti vltra vires hæreditarias. c. 35. num. 1, & 2.
Imprudentia in ſpectantibus ad ſalutem cum eorum detrimento continet peccatum mortale. c. 3. nu. 136.
Intereſſe lucri ceſſantis, vt ſoluatur, pactum initum attribuat ius petendi vltra id, quod ex regulis iuris ei petere liceret. c. 3. nu. 25, & 63.
— Vt debeatur, conſtare debet, ceſſare lucrum verè. c. 3. nu. 26, & 27.
— In eo multi largius procedunt, quam regulis iuris conueniat. c. 3. nu. 45.
— Sic debet accipi, ne ſub eius ſpecie exerceatur vſura. c. 3. nu. 74.
— Non debetur ei, qui ſuſpicatus fuit, non eſſe ſecuturam ſolutionem debiti tempore deſtinato. c. 3. nu. 74.
— Nec ei, qui fuit negligens in exigenda ſolutione. c. 3. nu. 75.
— Excluditur ceſſante mora. c. 7. nu. 2.
Iuramentum vnius nocere poteſt alteri indirectè. c. 19. num. 9.
Iuriſprudentiæ doctrina facilè deducunt in errorem Theologos non animaduertentes earum ſuppoſita. c. 2. nu. 116. in fine.
In legibus poſitiuis mens legiſlatoris præualet verbis. c. 20. nu. 2.
— Non inſpicitur, quod aliqui occaſione ipſarum ſint peccaturi, ſi modo in ſe ſint bonæ. c. 20. nu. 8.
— Ab ipſarum ſanctione non poteſt excludi caſus frequens, ſi verborum ſignificatio eum complectatur. c. 21. num. 7.
— Quando occurrunt periculo orienti ex abuſu eius, quod in ſe non eſt malum, non inſpicitur, quod aliqui exerceant ſincere id, quod prohibetur. c. 26. nu. 4.
— Imponuntur rebus non verbis. c. 44. nu. 4.
— Pœnalis quando dicatur, ne habeat locum ante condemnationem in foro conſcientiæ. c. 3. nu. 41.
— Pœnalis poteſt obligare in conſcientia ante declarationem. c. 45. nu. 6.
— Remedia ſalubria obligant in conſcientia. c. 2. n. 146. c. 26. nu. 1. propè finem.
— Occurrens periculis peccandi non fundatur in præſumptione, ſed in periculo. c. 3. nu. 42.
— Vetans aliquam conuentionem deſtruit omnes eius effectus. c. 3. nu. 44.
— Non ſunt ſic interpretandæ vt ipſis poſſit fieri fraus. c. 2. nu. 54.
— Extenſio de caſu ad caſum non admittitur, cum paritas rationis eſt dubia. c. 2. nu. 46.
— Modum operandi iuxta propriam ſingulorū diſpoſitionem imperare poſſunt. c. 45. nu. 34, & 36.
Montibus Pietatis tradentes ſuas pecunias quatenus alieni ſint à fœnore. c. 4. nu. 42. & 43.
in Moralibus diſputationibus inſpicitur veriſimile, non autem poſſibile. c. 1. nu. 13.
— Debemus conſiderare res ſecundum vſum hominum. c. 1. nu. 59.
Mutuum non poteſt contrahi fauore mutuantis principaliter. c. 2. num. 47.
— Fuit inuentum, vt gratis fiat. c. 2 nu. 70.
— Quomodo conſeruetur in eo æqualitas. c. 1. nu. 37.
Nummi propria virtus in quo conſiſtat. c. 1. nu. 20.
— Vendi quando poſſint. c. 1. nu. 19.
Obligatio ex perſona hæredis non mutat qualitatem. c. 7. num. 4.

Opinio

Index doctrinarum notabilium.

Opinio probabilis non eſt tuta, ſi pœnitens ſit dubius de eius veritate. c. 3. nu. 125.

— Non eſt conſtituenda ex ſimplici authoritate aliquorũ ſcriptorum recentium. c. 2. nu. 90.

— Atteſtantibus de probabilitate opinionis non eſt credendum, niſi examinauerint accurate fundamenta ſingularum opinionum. c. 2. nu. 90.

— Probabilis non redditur ex eo, quod ipſam ſequantur multi recentes ſcriptores, ſi in ea negligenter verſati fuerint. c. 4. nu. 45. in principio.

— De probabilitate opinionis non debent ſententiam ſuam dicere viri mediocris doctrinæ, quando verſamur in materia valdè periculoſa. c. 4. in fine.

— Probabilem opinionem eorum authoritas reddit, quibus conuenit Elogium Diuinum, ſeruus fidelis, & prudens. c. 45. nu. 42.

— Sequi non licet ei, qui cognoſcit, aliã eſſe probabiliorem. c. 45. nu. 43. & 44.

— Non poſſunt ſequi illi, qui valent examinare fundamenta ipſius, & ſententiæ ei aduerſantis. c. 45. nu. 39. 43. & 44.

Patiens debet eſſe tale actu, quale eſt agens potentia. c. 20. nu. 8.

in Periculis grauibus non eſt ſatis, ſe præparare quando agitur de ijs, quæ poſſunt omitti. c. 3. num. 131. cum ſeqq.

— In rebus periculoſis non eſt recedendum à ſenſu communi. c. 1. nu. 63.

in Permutatione quomodo conſeruetur æqualitas. c. 1. num. 37.

— Eſſentia in quo conſiſtat. c. 1. nu. 38.

— Eius materia quatenus differat à materia mutui. c. 1. nu. 107.

Pœna adiecta debitori moroſo in ſolutione debiti quando inducat vſuram. c. 4. nu. 34. 35. c. 37. nu. 9.

— Negligi ſolet à Magnis Tribunalibus, quatenus exceſſerit id, quod intereſt, moroſum fuiſſe debitorem. c. 37. num. 13.

Procurator retinere poteſt rem domini, quam habet apud ſe donec ſibi ſatisfecerit. c. 2. nu. 32.

Prohibitiones Eccleſiaſticæ ſuas habent cauſas, ex quibus pendent c. 20. nu. 5. in fine.

Raphael à Turri profitetur ſe ſequi genus ſcribendi valde periculoſum. c. 1. nu. 63.

Recambij praxis. c. 2. nu. 15.

— Finis quis ſit. c. 2. nu. 24.

— Non poteſt fieri ſi ſequatur ſolutio Cambij in pecunia numerata, vel æquo pollenter. c. 2. nu. 24.

— Religioſi tenentur inquirere ea, quæ pertinent ad obſeruantiam voti obedientiæ. c. 45. nu. 39.

— Religioſi, qui ſunt Magiſtri tenentur aperire ſuam ſententiam in controuerſijs verſantibus circa poteſtatem ſuorum Prælatorũ, ſi teneant opiniones ei fauentes. c. 45. nu. 45.

Scire quilibet tenetur ea, quæ ſpectant ad ſuum ſtatum, & res à ſe agendas. c. 45. nu. 39.

Solutiones Cambiorum, quæ fiunt in nundinis, abſq; pecunia fiunt. c. 1. nu. 83, nu. 69. in fine.

— Fiunt vt plurimum in loco initi Cambij. c. 12. nu. 28.

— Quæ in nundinis fit perficitur ſtatim, ac ſcripſerit, ſe ſibi ſoluiſſe. c. 2. nu. 15.

— Vera non eſt, cum ſoluens recuperat pecuniam ſolutam. c. 2. num 48.

— Ex pecunijs campſorum quomodo fuerint introductæ. c. 1. nu. 52.

Studiere culpa in foro conſcientiæ non eſt ſatis, vt quis poſſit cum alterius iactura locupletari. c. 27. nu 10.

Subditi tenentur cooperari fini legiſlatoris ſecundum modũ ſuarum virium. c. 20. nu. 7. & 8.

Trullenchius quomodo ſe gerat in examinandis quæſtionibus grauiſſimis c. 2. nu. 131. & ſeq. c. 3. nu. 56. & ſeq.

Veritatem ſibi cognitam debet quis detegere, cum ex ſuo ſilentio alteri imminet damnum. c 8 nu. 8.

Voluntas talis præſumitur qualem facta demonſtrant. c. 22. num. 8.

Vſuras detegunt in foro externo veriſimiles coniecturæ. c. 1. nu. 64. & 114.

Occaſiones earum ſunt reſecandæ. c. 2. nu. 45.

Vſurarius differt à iuſto negotiatore: quia vſurarius magis plerunq; deſiderat ſibi pecuniam non ſoluere apud debitorem, quam ſibi tradi; iuſtus autem negotiator cupit plerunq; ſibi pecuniam debitam ſolui ſuo tempore. c. 4. nu. 35.

— Eorum ſubtilitatibus eſt occurrendum. c. 1. nu. 17.

— Vſurarius eſt, qui ob dilationem conceſſam debitori ad ſuam ſibi reſtituendam pecuniam, vult aliquid ſibi dari vltra ſortem velut debitum, etiamſi aliàs ratione poſſet id iuſtè habere. c. 4. nu. 34. & 35.

Finis Indicis rerum notabilium Voluminis de Cambio Nundinali.

Errata grauiora ſic corrigas.

Capite 1. nu. 8. linea 15. eſtat legas *citat*.
C. 1. nu. 9. linea 12. aportet *oportet*
C. 1. nu. 12. linea 32. deleas ab aduerbio circa vſq; ad finem numeri.
C. 1. nu. 13. linea 9. totam lineam delebis, & ſequentem, & duo prima verba ſeq. lineæ.
C. 1. nu. 19. lin. 8. habentur *habetur*.
C. 1. nu. 20. lin. 2. menſum *menſura*
C. 1. nu. 30. lin. 8. quando *quandoq;*
C. 1. nu. 31. lin. 9. fatemur *fateamur*.
C. 1. nu. 31. lin. 15. expe. *expedire*
C. 1. nu. 35. lin. 5. poſt verbum æſtimatio addas hæc verba *quam ibi habet*.
C. 1. nu. 55. lin. 24. ad *id* & deleas adiectiuum hoc.
C. 1. nu. 58. lin. 8. infini niſi *infiniti*.
C. 1. nu. 62. lin. 28. cambiis *nundinis*.
C. 1. nu. 74. lin. vltima negotiationibus *negotiationis*.
C. 1. nu. 83. lin. 16. ante particulam in addas; Nec & deleas particulam non.
C. 1. nu. 94. lin. 6. facile per id feciſſet. *facile id feciſſet per*
C. 1. nu. 88. lin. 23. peperunt *pepererunt*
C. 1. nu. 112. lin. 1. ſuus inſtitores eſſet vſurum. legas *ſuos inſtitores eſſe cuſuros*, & linea 5. emit *emunt*?
C. 1. nu. 118. lin. 29. *ſit difficile ſi* *ſi difficile ſit*,
C. 1. nu. 119. lin. 27. poſt nomen exiſtimationi addas *eius, qui*
C. 2. nu. 9. linea penult. deleas pro eo, & ponas *apud eum*.
C. 2. nu. 15. linea 6 eum *cum* lin. 10. deleas verba apud habentur.
C. 2. nu. 37. lin. 5. exiſtimaretur. *exiſtimantur*.
C. 2. nu. 49. lin. 16. ſi quod *quod ſi*
C. 2. nu. 64. lin. 10. ea *ei*
C. 2. nu. 93. lin. 39. eadum *eadem*.
C. 2. nu. 97. lin. 35. deleas particulam ſic.
C. 2. nu. 100. lin. vltima eligendum *eligendam*
C. 2. nu. 110. lin. 1. recen et *recenſet*
C. 2. nu. 123. lin. penult. ſoluutur *ſoluantur*.
C. 2. nu 153. lin. 19. adereunt & circunſtantiæ, quæ oſtendant *aderunt et circunſtantiæ, quæ oſtendant id*. & linea 24. propugnat *prorſus*, & linea 28. deleas verbum negari, & addas in linea ſequenti *negari* poſt verbum poteſt
C. 3. nu. 25. deleas integras quatuor primas lineas, non *faciam*; in quinta linea loco eius ſcribendo *Nunc*.
C. 3. nu. 70. lineæ 50. ei addas *mutuis*, & deleas in fine lineæ ſequentis.
C. 3. nu. 77. lin. 37. inquam *pecuniam*
C. 3. nu. 81. lin. 12. poſt nomen crediti addas *non poſſe peti ob damni compenſationem*;
C. 3. nu. 84. lin. 1. ego *ago*
C. 3. nu. 85. lin. 2. qua *quia*
C. 3. nu. 94. lin. 2. ante nomen lucri addas *prætextus*, & deleas poſt verbum ceſſantis.
C. 3. nu. 95. lin. 33. haberis *habenis*
C. 3. nu. 107. lin. 36. deleas aduerbium *haud*
C. 3. nu. 110. lin. 50. inconſideratio *obſcura*. & in linea 54. deleas omnia exceptis duabus poſtremis literis.
C. 3. nu. 117. lin. 41. ſupereſſent *ſuperent*.
C. 3. nu. 124. lin. 48. conſequenti is *conſequentijs*
C. 3. nu. 130 lin. 3. deleas quæ exercent.
C. 3. nu. 148. lin. vltima incertum *incertam* minorum *minorem*
C. 3. nu. 149. lin. 15. cum *cur*
C. 3. nu. 151. lin. 14. peperam *perperam*.
C. 4. nu. 41. lin. 30. deleas ipſius. venditorem *emptorem*;
C. 27. nu. 6. lin. 8. ſecum *ſecus*
C. 44. nu. 2. lin. 18. pretium *poſitiua* lineæ 20. eſt *pretium* linea 21. poſt verbum area addas *exiſtit*
C. 45. in titulo capitis linea 2. ea *eos* & nu. 7. linea 12. poſt particulam & addas *ius puniendi ea* & linea 13. quæ ſic ſunt *etiam ſi ſint*

Cambium in quo conueniat cum mutuo, & ab eo differat. Quatenus diſtinguatur ab emptione, & venditione. Eſſe verè, & propriè permutationē pecuniæ cum pecunia. Requirere pro fundamēto, vt firmè campſor credat, pecuniam numeratā iri ſuo tempore in loco deſtinatæ ſolutionis. Vnde colligatur, cum id non crediduſſe. Vſus nundinarum pro cambijs inſtitutarum expenditur cum ſuis legibus. Cap. I.

1 CAmbiorum, quę per litteras ad nundinas miſſas exercentur, latebras, & corruptelas detegere, neceſſarium omnino eſt; nimis enim multæ ſunt, & magnæ; Quod ſi mihi idonea ſupereſſet excuſatio apud DEVM, quod talentum mihi creditum non exercuerim in re adeo neceſſaria, libentiſſimè ab hac diſputatione abſtinuiſſem, cum me odioſum plurimis reddıtura ſit; Sic autem in hac re verſatus ſum, radices huius materię diligentiſſimè ſum perſcrutatus; receptas doctrinas aduerſus recentes ſcriptores ſic defendi, vt earum veritas, & aduerſariorum cauillationes adeo manifeſtè appareāt, vt intellectus eorū, qui quærunt ea, quæ Dei ſunt, minimè laboraturi ſint in aſſequenda veritate, etiam ſi mediocris doctrinæ viri ſint. Praxim autē horū cambiorū exponere ex profeſſo omiſi, cum multi ex recentibus ſcriptoribus ſic eam explanauerint, vt cuiq; obuia ſit, contentus recenſere ſuis locis eam praxim, ex qua pendent ſingulæ dubitationes: Illis qui ſincerè verſantur in hac materia intelligenda, hoc eſt, vt cambia damnent, quæ verè ſunt fœneratitia; ſatis vtiq; erit, earum doctrinarum veritatem aſſequi, quas in hac enucleaui diſputatione: Illis autem, qui ſuſceperint defenſionem cambiorum, quæ cum receptis Doctorum traditionibus, iuris ratione, & ſaluberima conſtitutione Pij V. pugnare oſtendi, ingens dubitationum mare nauigandum erit: Nam preter accuratum examen dubitationum, quas in hac expoſui diſputatione (quod arduum erit magnæ doctrinæ, ac mentis viris, cæteris autem impoſſibile) neceſſe ipſis erit, ſingula campſorum inuenta penetrare, quod eſt difficillimum ijs, qui artē campſoriam nō exercent; cum enim acutiſſima ſint campſorū ingenia in exercenda ſua arte, ex eo, quod videtur omnis fraudis expers, deducunt ſæpe mali campſores rationem exercendi turpiſſimas fraudes, quas impedire non poſſunt, poſteaquam id pro iuſto commercio admiſerunt, vnde fraudes ſuum deducūt robur: campſores enim optimi ſunt Dialectici in colligendis concluſionibus, ex præmiſſis deſcendētibus: Vt nō immeritò affirmare poſſimus, mediocris ſcientiæ viros, qui hac diſputatione noſtra cognita, perſeuerauerint in defendendis ijs cambijs, quæ cum receptis doctrinis manifeſtè oſtendimus eſſe vſuraria, ſuſpectos futuros eſſe doctis, ac cordatis viris, niſi editis ſuarum opinionum fundamentis, oſtenderint, ſe temerè hac in re non verſari.

2 Primò autē loco exponendum eſt, in quo conueniat cambium, ac diſcrepet à mutuo; facillimum enim eſſe, ſub ſpecie cambij contrahi mutuum, fatentur ſcriptores huius materię, & cum ipſis Raphael à Turri, qui luculēto comentario euulgato, cambiorum, quæ reprobamus, defenſionem ingenti ſubtilitate, coniuncta cum exactiſſima artis campſorię notitia edidit; cui accepto ferrè debeo, quod huius artis latebras denudare valuerim; eius.n. arcana, quę ſcriptores huius materię omiſerant, nobis reſerauit: Raphael inquam diſputat. 1. q. 7. nu. 14. & 29; licet contendat, hoc cambium à mutuo magis quam à cæteris contractibus diſcrepare, quod manifeſtam repugnantiam continet, cum difficilis ſit tranſitus in non habentibus ſimbolum. Cambium poteſt fieri pecuniæ præſentis cum præſente, præſentis cum abſente, abſentis cum præſente: Mutuum pariter poteſt cōtrahi pecuniæ præſentis cum præſente; cum ſcilicet is, qui præſentem pecuniam habet, qua tamen non vult, vel non poteſt, aliqua ex cauſa, tunc vti, conuenit cum Caio, vt ſibi mutuet centū aureos, mox ei ex illa pecunia reſtituendos; remoto ſcilicet eo impedimento, propter quòd non poteſt, vel non vult tunc ea vti.

3 Mutuū autem fit pecuniæ præſentis cum abſente, cum quis mutuat puta in Vrbe, aureos Hiſpanos, Mediolani reſtituendos: hoc enim paſſim accidit inter homines eiuſdem regionis à patria abſentes, nec vllam pati poteſt hoc mutuum dubitationem, dum inde non oritur damnum mutuatario, nec datur mutuanti occaſiò vſuræ mentalis: Abſentem autem pecuniam cum præſenti mutuamus, cum quis adit eum, cui expedit traijcere pecuniā numeratam, quam eo loci habet, ad alium locum, eiq; ſignificat, ſe intra menſem habiturum eſſe paratos centum aureos iuſti ponderis, eo loci, quò ſuos ille deſiderat traijcere: eumq; rogat, vt ſibi mutuos det ſimiles aureos centum, quia curaturus eſt, vt eo loci numerentur centum aurei intra menſem: Si enim vtriq; id expedierit, & is, qui pecuniam præſentem habet, fidem præſtiterit alteri, contrahetur vtiq; mutuum iuſtiſſimè: hoc autē genus mutui eſt frequentiſſimum inter homines eiuſdē regionis abſentes à patria; licet autem hic caſus, re ipſa, non diſtet à priori, volui tamen ipſum diſtinguere, quia mihi res eſt cum ijs, qui nodum in ſcirpo quærunt.

4 Mutuum dare quidem debemus nihil inde ſperantes; cambia autem exerceri poſſunt lucri faciēdi cauſa: non poſſumus tamen deducere eſſentialē differentiā eorū ex eo, quod mutuans non accipiat plus, quam dederit; cambium autem poſſit lucrum afferre: quia mutuans poteſt ex liberalitate mera mutuatarij plus accipere, quam dederit, & ſæpiſſimè fiunt cambia abſq; lucro, prout ſunt ea, quæ dicuntur *di moneta per moneta*, in quibus tātum accipitur, quantū datur etiam inter eas regiones, in quibus nummi ſunt eiuſdem æſtimationis.

5 Raphael à Turri diſput. 1. queſt. 7. nu. 14. cum ſeqq. contendit, potiſſimam differentiam exiſtere inter cambium, & mutuum, quod mutuum ſic contrahitur, vt reſtituendo tantūdē in eodem genere monetæ, liberetur: e contra verò cambium, quod in nundinis ſoluendum eſt, ſecundum naturālē, eſt ſoluendū in ſcutis *di Marche*: *Nam cambium de quo agitur*, ait ipſe, *nullo modo conſiſtere poteſt, niſi, & quatenus veniat in obligatione pecunia diuerſi generis*, ab ea, quæ fuit numerata: Primò autē loco conſiderandum eſt, ex conſuetudine campſorum, & ſpecialibus decretis inductum fuiſſe, vt cambia nundinarū redigantur ad ſcutos *di Marche*,

quod adeo difficile eſt redigere ad rationem congruentem regulis iuſtitiæ, vt clarum ſit, vero magis cambio conuenire, ſolutiones fieri in monetis vſitatis in regione, vt largè oſtendi inferius n. 74. & ſeq.

6 Non poteſt ergo deduci propria differentia exiſtens inter cambium nundinarum, & mutuum pecuniæ numeratæ, ex eo, quod per accidens obſeruatur in huiuſmodi cambio, & laudabiliter mutaretur. Ex breuitate temporis, quo pecunia numeranda eſt, deducemus ne differentiam? nequaquam: etiam ſi enim ſæpe accidat, mutuatam pecuniam prius reſtitui, quam ſoluantur cambia de loco ad locum inita, frequentiſſimum tamen eſt, mutuatarium habere maiorem dilationem ad reſtituendam pecuniam à mutuam, quam vlli accidat ex cambijs iuſtis.

7 Neceſſe ergo eſt, differentiam deducere ex cauſa, ob quam hi contractus ineuntur: Cum verò in vtroq; id agatur, vt is, qui ad contractum prouocat, acquirat pecuniam alienam per obligationē tantundem dand (dico tantundem iuxta ſubiectā materiā) neceſſe eſt, confugere ad ſpecialem finē horum contractuum, vt vltimam eorum differentiam intelligamus, cum ab eo conſtituatur ipſorum ſpecies, vt oſtendi ſupra lib. 3. c. 1. num. 1. cum ſeqq.

8 Is, qui poſtulat pecuniam mutuam ab aliquo, confugit ad beneficentiam eius: cum enim citra grauem offenſionem boni Chriſtiani, non poſſit offerri aliquid vltra ſortem, ei à quo mutua pecunia poſtulatur, omnino neceſſe eſt, accepto ferre pecuniam huiuſmodi eius beneficentiæ, cum promiſſio reſtituendi eam, etiam ſi breuiſſimo interiecto tempore fieri debeat, non ſit ſatis ad mouendum eum, vt ſuam ipſi tradat pecuniam: Ergo finis proprius eius, qui pecuniam mutuam quærit, eſt acquirere per beneficium domini, pecuniam alienam cum obligatione reſtituend ei tantundē tempore conuento in eodem genere. E contra autem is, qui prouocat alium ad cambium, excitat eum ad contractū ſibi vtilem, comutando cā pecuniam, quam habet cum ea, quam ſibi ipſe daturus eſt iuxta modum, quo inſimul conuenient: differentia ergo vltima exiſtens inter cambium, & mutuum pecuniæ numeratæ, in hoc cōſiſtit, quod in mutuo apparet beneficentia mutuantis; in cambio autem contractus onerosi regulæ obſeruantur: Et per hoc excluditur illa oppoſitio, de qua Raphael a Turri diſput. 1. quæſt. 6. n. 8. & 9; quod ſcilicet cambia ineantur paſſim habita fide eius pecuniæ, quæ numeranda tunc eſſet iuxta regulas cambij, quia id accidit in illis caſibus, in quibus nulla exiſtit dubitatio, quin illico ſit ſecutura numeratio, quod in cæteris contractibus onerosis paſſim accidit: nec id tribuitur liberalitati, ſed prudentiæ, & rectæ negotiandi rationi, cum huiuſmodi pecunia, re ipſa, plerunq; non differat à pecunia numerata, quod ſatis eſt iuxta regulam l. 5. & ſeq. ff. de legibus: tribueretur autem liberalitati, quod quis ſuam pecuniam præſentem commutaret cum ea pecunia, quæ in loco deſtinatæ ſolutionis non adeſt, nec facilè adeſſe poteſt; quia non exiſtit proportio inter habere pecuniam, & habere poſſe eam; potentia enim quę facile non eſt peruentura ad actum, in hac materia parum æſtimatur; & proinde nō poteſt huiuſmodi potentia, per ſe, inducere eum ad dandam pecuniam, quam habet, pro ea, quæ per huiuſmodi potentiam eſt conflanda: ergo opus eſt, tunc cōfugere ad beneficentiam eius, vt ipſam obtineat; ergo id fit per mutuum, non autem per cambium: caueas ergo ab eodem Raphaele eadem diſput. 1. quæſt. 14. nu. 12. cum ſeqq. contrarium docente.

9 Exemplo rem declaro, Titius habet aureum præ manibus; cum autem animaduertat, eum nō eſſe opportunum minutis ſumptibus, quos mox facturus eſt, eū tradit cuidam ibi præſenti, vt ſibi minutos nummos tradat: ſi autem illos tradiderit iuxta aurei valorem, nemo vtiq; dixerit, hic interuenire mutuum, ſed eſſe merum cambium, quia ſcilicet dominus aurei non fuit eius mentis, vt beneficium ab eo acciperet, ſed vt permutaret nummos minutos cum aureo: E contra ponamus dominum aurei habere præ manibus ipſum, & aliquem alloqui dicendo, oportet, me erogare quinquaginta ſolidos; mihi moleſtum eſt, aureum hunc commutare in monetas minutas, tradas mihi quinquaginta ſolidos, quia eos mox tibi reſtituam: nemo vtiq; negauerit, hoc eſſe merum mutuum, quia opus fuit domino aurei, confugere ad beneficentiam illius, qui ſibi tradidit ſolidos quinquaginta.

10 Dices, cambiū hoc reiici à numero cambiorū à Raphaele a Turri diſput. 1. q. 6 verum reſponſio eſt parata, omnes ante eum id admiſiſſe, quorū multos eo loci ipſe recenſuit: & iure merito ſic cenſuerunt, quia hoc genus cambij eſt vetuſtiſſimum, orbi commune, & iuſtiſſimum; & proinde non debet excludi è numero cambiorum ex eo, quod non congruat cum natura cambij, quod ſoluitur in nundinis, quam ipſe exponit in eadem diſput. quæſt. 10. cum cambium nundinale ſit nouum inuentum inſuperabiles patiens difficultates, de quibus inferius largiſſime agitur nu. 143. cum ſeqq; ex natura enim eorum cambiorum, quorum iuſtitia certa eſt, debet deduci cognitio iuſtitiæ cambiorum dubiorum, non è contra.

11 Idem oſtendamus exemplo cambiorum, quę ineuntur de loco ad locum: Si Titius velit traijcere centum aureos ad Vrbem, eoſq; prę manibus habeat, aut ſit paratos, vt pro pręſentibus habeantur, adeatq; mercatorem, eum interpellando, vt velit ſcribere literas cambij huiuſmodi aureorum ſoluendorum tempore congruo Caio, accepta tamen ſolita mercede; quis negauerit, nullam adeſſe beneficentiæ vmbram ex parte mercatoris? E contra verò ponamus, eum non habere prę manibus aureos, nec habere rationem promptam eos conflandi, ſi adierit mercatorem, & ei ſignificauerit ſuum diſiderium traijciendi centum aureos ad Vrbem: Mercatore autem eum interrogante, vbinam ſit *la valuta*, & ipſe reſpondeat, ſe ſe ei ſoluturum eſſe nūmos intra quindecim dies, mercator autem dixerit, cambia contrahi in pecunia numerata, non ne opus eſt ei, ad beneficentiam ipſius confugere? quis ergo dixerit, hunc eſſe cōtractum ſimilem primo, in quo nulla eſt beneficentiæ vmbra? remota autem conſideratione cambij, merum remanet mutuum, ſi mercator eius diſiderio aſſenſus fuerit, quod vtiq; pendet ex beneficentia mutuantis: Euidenter ergo verū eſt

quod

quod differẽtia vltima inter mutuum pecuniæ numeratæ, & cãbiũ, hæc eſt, quod illud habet fundamentum in beneficentia, hoc verò meram continet negotiationem, vtrinq; per ſe, vtilem. adeas l. 1. in fine ff. mandati, l. 5 § nunc videndum ff. commod. l. 1. §. ſi veſtimenta ff. depoſ. Ex dictis colligitur ratio, cur ſanxerit Pius V. *curandum eſſe in terminis, vt ratio habeatur longinquitatis, & vicinitatis locorũ, in quibus ſolutio deſtinatur, ne dum longiores præfiguntur, quàm loca deſtinatę ſolutionis deſiderant, fœnerandi detur occaſio.* Hæc clauſula adeo clare damnat abſolute, iniri cambia pro pluribus nundinis, vt mirũ ſit, doctos viros ſecutos fuiſſe Nauarrum dicentem, huiuſmodi cãbia valere, ſi iuſto precio fiant; hoc eſt eo, quo fierent pro primis nundinis: Occaſio n. fœnerãdi non oritur ſolum ex eo, quod augeatur precium in his nundinis (praxis oſtendit, ea eſſe cæteris leuiora) ſed quia latet mutuum ſub ſpecie cambij, dum longior dilatio conceditur, quam diſtantia loci poſtulet: Vbi enim in loco deſtinatę ſolutionis, is, qui init cambium nõ habet ſic paratam pecuniam, vt poſſit ſequi ſolutio receptis literis cambij iuxta ſtylum ordinarium, tunc ipſe non habet eam pecuniam, quæ neceſſaria eſt, vt poſſit accipere pecuniam præſentem pro abſente abſq; beneficentia eius, qui eam numerat; & proinde tunc non eſt capax contractus cambij, quod expers eſt beneficientiæ: eum autem non habere pecuniam paratam illud oſtendit, quod voluit, ſibi concedi dilationem longiorem, quam longitudo loci, vbi ſolutio ſequi debet, deſideret iuxta vſitatum morem ſoluendi cambia: hoc eſt cum dilatione congrua poſt acceptationem literarum iuxta morem; & per hoc deſtruitur doctrina Duardi §. 1. quæſt. 28. nu. 2, quod non ſpectet ad eſſentiam cambij, vt tempus aſsignatum ſolutioni ſit conforme longitudini itineris: Item ex his intelligimus, cur non poteſt eſſe cambium verum, niſi mittantur literæ ad locum deſtinatæ ſolutionis, aut nuntius, vt declarauit idem Pius V. in d. conſtit.; quia tunc apparet, inter eos fuiſſe ſimulatam ſolutionis deſtinationem eo in loco, ſine qua cambium ſtare non poteſt: qua de re largè agit Iuſtinianus de cõt. cambiorum quæſt. 5.

12 Dices, imo hoc genus cambij ſemper ſupponere beneficentiam eius, qui antea numerat pecuniam, quam alter eam numerauerit: reſpondeo, eam quidem eſſe naturam contractuum vltro, citroq; obligantium, vt non antea quis teneatur adimplere ex parte ſua, quam alter adimpleat ex ſua, vt oſtendi ſupra lib. 18. c. 3. num. 17. cum ſeqq.; verum vſus commerciorum oſtendit, ſępiſſimè expedire, vt omiſſo hoc rigore, accipiatur pro facto id, quod ſic proximum eſt facto, vt moraliter certum dici poſſit: Hoc autem non fit ex liberalitate, ſed propria vtilitate ſuadente; vt nempe alliciantur homines ad ſecum ineundos contractus, & per hoc diſtinguitur à beneficentia, quæ conſtituit mutuum, cum exerceatur ob commodum alienum, non autem ſuum: non expedit enim præbere occaſionem alijs poſtulandi à ſe mutuas pecunias, cum ex mutuo nihil ſperari poſſit: Hoc autem præcipuè obſeruant ij, qui cambijs vacant; vt enim faciles ſint homines ad ſecum ineunda cambia, non ſunt rigidi obſeruatores regularum huius contractus, dumodo non adeant vllum periculum: quod ergo prius numerent pecuniam, quam fuerit ex altera parte numerata, non naſcitur ex beneficentia, ſed ex deſiderio alliciendi alios ad ſecum contrahendũ cambia, quæ ratio, cum habeat locum in cambijs, quæ ſunt ſoluenda in nundinis, merito dicimus, quod debeat idem in ipſis obſeruari, licet Raphael à Turri quæſt. 31. num. 12. cum ſeqq. contendat, hoc non eſſe obſeruandum in huiuſmodi cambijs; circa quod duo ſunt inſuper conſideranda, primò quod cambia eo meliori conditione plerunq; ineuntur, quo proximius eſt tempus nundinarum; quia verentur Campſores, ſuas pecunias otioſas apud ſe eſſe manſuras: & per hoc diminuitur exiſtimatio eorum, qui accipiunt pecunias per cambia tempore remoto à proximis nundinis, quia ſignificat, eos valde indigere pecunia numerata, nec habere eam paratam ſolutioni cambij ſuo tẽpore faciendæ; de priuatis eſt certum, de campſoribus autem ſæpe verum eſt.

13 Cum verò Pius V. ſanctioni, quam edidit circa cambia in nundinis ſoluenda, illico adijciat clauſulam curandum autem erit in terminis &c. manifeſtum eſt, eum id ſancire retento eodem themate; quia dictio autem continuat ſermonem antecedentem, cum ſit repetitiua præcedentium, iuxta com. doctrinam, de qua DD. allegati ab Auguſtino Barboſa dictione 47. nu. 4. cum ſeqq.: Cum dictis autem concordant ea, quæ ſcribunt authores allegati à Raphaele d. quæſt. 31. nu. 1. cũ ſeqq., ex dictis intelligimus, quid ſit cenſendũ de cambijs, quæ ineuntur pro nundinis adeo proximis loco initi cambij, vt facile eſſet, pecunias, quas ibi habet, trahere ad locum, vbi init contractum cambij; Si enim haberet in nundinis pecuniam numeratam, non confugeret ad cambium, cum ſit magis honorabile, proprias ad ſe trahere pecunias, quam ad cambia confugere: Manifeſtum ergo eſt, quod non habet tunc in nundinis vel locis proximis, paratam pecuniam; & proinde tunc temporis ea pecunia caret, qua opus eſt cambio, cum requiratur ex parte ineuntis ipſum pecunia præſens, vel quæ pro præſenti habeatur: quod ſi ſit ei magis damnoſum, inire huiuſmodi cambium, aut difficilius, quam curare, ſuam ad ſe mitti pecuniam, veluti quia campſor poſtulet fideiuſſorem, quis negauerit, eum verè tunc temporis caruiſſe pecunia in nundinis? Et ſi verò eam ſit habiturus tempore nundinarum, non eſt tamen pecunia ſolutioni ſic parata, vt pro preſenti habeatur; & proinde ei opus eſt, confugere ad mutuum, ſi vult vti pecunia aliena eo tempore, cum non habeat pecuniam, ineundo illi cambio aptã, quod beneficentia careat: His omnibus accedit, quod in his cambijs non poteſt haberi ratio longinquitatis, ac propinquitatis locorum, ad quæ tranſmittuntur literæ cambij, prout ſanxit Pius V.; quo non obſeruato neceſſe eſt, affirmare, cambienti magis gratum eſſe inire mutuum, quam cambium; hoc eſt, eum præſenti indigere pecunia, etiã ſi non habeat in nundinis pecuniam propriam, quæ per ſe, conueniat naturæ cambij tunc ineundi, cum requirat ex parte accipientis, pecuniam præſentem, vel quæ habeatur pro præſenti.

14. Dices, nullam in his cambijs ſupponi benefi-

Digitized by Google

centiam: reſpondeo, id accidere, quia id, quod vltra ſortem campſori ſoluitur, demit propriam laudem mutuantis, & introducit prauitatem vſurariam: dices rurſus, hæc cambia recepta eſſe, & proinde per ea euerti doctrinam ſupra propoſitã, quia ipſis aduerſatur: reſpondeo, doctrinam huiuſmodi ſumptam eſſe ex natura cambiorum orbi communium, & omnino iuſtorum; & proinde non poteſt recens hoc genus cambiorum introducere naturam cambij diuerſam à cambijs huiuſmodi, cum eorum cambiorum iuſtitia nimis vacillet, vt inferius tractatur lat.ſſimè num. *69.* cum plurimis ſequentibus.

15 Vt verò melius appareat veritas huius ratiocinationis, ponamus, Caium adire Titium, & ab eo poſtulare mutuos centum aureos, quos cum certo fœnore promittit ei ſoluere in proximis nundinis, quia ibi habebit rationem, conflandæ pecuniæ idoneam; Titius autem reſpondet, ſe paratum eſſe, ei mutuare centum huiuſmodi aureos: eoſq; numerat ſtatuta fœnoris quantitate, & conſcripta mutui apoca: accepta autem pecunia, Caius abit, quem Titius mox reuocat, eumq; ſic cõpellat, melius eſt, vt loco apocæ mutui, ſcribas literas cambij liberi in proximis nundinis ſoluendi, quod ſic conficiam, ne plus te grauet, quam contractus mutui facturus eſſet, cui Caius morem gerit, ſic conſcriptis literis cambij ad eum, qui ſuas pecunias habiturus eſt in nundinis, vt pro illis ſit ſoluendum id ſolum, quod pro mutuo ſoluiſſet; dicet ne quiſquam, hoc cambium eſſe admittendum? nemo vtiq; qui ſciat, Pium V. profiteri, ſe effeciſſe, ne ſub nomine cambij fœnus exerceatur, & eſſentialiter differre materiam conuentionum iuſtarum, & fœneratitiarum; & proinde fieri non poteſt, vt materia mutui fœneratitij ſit materia contractus iuſti, niſi fuerit dempta illa inæqualitas, quę vitioſam cõuentionem reddebat.

16 Ne verò acriter dictis aduerſeris, illud efficit, quod valde recens eſt vſus, paſſim ineundi cambia ſoluenda in nundinis valde proximis Ciuitati, vbi frequenter ſimilia contrahũtur cãbia: in rebus .n. nouis debet eſſe euidens vtilitas l. 4. de conſtit. principum: cum tamen hæc vicinitas nundinarũ tribuat fœneratoribus maximam commoditatem exercendi vſuram ſub nomine cambiorum, quæ longe minor eſt reſpectu nundinarum remotarum à loco contracti cambij.

17 Dicam clarius, ſubtilitates fœneratorum ſunt admirandæ, & proinde ipſis occurrendum eſt, iuxta com doctrinam, de qua ſupra lib. *16.* c. *6.* nu. *6*: dum nundinę cambiorum ſunt proximæ Ciuitati, vbi cambiorum vſus eſt frequens, poteſt facillimè quilibet fœnerator ire, vel mittere aliquem ad nundinas, quod difficile accidit, dum valde remotus eſt locus nundinarum: ad exercẽdas autem ſuas fraudes multũ fœneratoribus refert, per ſe, vel ſuum inſtitorem ſua contrahere, & diſſoluere cambia, vel per alium: cuius rei exemplum præbet praxis recens, vt ipſe met campſor ſibi ipſi ſoluat in nundinis, quæ eſt aperta ſimulatio, vt expoſui in capite ſequenti; & proinde euidens damnum eſt, nouam hanc formam cambiendi admittere, etiam ſi in ipſa, perrarò tamen, poſſimus reperire ea requiſita neceſſaria cambiorum, quæ expoſui: Si locus eſſet precibus apud eos, qui ſua, non quæ Dei ſunt, quærent, per miſericordiam Diuinam eos obſecrarem, vt ſequantur veſtigia Sanctiſſimi Pontificis Pij V. qui in ſua conſtitutione de cambijs; pietatis ac iuris ratione ſic iubente profitetur, munus ſuum eſſe, ſe conuertere *ad tollendas in cambijs, quantum cum Deo poßumus, occaſiones peccandi, fraudeſq; fœneratorum*: Noſtram autem opinionem clarè ſentiunt multi præſtantes Doctores, qui docent, cambia eſſe cõuentiones fœneratitias, remota conſideratione tranſportationis pecuniæ, quos recenſet Raphael à Turri diſp. 1. quæſt. 13. n. *119*: vix enim accidit, in nundinis valde proximis habere locum hanc conſiderationem: Expreſsè autem firmauerunt Bannes, Ledeſma, Corraduſq; in locis allegatis ab eodem Raphaele diſput. 1. quęſt. 23. num. 7: Næc te deterreant authores ibi allegati nu. 4, quia docent ſolum, cambium, per ſe, non eſſe vſurarium, quia ſit ſoluendum in nundinis, quarum locus proximus ſit, quod etiam ego fateor; non docent tamen, cambium eſſe validum, quando magis expediret cambienti, ad ſe trahere ſuas pecunias, ſi haberet eas in nundinis, quod eſt illud quod ego nego.

18 Expoſuimus hucuſq; quatenus diſtinguantur cambia, & mutuum pecuniæ numeratæ; de emptione, & venditione nunc tractemus, quatenus ſeparentur à cambijs: Putauerunt autem multi, de quibus Scaccia de cambijs §. 1. q. 4. nu. 21, Raphael à Turri diſput. 1. quæſt. 8. nu. 22. cambium continere emptionem, ac vendit. (repugnantibus tamen alijs de quibus Scaccia nu. *34*, & Raphael nu. 23. cum ſeqq.) Non datur vtiq; emptio, & venditio vbi non adeſt res, quæ venditur, & precium rei venditæ l. 1. ff. de contr. empt. l. 1. ff. de rer. permut., quod expoſui hoc libro c. 7. num. 24. cum ſeqq.; interuenire autem non poſſe rem, & precium in cambio, in quo vtrinq; dantur nummi, vt ſcias, conſidera, qualitates extrinſecas nummorum variari ob diuerſitatem locorum, vel perſonarum, qui ipſis vtuntur: Hæ autem qualitates ſunt in duplici differentia; aliæ enim ſunt communiter receptæ à populo; alię autem à quibuſdam: qualitates autem primi generis ſic augent, & diminuunt bonitatẽ nummorum, vt iuxta eas ſit determinanda eorum ęſtimatio: hacq; de cauſa paſſim experimur, pro diuerſitate regionũ nummos eoſdem æſtimari pluris, minoriſue; & pro iuſto ſuſcipi in commercijs valorem nummorum per conſenſum populi conſtitutum.

19 Eæ autem qualitates nummorum, quæ placent, vel diſplicent quibuſdam, non augent, vel diminuunt ęſtimationem ipſorum apud populum, ſed apud huiuſmodi perſonas, & proinde in determinanda æſtimatione horum nummorum, non reſpicitur opinio eorum, ſed populi: vbi autem agitur de nummis accipiendis, ac dandis duplex habentur conſideratio, primò reſpicitur opinio populi, ſecundò opinio dantis, & accipientis: Inſpicitur opinio populi, cum volumus vti nummis eo modo, quo vtitur populus; dum autem quis vult vti nũmis modo proprio, inſpicitur eius opinio in æſtimandis nummis: Exempli gratia, quis accipit nummos, vt eos expendat in vſus quotidianos, nõ poſſumus vtiq; æſtimare illos amplius, quam

quam patiatur vſus populi in expendendo huiuſmodi nummos, cum vtilitas ipſius pendeat ex vſu populi: E contra, quis vult conſeruare nummos, vel eos aliò deferre, vel mittere; tunc certè poteſt æſtimari nummus amplius, quam patiatur vſus populi, dum illi eſt vtilius, propter vſum deſtinatum, habere illos nummos, quam alios, qui iuxta vſum populi tantũdem valeant: Ex quo fonte deſcendit vſus vendendi nummos certi generis, & ponderis; hoc autem in caſu pecunia numerata eſt ex numero earum rerum, quæ venduntur, & pecunia, quæ pro ea traditur, eſt illius precium.

20 Quod melius confirmabo, nummus dicitur menſum omnium rerum precio æſtimabiliũ, quia aptus eſt determinare valorem cuiuſq; rei æſtimabilis certo precio, eo modo, quo menſuræ aptæ ſunt determinare quantitatem omnium rerum ſibi ſubiectarum: Vt ergo nummus conſideretur vti menſura cæterarum rerum, opus eſt, vt conſideretur ſecundum ſuam propriam virtutem: hoc eſt, quatenus eſt menſura omnium rerum precio æſtimabilium: Hanc autem virtutem habet, quatenus nummus eſt, non autem quatenus hic nummus eſt; quia omnes ſpecies nummorum cuſorum publica authoritate, per ſe ſunt aptæ pariter, rerum precio æſtimabilium determinare valorem; & proinde nummus, qui conſideratur ſecundum proprias qualitates, non conſideratur vti nummus abſolutè, hoc eſt vti menſura rerum precio æſtimabilium; ſed conſideratur ſecundum qualitates ſeparatas à virtute æſtimandi cæteras res; & conſequenter vti merx magis, quam vti menſura rerum precio æſtimabilium; in eo enim negotio prævalet conſideratio propriarum qualitatum nummi, conſiderationi, quod ſit menſura cæterarum rerum;

21 In cambio minuto hoc accidere ſæpe, non eſt dubium, cum ſæpe accidat, homines deſiderantes nummos certæ ſpeciei, vel qualitatis, numerare nummos alterius ſpeciei: hoc autem in caſu adeſſe verum contractum emptionis, & venditionis, non eſt dubitandum, quia nummi, qui poſtulãtur, ſunt res, quæ venduntur, cum conſiderentur ſecundum proprias qualitates; nummi autem, qui traduntur, ſunt precium aliorum nummorum: tunc enim prius conueniunt, quantum pro ſingulis nũmis ſit ab eo tradendum vltra eorum valorem ordinarium, eo modo, quo fit in venditione cæterarum rerum, ſicq; à populo hoc commercium appellatur; & proinde non eſt dubitandum de hoc: Cum verò res poſitæ in locis remotis, quando earum qualitates vtriq; notæ ſunt dubio procul, poſſint vendi, non eſt dubitandum, contractum huiuſmodi pari facilitate poſſe iniri ſuper pecunijs alibi exiſtentibus, etiam ſi precium earum ſit ſoluendum in loco initi contractus: In cambio ergo, quod fit de loco ad locum, poterit interuenire emptio ac venditio vera, ſi ſcilicet conuenerit, vt dentur nummi conſiderari ſecundũ proprias qualitates iuxta modum explicatum.

22 In cambijs autem, quæ ſunt ſoluenda in nundinis, hoc non poſſe contingere, illud oſtẽdit, quod huiuſmodi cambia ſunt ſoluenda in ſcutis *di Marche*, qui ſunt ſcuti imaginarij: contractus autem emptionis, ac venditionis requirit rem veram, vel quæ vera eſſe poſſit: dices, ſcutos cambiorum, re ipſa eſſe ſcutos aureos vocatos *delle cinque ſtampe*: reſpondeo, naturam venditionis eſſe, vt certa res vendatur, & tradatur, vt large oſtendi hoc lib. c. 7. n. 1. cum ſeqq., & proinde recedit à natura emptionis, & venditionis hoc cambium, cum in eo promittantur ſcuti *di Marche*, & ſoluantur ſcuti *delle cinque ſtampe*: Quod ſi replicaueris, re ipſa, non differre hoc ſcutos, dicam, id falſum eſſe, quia nummerus ſcutorum *di Marche* rariſſime reſpondet ſcutis *delle cinque ſtampe*: vere ergo diſcrepant, licet valde ſimiles ſint, & propter hoc vſ, receptũ fuiſſe, vt in ipſis ſoluantur in nundinis cambia cum additamento, vel diminutione in nundinis conſtituta; licet iuſtius eſſet, cambia contrahi in ipſiſmet aureis *delle cinque ſtampe*, de quo agitur infra num. 74.

23 Etiam ſi ergo contractus emptionis, & venditionis poſſet interuenire in cambijs ſoluendis in nundinis, ſi ſoluenda eſſent in ſcutis aureis *delle cinque ſtampe*, non tamen poteſt interuenire, dum ſolui debent in ſcutis *di Marche*: dices, in contractibus conſiderandum eſſe effectum magis, quam verba, & proinde exiſtimandum eſſe, non differre ſcutos *di Marche*, in propoſito, à dictis ſcutis aureis, cum in ipſis ſit facienda ſolutio: Hac in re, vbi largior præbetur malis campſoribus facultas fœnerandi, ais mi homo, rem conſiderari debere, non autem verba; vbi autem agitur de coarctanda facultate fœnerandi ſic verbis adhæres, vt te non moueat, verborum differentiam ſolam induci inter cambia reprobata à Pio V. & ea, quæ tu deffendis? Sed ad rem veniamus, tu verborum appellas differentiam, cambia ſolui debere in ſcutis *di Marche*, & ſcutis aureis *delle cinque ſtampe*, cum tamen diſcrepent, vt plurimum, in valore? Interroga campſores, cur conſtituant precium cambiorum in ſcuto imaginario, cum adſint ſcuti aurei, & nummi argentei vſitati, in quibus conſtitui poſſent, & intelliges, ſi modo veritatem dicere voluerint, quod non ſunt recuſaturi, cum eorum Aduocatum agas, ipſis non expedire, precium cambiorum conſtitui in nummis vſitatis, quia non poſſent augere, ac diminuere valorem monetæ, quæ appellatur *di cambij* prout ipſis expedire videtur.

24 Quod ſi diuerſitas non eſſet euidens inter ſcutos *di marche*, & ſcutos *delle cinque ſtampe*, non propterea liceret nobis, per interpretationes benignas introducere emptionis, ac venditionis contractum in cambijs nundinarum, cum per hoc largior reddi poſſit facultas fœnerandi: Malorum enim campſorum, pertinaces defenſores viri ſunt immenſæ ſubtilitatis, inſuperabili coniunctæ pertinaciæ, & potentię: Scriptum enim eſt, odia reſtringi, fauores conuenit ampliari c. odia de reg. iuris lib. 6. Et occurrendũ eſſe fraudibus malorum campſorum, monet nos Pius V. in ſua conſtitutione de cambijs, docentq; DD. com. de quibus ſupra lib. 16. c. 7. n. 6: Inſuper ea, quæ contra regulas iuris fuerunt introducta, adeo ſtrictè ſunt intelligenda, vt non poſſint trahi nec ad conſequentias quidem l. quod verò ff. de legibus: Cum ergo cambia ſoluẽda in nundinis, à iuris regulis apertè recedere, largè oſtẽderim inferius n. 69. cum multis ſequentibus, abſurdè vtiq; faciunt defen-

deſenſores horum cambiorum, dum adhibent interpretationes à regulis iuris recedentes, vt augeant cambiorum iura: piè verò, & ſecundum iuris rationem illi faciunt, qui recuſant recedere à ratione ſtricta iuris, vt coarctetur hoc genus cōmercij quantum fieri poteſt: Hæc autem ſemper anteoculos erunt pijs, ac doctis viris in diſputationibus, quas de hac materia habituri ſunt cum deſenſoribus cambiorū, cū iuris regulas paſſim offendere cogantur, vt ſuas ſuſtineant opiniones, quod ferri nullo modo poteſt, cū p hoc faciliora ſęnora reddantur: Cum verò illi Doctores, qui docuerunt, ad emptionem, & venditionem pertinere contractum cambij, non agant de cambio nundinali nominatim, non debent intelligi de ipſo, cū euidenter diſcrepet à cæteris cambijs in propoſito, ne dicamus, eos confundere ea, quæ debent ſeparari.

25 Ex opinione autem eorum, qui dicunt, cambiū eſſe contractum emptionis, & venditionis, colligas, eos ſentire, oportere, in cambijs obſeruare longinquitatem, & vicinitaté locorum, quo ad tempus ſolutionis: nam homines non ſolent vendere res ſuas, cum eas illico tradere non poſſunt, niſi indigeant tunc precio; nec emptores concedunt dilationem ad rem emptam tradendam, quando numerauerunt precium, niſi ob commoditatem venditoris, non valentis, tunc eam tradere, diminuto per hoc precio, cum hoc ſit ſignum clarum, venditorem non poſſe expectare tempus opportunum venditioni; quo caſu repræſentatio precij, quod ex natura contractus eſſet ſoluendum eo tempore, quo venditor tradit rem venditam ſecundum modum congruentem rebus poſitis in loco remoto, tacitum mutuum eſt, eo conſilio inductum, vt minori precio rem comparet: adeas D. Thom. 22. q. 78. artic. 2. ad 7, cuius doctrinam cæteri ſequuntur. Et proinde iuris ratio iubet nobis, damnare in cambijs numerationes pecuniarū factas ante tempus traditionis pecuniarum abſentium; hoc eſt antequam paratæ ſint ſolutioni: ſi enim poſſet illico eas tradere, non acciperet tempus longius, quā oporteat interuenire pro ſolutione facienda: Dices; hoc ſpatium indulgeri cambienti, quia campſor vult ſolutionem fieri tempore nundinarum, quod longius progreditur, quam eſſet neceſſarium expectare: à te autem quæram, an campſor vtilitatis ſuæ cauſæ expectet tempus nundinarum? non vtiq; negabis; ergo non vult accipere pecunias emptas, quas ei tradere paratus eſt vēditor ſuo tempore; hoc eſt accepto precio, etiam ſi id noceat cambienti, ea ſola de cauſa, quia ſibi vtilius eſt, eas ſolui nundinarum tempore: hoc autem recedit à regulis contractus; & proinde conuentio de ſoluendo tempore nundinarum, tunc offendit naturam eius contractus, cuius virtute fit; & proinde Pius V. rectiſſime eam damnauit etiā in cambijs ſoluendis in nundinis: ex eorum etiam ſententia probatur, cambia, ſuper quibus fiunt continuationes cambiorum, eſſe fœneratitia, plerunq; enim ſtatim ac redeunt ex nundinis literæ recambiorum, ſi parata niſi pecunia, volunt nouum inire cambium, non expectato, nec etiā duarum hebdomadarum tempore, vt per hoc viliori precio ab ipſo emant ſcutos *di Marche*; ex quibus fit nouum cambium: quò enim remotiores ſunt nundinę, eo viliori ęſtimantur precio *ſcuti di Marche* qui venduntur à debitore prioris cambij.

26 Cum itaq; cambium nundinale nō ſit mutuum, nec emptio, venditioq;, ſequitur, eſſe permutationem pecunię preſentis cum abſente; qui enim locationis, & conductionis contractum ad cambium traxerunt, id non dixerunt abſolute, ſed quò ad quid: quia nempe putauerunt, interuenire hunc contractum in cambijs pecunię preſentis cum abſente: eſſet enim error manifeſtus, id referre ad ſubſtantiam cambij, cum in eo interueniat tranſlatio dominij præſentis pecuniæ, quod diſcrepat à locatione, & conductione; quippe quæ ſolum vſum rei reſpiciunt; ita vt fructus rei cōductæ non acquirantur conductori, niſi eos perceperit, vt inteliges ex ſcriptis ſupra lib. 14. c. 8. n. 3. lib. 13. c. 48.

27 Permutationem autem propriè, & ſtr cte acceptam eſſe cambium, perpaucis exceptis, docuerunt ſcriptores huius materię, & proinde receptiſſima doctrina iure, ac merito appellabitur. Sic docuerunt, *Caietanus, Medina, Fabianus Tolens, Salon, Cauatius, Azorius, apud Scacciam de cambijs* §. 1. *q.* 4. *nu.* 18. *& præter eos Nauarrus in Manuali c.* 17 *nu.* 287. *Comitulus lib.* 3. *reſponſo* 15. *nu.* 6. *verſ. ſecunda ratio, Mantica de tacitis conuent lib.* 25. *tit.* 3. *num.* 27. *in fine, Rota apud eundem Manticam deciſ.* 283. *nu.* 5. *Mercatus de cambijs c.* 1 *Leſſius de iuſt lib.* 2. *c.* 23. *dub.* 4. *in clauſula ſed etiam ſi conſideremus, Syluester in verbo vſura* 4. *propeſinem, Io: de Turre Cremata* 14. *q.* 4. *c de hoc quoq; nu.* 9 *verſ. quia in hoc cambio, Pater Candidus, cuius authoritas magni facienda eſt in caſuū conſcientiæ materijs ob eius eximiā doctrinam pari coniunctam pietati p.* 1. *diſquiſit.* 20. *artic.* 1. *dub.* 1, *Valentia* 22. *diſput.* 5. *q.* 23. *puncto* 1, *Garzias de contract c.* 30 *poſt principium c.* 32. *nu.* 11. *cum ſeqq. Bannes de iuſt. & iure q.* 78. *artic.* 4. *tit. de cambio dub.* 2. *concluſ.* 1, *Philippus Faber. de reſtit diſp* 47 *nu.* 262, *Conradus de contr concluſ.* 99. *concluſ.* 1, *Becc. conſ.* 213. *nu.* 50. *vol* 2, *Pallauicinus de cambijs c.* 2, *Lupus de vſuris com.* 3. §. 2. *nu.* 53, *Gabr. conſ.* 13 *n.* 8. *lib.* 2, *Sperellus deciſ.* 40. *nu.* 31, *Ludouicus Lopez. de contr. lib.* 2. *c.* 1, *&* 5, *Barthol. d S Fauſto in ſpeculo confeſſorum p.* 1. *diſp.* 9. *queſt.* 1, *Iuſtin. de contin. cambiorum q* 2. *nu.* 12, *Genua de ſcriptura priuata tit. de literis cambijs nu.* 3. & 4. *Filuccius tract* 35. *p.* 2 *nu.* 34, *& ſeqq., Megalius in inſtruct confeſſar.* 22. *lib.* 2. *q.* 16, *in princip., Molfeſius part. ſecunda ſuæ ſummæ tract.* 12. *c.* 7. *de cambijs quæſito* 2, *quid eſt cambium ſiccum num.* 20, *Pater Io de Lugo, quem nuper S.R.E Cardinalem pronunciauit Vrbanus VIII. cum magno doctorum, & piorum virorum applauſu de iuſt. & iur. tom.* 2. *diſp* 28. *ſectione prima.*

28 Hi DD. agēdo de propria ſpecie cambij eā cōſtituerūt illā permutationem quę eſt propria ſpecies contractus, nō autem eam commutationem, quę reperitur in omnibus contractibus onerosis, & ideo cauendum eſt à Raphaele diſput. 1. queſt. 6. in fine, qui non nullos ex ipſis in huiuſmodi ſenſum trahere voluit, etiam ſi claré id ſcripſerint ſecundum allegatum ſenſum: malè etiam reſtrinxit eorum dicta ad cambium minutum, cum id clare ſcripſerint de eo cambio, ſub quo poſuerunt cambia nundinarum: Ne alleges autem contra hanc doctrinam eos, qui in ſpecialibus dubitationibus,

de cambijs

de cambijs egerint velut de emptione, & venditione, vt inde aliquod colligerent argumentum, quia proxima eſt permutatio emptioni, & venditioni, & proinde arg. valet ab emptione, & venditione ad permutationem l. 2. de rerum permut.; Huic ſententiæ ſe ſe opponit Raphael à Turr. diſp. 1. q. 6. nu. 8, quia permutatio requirit ad ſui eſſentiam interuentum rei, ſeu rerum l. 1. §. item emptio ff. de rer. permut. l. naturaliter §. 1. de præſcr. verbis. l. vltima C. de rer. permut. Bart. in l. ex placito nu. 1. C. de rer. per. cum tamen cambium nudo conſenſu perficiatur. Pro reſponſinne autem animaduertendum eſt, omnes contractus pro ſua abſoluta perfectione requirere, vt tradatur id, propter quod fuerunt initi, cum eius gratia contraxerint; ſed hoc non efficit, vt dicit poſſit, ad ſui ſubſtantiam eos requirere rei traditionem; ſed opus eſt, vt defectus rei impediat deduci in eſſe conuentionem huiuſmodi, vt patet ex l. 1. ff. de act. & oblig. & ex inſtit. quib. mod. obligat. re contrah. & de oblig. quę cõſenſu oriuntur, quod expoſui ſupra lib. 3. c. 1. nu. 6, & eſt doctrina certiſſima: non poſſumus ergo affirmare, permutationem requirere ad ſui eſſentiam interuentum rei, & multo minus rerum: quia cõſtat, eam parere obligationem ante traditionem, licet apud Romanos huiuſmodi obligatio non pareret actionẽ ex ſpeciali eorum conſuetudine; & hoc eſt id, quod docet d. §. item emptio, vt oſtendi ſupra lib. 18. c. 3. nu. 17. cum ſeqq.: textus verò in d. §. 1. l. naturalis clarè probat, oriri obligationem ciuilem ex permutatione, ſi alter ex parte ſua rem tradiderit: Lex autem poſtrema C. de rer. permut. non agit de permut. & alium habet ſenſum, quem ibi proponit gloſſa, & DD. ſequuntur: Bar. verò in d. l. ex placito nu. 1. ſic inquit, *permutatio eſt contractus innominatus, ideo ſolo conſenſu non perficitur, vt in l. iuris gentium in principio, & §. 1. ff. de pactis*: & proinde docet Bart. permutationem nudo conſenſu in eſſe deduci, quia contractus innominati ex ſolo cõſenſu acquirunt virtutem pariendi naturalem obligationem, vt explicant *DD. in d. l. iuris gentium in principio, adeas gloſſã in verbo facias verſ. quare dicas, Angelum nu. 3, Caſtr. nu. 1. verſ. tertiò dicit, nu. 6. verſ. dic ergo, Alex. ante nu. 1. & nu. 5, Iaſ. nu. 7. in principio. Iacobinum de S. Georgio in prima lectura nu. 9. & 10.*

29 Eidem ſententiæ ſe ſe oppoſuit Duardus de cambijs in prohemio quæſt. 10. nu. 25, ex eo motus, quod permutatio propria non verſatur circa pecuniam l. 1. ff. de rer. permut.: Verum animaduertendum eſt, quod eo loci dicitur, non adeſſe permutationem, quando interuenit precium rei; quod verum eſt, quia tunc eſt emptio, & venditio: non dicitur autẽ, ibi permutationem veram interuenire non poſſe circa pecunias; nec id dici poteſt ſine abſurditate: Si enim duo iter facturi ad diuerſas regiones, commutauerint ſuos aureos eiuſdem valoris, diuerſi tamen ſigni, quia vtriq; pariter id expedit, quis negauerit, hanc eſſe propriam permutationem pecuniæ cum pecunia? tunc autem dicitur in d. l. 1. ceſſare permutationem interueniente pecunia, cum interuenerit velut precium rei diſtractæ: Hoc verò non accidit in cambio, quando non habetur ratio qualitatum indiuidualium pecuniarum permutatarum, ſed conſiderantur ſimpliciter velut nummi à Principe recepti iuxta communem eorum valorem; cũ tunc non poſſit dici, ex huiuſmodi pecunijs has magis eſſe mercem, quam illas, cum vtrinq; conſiderentur, ſub eadem formalitate, hoc eſt, quatenus ſunt menſuræ cæterarum rerum: adeas ea, quæ ſcripſi ſupra nu. 22. cum ſeq.

30 Cum itaq; cambium nundinale pertineat ad contractum permutationis, vt aſſequamur eius eſſentiam, indagare oportet eſſentiam permutationis, per ſe conſideratæ: quam exponit I. C. in l. 1. ff. de contrah. empt.: *Olim non ita erat nummus, neq; aliud merx, aliud precium vocabatur: Sed vnuſquiſq; ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum, vtilibus inutilia permutabat: quoniam quando euenit, vt quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quoniam non ſemper nec facile concurrebat, vt cum tu haberes quod ego deſiderarem, inuicem haberem, quod tu accipere velles, electa eſt materia, cuius publica, ac perpetua æſtimatio difficultatibus permutationum æqualitate quantitatis ſubueniret:* Cum eſſentia contractum deducatur ex proprio eorum fine, vt oſtendi ſupra lib. 3. cõtrouerſia 1. nu. 1. cum ſeqq., ex hac doctrina intelligimus, permutationem tunc eſſe neceſſariam, cum non adeſt materia, quæ publica æſtimatione ſibi tributa, poſſit adimere eas difficultates, quas introducit, in commercio non interuenire materiam, quæ poſſit æſtimare aliam materiam, in huiuſmodi cõmercio interuenientem: Hoc autem accidit in cambijs, quæ fiunt pecuniæ præſentis cum abſente, ſiue ſoluenda ſit in nundinis, ſiue in alio loco, dummodo ad certam ſpeciem vel certa corpora nummorum non fuerit reſtricta permutatio, quia vtrinq; conſideratur pecunia ſecundũ ſuam virtutem naturalem, non autem ſecundum indiuiduales proprietates, vt oſtendi ſupra nu. 22. cum ſeqq.: Ex eo enim quod in nundinis cambia ſint ſoluenda in aureis *delle cinque ſtampe*, nõ propterea ſequitur, eos conſiderari ſecundum proprietates indiuiduales, cum plerunq; facile ſit, eos inuenire pro eo precio, quo in nundinis æſtimantur, quod impedit, eos conſiderari velut mercẽ, vt loco allegato oſtendi: quod ſi accideret, difficile eſſe, inuenire huiuſmodi aureos, vtiq; reuocaretur hæc lex nundinarũ veluti repugnans ſubſtantiæ cambij, vt intelliges ex ſcriptis infra n. 74: obſeruando id, quod vſitatum eſt in cambijs, quę contrahuntur in nundinis, & ſunt ſoluenda extra nundinas; in paucis enim locis obſeruatur rigor nundinarũ ſoluendi ea in aureis *delle cinque ſtampe*.

31 Cum itaq; nummi præſentes, abſenteſq; conſiderentur ſecundum ſuam naturam; hoc eſt prout ſunt menſura omnium rerum æſtimabilium, vtiq; ea deficit in hoc commercio materia, quæ poſſit alteram æſtimare, quia par in parem non habet imperium: quod ſi vlla eſſet imparitas, ſuperarent *ſcuti di Marche* monetã, quæ ſoluitur à campſore, cum argenteam numerare poſſit, vel aureã diminuti ponderis: neceſſe eſt ergo, vt fatemur, hic interuenire eas difficultates, quæ propriæ ſunt permutationum, cum deficiente determinatione publica, ad eam recurrendum ſit, quam quilibet conſtituit circa res ſuas: hoc autem eſt illud, quod reddit difficiles permutationes, cum quilibet res ſuas æſtimare ſoleat prout putat, ſibi magis expedire.

32 Di-

32 Dicam clatius, habeo in nundinis mille aureos Hiſpanos, adeo campſorem, & ab eo poſtulo, an velit mihi numerare hic mille aureos Hiſpanos, & ego curabo, vt ei numerentur mille nummi Hiſpani, quos habeo in nundinis; ipſe vtiq; non poteſt reſpondere, mille mei nummi, quos in arca habeo, ſunt maiotis æſtimationis, quam ſint tui mille nummi aurei, quos habes in nundinis; nam ſunt eiuſdem ſpeciei, & iuſti ponderis: neceſſe eſt ergo, vt dicat, mihi magis expedit, hic habere hus mille aureos, quam in nundinis: Cum verò non poſſit ex æſtimatione publica deduci argumentum, quod ei parem vtilitatem afferat, eos habere hic, & in nundinis, vtiq; neceſſe eſt, aliã inire viam perſuadendi ipſi, hanc contrahere permutationem, quæ eò difficilior eſt, quò magis credit, mea intereſſe, habere tunc hic eos aureos, quos in nundinis habeo: Hacq; de cauſa campſores, quãtum poſſunt, diſſimulant, ſe quærere, inire cambia ſoluenda in nundinis, aut alijs in locis, in quibus expedit ipſis, ſoluere pecunias, quas per cambia acquirere ſtudent: Tandem eò res redit, vt is, qui vult permutare ſuos nummos abſentes cũ præſentibus, conſentiat deſiderio eius, cum quo init permutationem; quod ſolet contingere eo grauiori modo, quo cambia tunc temporis ineuntur.

33 Hanc doctrinam inſinuat I. C. dum ait, quod difficile accidebat, res duorum in eo ſtatu eſſe, vt alter abundaret ea re, quã alter deſiderabat, & per hoc opus fuiſſe cudere nummum; nam humanæ naturæ cupiditas habendi, illico injciebat difficultatem, ſuggerendo, eum, qui ipſum compellabat ad permutationem, adeò deſiderare, eã perficere, vt ſit bona occaſio diſtrahendi rem ſuã cum magna vtilitate; creſcente enim cupiditate humana, adeo excreſcebant difficultates permutationum, vt genus humanum graues pateretur propter hoc incommoditates; quas tollere neceſſe erat, & propter hoc nummi cuſi fuerunt: Huius autem rei exemplum nobis ſuggerunt campſores, dum ineunt cambia cum perſonis alienis à mercatura, & arte campſoria, ea .n. pactis ſubijciunt duriſſimis.

34 Notanda autem ſunt inſuper illa verba, *vnuſquiſq; ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum, vtilibus inutilia permutabat*: non enim ſignificant, res permutatas, per ſe inutiles fuiſſe, ſed reſpectu eius, qui eas permutabat; Si .n. per ſe inutiles fuiſſent, non erat, cur vtrinq; quærerent acquirere id, quod nõ habebant; hinc autẽ ſatisfit graui dubitationi, quomodo iuſtum poſſit eſſe cambium pecuniarũ præſentium cum abſentibus, quando pecuniæ abſentes eo loci degunt, vbi ob penuriam pecuniæ numeratæ, pluris æſtimantur nummi illi, quam hic æſtimentur ij, quos pro ipſis accipit, licet ſint eiuſdem valoris per ſe: In permutatione enim res non conſiderantur per ſe, ſed prout ſunt vtiles, vel inutiles permutantibus: Dum ergo dominus pecuniæ abſentis nunc ea indiget, & non poteſt eam nunc habere ratione minus damnoſa, quam per cambium, vtiq; verum eſt, ei eſſe vtile inire cambium: non eſt autem conſiderandum, quod eo loci maioris æſtimationis ſint illi aurei, quam ſint ij, quos accipit, quia ipſis hic vti vult, non autem ibi: qua deliberatione ſtante, non ſunt conſiderandi illi aurei ſecundum augmentum æſtimationis, quàm ibi habeant, ſed iuxta deliberationem domini volentis eos trahere ad ſe: & conſequenter neceſſe eſt, conſiderare ſumptus, & pericula quibus obnoxius eſt; quò fit, vt tantò minoris valeant, quanti opus erit, erogare, vt liberetur ab ipſis: malè ergo Raphael diſput. 1. quæſt. 22. num. 5. cum ſeqq. redarguit Doctores, dum communiter docent, ſumptus, & pericula trahendi ad ſe pecuniam abſentem, in his cambijs conſiderari principaliter, cõtendens, eſſe principaliter cõſiderandã abundantiã, & penuriã pecuniæ in ijs locis exiſtentẽ, in quibus cambia ineuntur; quid .n. mihi refert, pecuniã Alexandriæ maioris æſtimationis eſſe, quã Venetijs, ſi ea vti volo nunc Venetijs? Illud autẽ eũ decepit, quod cõſiderauit ſtylũ campſorũ, qui id perpendere ſolent; verum nõ venit per ſe, ſed per accidens; ſi ſcilicet is, qui habet pecunias in loco, vbi ſunt maiotis æſtimationis, non putauerit ſibi expedire, eas commutare cum pecunia præſenti ijs conditionibus, quas inuenit: & proinde non eſt deducenda eſſentia cambij ex eo, quod venit per accidens.

35 Dicamus ergo cum magiſtris huius materiæ, pecunia abſens minoris æſtimationis eſt quò ad eum, qui vult commutare ipſam cum præſenti; cũ enim, per ſe, opus ſit, facere ſumptum in ea ad ſe trahenda, maior æſtimatio reſtricta eſt ad eos, qui pecunia huiuſmodi vti volunt eo loci; & conſequenter non eſt conſiderabilis reſpectu eius, qui eam ad alium locum trahere cõſtituit: & proinde ſecundum hunc ſtatum conſiderandi ſunt illi nummi; ſecundum quẽ omnino verũ eſt p ſe, eos minoris eſſe æſtimationis, quam ſint nummi præſentes: iuſtè ergo ille, qui dat minorem quantitatem nummorum hic, quam ibi accepturus eſt, cõtrahit, quia liberat eum à ſumptu, quem alias facturus eſſet, quod, etiam ſi faciat ſine ſumptu, non tamen tenetur ei gratis largiri fructum ſuæ induſtriæ: Quod verò ei plurimum expediat, habere eo loci huiuſmodi nummos, non venit ex ipſis nummis, ſed ex propria qualitate domini ipſorum, quæ non auget precium rerum, cum non veniat ex ipſis rebus, ſed principaliter deducatur ex propria qualitate perſonæ, quæ dominium ipſarum habet: Ex dictis autem intelliges, quomodo ſit intelligenda eorum doctrina, qui dicunt, ad ſuſtinendum cambiũ ſatis eſſe, quod campſor putauerit probabiliter, poſſe campſarium ab aliquo in nũdinis habere pecuniã neceſſariã ſolutioni cãbij: vt ſcilicet ratio habendi huiuſmodi pecuniam ſit conueniens naturæ permutationis; cum enim cambium ſit vera permutatio, neceſſe eſt, vt pecunia cambienda ſit congruens naturæ permutationis:

36 Quod autem dixit I. C. nummum fuiſſe inuentũ, vt occurreretur difficultatibus permutationũ; ne intelligas, nummum per ſe id facere, ſed per accidens, quatenus adſuturi ſint emptores earum rerum, quæ alias eſſent permutandæ: ſi enim defecerint emptores, opus erit confugere ad permutationem; & conſequenter opus erit, omiſſa æſtimatione publica, venire ad priuatam æſtimationem eius, cum quo deſideras contrahere permutationem: qui non tenetur tibi donare eam vtilitatem, quam ipſe, ob proprias qualitates capturus

pturus

Digitized by Google

ptiurus eſt ex re permutata vltra ſuam virtutem propriam, quam fragilem eſſe reſpectu vſus humani, ſatendum eſt, dum non inueniis emptorem, qui meliori conditione contrahat, etiam ſi ubi non defuerit tempus perquirendi meliorem conditionem.

37 Ex dictis intelligimus diuerſitatem modi, quo æqualitas conſeruatur in mutuo, ab eo, quo in permutatione inducitur: Cum enim is, qui mutuam pecuniam petit, ad beneficentiam mutuantis cõfugiat, debet conſiderare rem, quam accipit, abſolutè, cum eam non poſtulet, quaſi quod expediat mutuanti, ipſam ſibi tradere mutuam; ſed eam ſic petit, vt licet non deſideret mutuam tradere, tamen velit, beneficentiæ exercendæ cauſa, ipſam ſibi mutuam dare: Et proinde ex natura eius beneficentiæ, ex qua oritur mutuum, deduci debet modus conſeruandi ęqualitatem inter dantem, & accipientem mutuum: hoc verò ea mente exercetur, ne mutuans minus accipiat, quam dederit: & hoc eſt illud, quod dicitur in l. 2. §. mutui datio ff. de reb. cred. & ſi cert. pet. in mutuo tantundem reddi debere, & per hoc conſiſtere in ijs ſpeciebus rerum, quę functionem recipiunt in genere ſuo per ſolutionem, vt oſtendi ſupra lib. 11. c. 36.

38 Conſideremus nunc illa verba I. C. *vnuſquiſq; ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum, inutilibus vtilia permutabat:* quoniam totam eſſentiam permutationis exponunt: Non fuit ei ſatis, dicere *ſecundum neceſſitatem temporum*; ſed addidit rerum; vt nempe ſignificaret, non eſſe prouocandum aliquem ad permutationem ex eo ſolo, quod eo tẽpore indigeat ea re, quam acquirere ſtudet ab ipſo per ſuę rei permutationem; ſed debere conſiderare neceſſitatem rerum; hoc eſt, vt ſit talis ea res, quam permutare vult, vt non poſſit alia ratione meliori diſtrahi; quia nempe ex omnibus contractibus oneroſis nullus eſt, in quo difficilius conſeruetur æqualitas fauore prouocantis ad cõtractum ineundum, quam accidat permutationi rei non parui valoris; & proinde permutatio velut poſtremus modus diſtrahendi res ſuas per titulum oneroſum ab hominibus conſideratur, non quidem per ſe, ſed propter cupiditatem habendi, quę hominum mentes plerunq; occupat.

39. Hinc autem intelliges vitia eorum cambiorum, quæ ineuntur pro nundinis, quando ſic eſt proximus locus nundinarum, vt facile ſit accipienti per cambium pecunias ſoluendas in nundinis, eas ad ſe trahere, ſi tempore cõtracti cambij ipſas ibi haberet paratas: dum enim id facile eſt, id vtiq; accidit cum minori damno, quam fiat per cambiũ: ſtultitia ergo manifeſta eſſet, confugere ad cambium, ſi verè ibi haberet pecuniã numeratam, cũ poſſit honeſtius, & facilius ſuo ſatisfacere deſiderio, curando ſuas ad ſe deferri pecunias: & conſequenter hoc erit indicium manifeſtum, quod verè non habebat tunc temporis eo loci pecuniã; ſtultitiæ enim præſumptionem, & iactationem ſuarum rerũ, cum fieri poteſt, ſemper excludimus ad eas l. finali C. arbitr. tutelæ, & ea quæ ſcripſi ſupra lib. 17. c. 15. num. 6, lib. 23. c. 46. num. 34, & ſeq.

40 Idem accidit reſpectu eorum, qui ineunt cambia ijs diebus, qui ſunt valde remoti à die nundinarum: cum enim rariſſimè accidat, vtilius tunc cambium contrahi, quam fiat in diebus, qui ſunt proximi nundinis, illi, qui tunc accipiunt pecunias ſub cambijs, eo tempore prouocant campſorem ad cambium, in quo, certum eſt, longè damnoſius id ſibi futurum eſſe, quam accideret, expectando dies proximos nundinis: Cum verò id fiat non ſine diminutione exiſtimationis, ſignum eſt euidens, quod ſibi non extet ratio melior conſulendi ſuis rebus: ergo manifeſtiſſimum tunc erit, eum non habere pecuniam in nundinis paratam ſolutioni, ſi facile ſit, eam trahere ad locum initi cambij: quod ſi euentus omiſſæ ſolutionis coniungatur cum hac coniectura efficaciſſima, res erit explorata: Cum verò campſores diligentiſſimè obſeruent, vt ſuo tempore, hoc eſt prouidè ineant cambia, non eſt dubium, eum, qui tunc temporis quęrit pecunias ſub cambijs, ſuſpectum, vt leuiſſimè dicam, reddi campſori, quod non habeat pecuniam in nundinis iuxta regulam l. in obſcuris de regulis iuris.

41 Ex dictis patet, imperitè illos feciſſe, qui aſſignauerunt cambio velut genus proximum do, vt des, pro qua opinione largè pugnat Duardus quæſt. 10. nu. 26. cum ſeqq.: quia eſt genus conueniens omnibus contractibus, in quibus hinc inde aliquid datur; & proinde debemus deſcendere ad propriam cambij naturam, & iuxta ipſam decernendum eſt, quæ nam ſit eius ſpecies; quod ſi feceris, intelliges, eſſe permutationem ſtrictè ſumptam.

42 His ſic expoſitis, apparet euidenter vera doctrina illa receptiſſima, quæ habet, verum cambiũ habere pro ſuo fundamento, vt campſor putet, ſecuturam eſſe ſolutionem cambij in pecunia numerata in loco deſtinatæ ſolutionis, ita vt ſatis ſit ad reddendum cambium fœneratitium, campſorem ſuſpicari, debitorem cambij non eſſe numeraturum pecuniam verè vel per ęquipollens in loco deſtinatæ ſolutionis, quam clarè firmauerunt *Caetanus, Sotus, Syluester, Nauarrus, Gaſpar Rodericus, Garzias, Mercatus, Angles, Fabianus, Medina, Peguera, Bertazolus, Emanuel Sà, Palatius, Vega, quos recenſet, & ſequitur Io: de Salas de cambijs dubit. 14. vbi teſtatur, omnes Doctores ſic ſentire: Concordant Lupus de vſuris coment. 3. §. 2. n. 65, vbi bene confirmat, Io: de Turre cremata in c. nec hoc quoq; n. 9. verſ. cum ibi 14. q. 4, Philippus 3. in pragmatica, quam recenſet Rodericus de annuis red. lib. 3. q. 5. nu. 17 verſ. cambia ſicca, Sarmientus lib. 7. ſelect. c. 2. n. 7, Lopez de contract. lib. 2. c. 13. poſt principium in clauſula igitur, col. 3. verſ. deinde, col. 2. verſ. & de dãte, Romualdus Coli de cambijs c. 13, Laymanus in opere morali ſect. 4. c. 19. in fine, Graſſius lib. 1. decis. aurearum c. 109. num. 3, & 5, Trullenchius ſuper decalogo tom. 2. lib. 1. c. 22. n. 2, P. Candidus p. 1. diſp. 20. artic. 6. dubit. 1, & 4, artic. ſeq. dubit. 1. artic 11., dubit. 1., Bartholomęus à S. Fauſto in ſpeculo confeſſ. p. 1. diſp. 9. quæſt. 18, Megalius in inſtruct. confeſſ. 22. de cõtractibus lib. 2. c. 16. q. 2. nu. 8 q. 3. nu. 26, Homobonus p. 3. examinis Eccleſ. tract. 9. quæſt. 55. col. 2. Molina de contr. diſp. 404. nu. 6, vbi teſtatur, Doctores conuenire in hac doctrina, Valentia tom. 3. diſp. 5. quæſt. 23. puncto 3. col. 7. verſ. tertiò ſequuntur, Reginaldus lib. 25. nu. 443. verſ. quandò, Azorius tom. 3. lib. 10. de cambio c. 10. q. 3, & 4. & in fine capitis, c. ſeq. quæſt. 7.*

Digitized by Google

Hieronym. Lucenſis de cambijs §. ſequitur alius terminus nu. 43. vbi teſtatur, ſic Doctores ſentire, Rebellius lib. 11. quæſt. 6. n. 9. & 10. Michael Salon de iuſtit. & iure de cambijs q. 4. artic. 1. artic. 2. contr. 7. n. 3. verſ. ſequitur controuerſ. 9. n. 5. contr. 10. nu. 3. controuerſia 14. num. 19. Canatius de cambijs in prælудijs col. 11. verſ. verum quia tertium requiſitum, & tit. de alt. in principio, Bonaccina de contr. tit. de cambijs diſputat. vnica nu. 1. verſ. ſiccum, verſ. & ſi eſſe permittuntur, nu. 11. verſ. & ratio, Franciſcus Fabronus apud Amatum deciſ. Ferrar. 45. n. 58. vbi teſtatur, omnes vno ore in hoc concordare, Philippus Faber de reſtit. diſp. 47. c. 9. de cambio nu. 280. in fine, Duardus §. 1. quæſt. 12. nu. 8. & 9. vbi ſcribit, neceſſarium eſſe, vt campſor certus ſit, vel magnam habeat probabilitatem, quod debitor cambij habeat pecuniam, vel creditum in loco deſtinatæ ſolutionis; & ſi ſecus erit, non eſſe cambium verum, ſed mutuum, concordant ea, quæ ſcribit idem author q. 28. num 6 cum ſeq Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſp. 18. ſect. 7. num 78. vbi ſcribit, conuenire in hoc omnes, quod ſit cambium vſurarium, quando ſcit, cambium eſſe ſoluendum eo loci, vbi pecunia datur, & campſorem teneri perſcrutari, an debitor cambij habeat animum ſoluendi in loco deſtinatæ ſolutionis, ſi habeat fundamentum ſufficiens ad dubitandum de huiuſmodi intentione: hoc eſt, cũ adeſt ratio de hoc dubitandi. Molfeſius p. 2. ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. nu. 39. vbi ſcribit, opus eſſe, vt campſor probabiliter credat, tradẽdam eſſe pecuniam illi, cui mandatur ſolui.

43 Cum itaq; hi authores requirant in campſore opinionem probabilem, quod ſolutio realis cambij ſit ſecutura in nundinis, vtiq; non admittunt pro eius fundamento potentiam remotam, ideſt eam, quæ veriſimiliter non ſit habitura effectum; quia hoc non poteſt parere probabilem opinionem, quod ſolutio realis ſit ſecutura in loco deſtinatæ ſolutionis l. in obſcuris 115. de reg. iuris: Dum ergo multi ex eiſdem Doctoribus ſcribunt, ſatis eſſe, campſorem putare, campſarium habiturum eſſe per aliquam rationem honeſtam pecuniam neceſſariam ſolutioni cambij ſuo tempore faciendæ, intelligunt de ea opinione, quam campſor probabiliter poteſt habere; hoc eſt ex ea circunſtantia, quæ reddat campſario facilem rationem habendi in loco deſtinatæ ſolutionis huiuſmodi pecuniam: ſi enim intelligerent de potentia remota; vtiq; ſibi contradicerent, quia vt dixi, ex ea non poteſt oriri probabilis opinio moralis; cum in rebus moralibus inſpiciamus id, quod veriſimile eſt, eo omiſſo, quod eſt poſſibile quidem, verum rarò ad actum deducitur d. l. in obſcuris de reg. iuris, c. quia veriſimile de præſumpt. l. nam ad ea cum l. ſeq ff. de legibus.

44 Opus ergo erit, campſorem allegare eam circunſtantiam, quæ ſibi dedit occaſionem credendi, campſarium inuenturum eſſe in nundinis pecuniam neceſſariam pro ſolutione cambij, quando eius ſtatus erat talis, vt non poſſet probabiliter credi, habere, vel habiturum eſſe ſuo tempore in nundinis pecuniam propriam pro ſolutione cambij realiter facienda: Cum verò huiuſmodi circunſtantia conſiſtat in facto, erit à campſore probanda l. 2. ff. de probat. Illud autem habendum erit ante oculos, quod campſores non ſolent deferre pecuniam numeratã in nundinis; rarò enim id contingit; non erit ergo allegandum, ſe credidiſſe, hunc vel illum campſorem eſſe traditurum pecuniam campſario, niſi allegauerit rationem, cur crediderit, huiuſmodi campſores, præter cõſuetudinem aliorum, eſſe delaturos ad nundinas magnam pecuniarum quantitatem, & cur eã non dederint campſario in loco initi cambij, cum id commodè facere poſſint; Si autem dixerit, putauiſſe, Titium campſorem eſſe ſatisfacturum literis iuxta modũ vſitatum in nundinis inter campſores; ab eo quæram, cur ergo noluiſti literas cambij ad huiuſmodi campſorem mitti, ſi cambium contraxiſti intuitu eius ſolutionis, quam putabas, illum eſſe facturum? Hæc conſiderent attentè docti, ac pij viri, & inuenient in hac arte plurima recedentia à regulis iuris, & ſolitis negotiandi regulis, quæ multos non animaduertiſſe, vel diſſimulauiſſe, cambijs fœnoratitijs ianuam aperuit latiſſimam.

45 Hæc reſpexit Pius V. dum in ſua conſtitutione de cambijs, damnat velut ſicca illa cambia, in quibus nõ ſcribũtur litteræ cambij, & ſi ſcribuntur, non mittuntur; vel ſi mittuntur, ſic mittuntur, vt inanes redeant; quia non eſt quiſquam in nundinis, aut locis deſtinatæ ſolutionis, qui receptis literis, ſolutionem cambij curet: Cum enim non poſſit aſcribi vllum vitium cambio, ſi abſq; literis cambij bona fide res tractetur, puta per nuntium, vel quia vterq; ſuo tempore, exiturus eſt in loco deſtinatæ ſolutionis, Pius V. vtiq; non reſpexit ſubſtantiam cambij, ſed vſum huius negotiationis; tunc temporis enim omittebant ſcribere literas cambij in cambijs ſiccis, quia accipiens pecunias non habebat aliquem in loco deſtinatæ ſolutionis, ad quem eas mitteret: damnat ergo Pius V hoc cambium velut ſiccum, non propter omiſſam epiſtolam cambij præcisè; ſed quia omiſſio huiuſmodi ſignificat, quod campſor tempore initi contractus, putabat, eum non eſſe ſatisfacturum ſuo tempore literis cambij: idem argumentum viget reſpectu cambij, cuius literæ redierunt inanes, quia poteſt accidere, vt id euenerit per accidens: proptereaq; Pius V. reſpexit mentẽ campſoris, qui tempore initi contractus, putabat, euẽturum eſſe id, quod accidit, vt ſcilicet literæ cambij ſuam non eſſent ſortituræ ſolutionem: Conſidera inſuper illa verba, *nec quiſquam eſt, qui in nundinis, aut locis ſupradictis, huiuſmodi literis receptis, ſolutionem faciat*: ſi enim hæc verba retuleris ad id, quod præter intentionem contrahentium accidit, iniuſtè damnaretur hic contractus, cum accidere poſſit, vt in iuſtis cambijs id eueniat, contra intẽtionẽ ſcilicet contrahentium: eſt accipiendum ergo verbum illud eſt ſecundum ſuam proprietatem; hoc eſt ſecundum tempus præſens; quod nempe quò ad mentem partium, nullus eſt tempore initi contractus, qui facturus ſit ſolutionẽ cambij in loco deſtinatæ ſolutionis ſuo tẽpore; quod reddit cambium fœneratitium, cum verum cambium habeat pro fundamento, quod campſor putet, cambio ſatisfactum iri ſuo tempore in loco deſtinatæ ſolutionis.

46 Paradoxicum ergo, euidenterq; falſum eſt id, quod ſcripſit Raphael à Turri diſput. 1. quæſt. 14. nu. 12. cum pluribus ſeq.; ſatis nempe eſſe, quod campſor ſciat, poſſe accidere, vt cambiens habeat

aliquem,

Digitized by Google

aliquē, qui literis cambij ſatisfaciat ſuo tēpore, ēt ſi veriſimile ſit, huiuſmodi potentiam nō eſſe ſortituram ſuum effectum: imo cambium verum exiſtere poſſe, etiam ſi campſor putauerit, non eſſe ſatisfacturum debitorem cābio, ſuo tempore: Cū enim ſcriptores huius materiæ doceāt, opus eſſe, vt campſor putet, ſolutionem ſecuturam eſſe, vtiq; ſenſui communi repugnat, affirmate, ſatis eſſe, quod ſciat adeſſe potentiam, licet non ſit veriſimile, eam ſortituram eſſe ſuum effectum, quia nō poteſt campſor exiſtimare, re in abſtracto conſidetata, ſecuturam eſſe eam ſolutionem, quæ venire debet ab ea potentia, quæ non eſt peruentura ad actum iuxta id, quod veriſimile eſt, aut pleronq; accidit l. in obſcuris 115. de reg. iuris: euidenter autem id falſum eſſe, ex dictis colligitur, quæ repetere ſuperuacaneum vtiq; eſt.

47 Cum autem is, qui verum cambium inire vult, id in propoſito agat, vt pecunias præſentes permutet cum abſentibus, non poteſt conſiderari verus animus cambiendi in eo, qui ſuſpicatur, ne alter habeat eas pecunias, cum quibus ſuas præſentes vult permutare, quia omne agens agit propter finem: Hoc autem eſt illud, quod ſignificauit Pius V. in ſua conſtitutione, dum prohibuit cambia, quæ pro pluribus nundinis fiunt: ſi enim debitor cambij haberet paratam eam pecuniam, cum qua vult inire cambium, non perficeret cambium pro pluribus nundinis; & conſequenter ſic cambire, clarè ſignificat, eum non habere paratā eam pecuniam, quæ eſt pars materiæ huiuſmodi cambij, idq; optimè nouit campſor ſtatim ac ille vult cambiū perfici pro duabus, pluribus ue nundinis: Ergo campſor non habuit verè intentionem cambiendi, ſed mutuandi.

48 Cum verò Nauarrus putauiſſet, Pium reſpexiſſe augmentum precij, quo cambium initur, propter augmentum temporis ei conceſſi ad tradendam pecuniam, dixit, ceſsare hanc conſtitutionem, ſi cambium non fuerit factum per hoc grauius: qua in re apertè lapſus fuit, non modo quia hæc cambia ſolent eſse leuiora ijs, quę fiunt pro primis nūdinis; ſed multò magis, quia ſuppoſuit, in hoc genere cambij poſse inueniri ſubſtantiam veri cambij; quod tamen falſum eſt, cum per hoc pateat, & campſor apertè cognoſcat, deficere ei, cum quo contrahit cambium, neceſsariam materiam huiuſmodi cambij; quod efficit cambium fœneratitium, cum reale cambium omnino requirat firmam opinionem in campſore, quod in loco deſtinatæ ſolutionis ſit ſecutura numeratio pecuniæ iuxta dictam doctrinam receptiſſimam, quam ipſemet Nauarrus approbauit; quod cum patens ſit, deſtruere hoc cambium, valde quidem mirandum eſt, eum id non animaduertiſse, ſed multo magis mirari debemus, id effugiſse oculos ſequacium huius doctrinæ Nauarri, cum omnes dictam receptiſſimam ſequantur doctrinam.

49 Non animaduerterunt etiā, huic doctrinæ Nauarri repugnare ſanctionem Pij, dum mandat, in cambijs concedi dilationes iuxta diſtantiam loci, vbi ſequi debet numeratio; neq; enim vllo modo hoc poteſt obſeruari, dum pro duabus, vel tribus nundinis contrahitur cambium, & tamen nullus ex ipſis vllum circa hoc attulit verbum: Neq; verò dici poteſt, hoc non attingere ſubſtantiam cābij, quia vbi congruens ſpatium largè exceditur, eſt manifeſtum ſignum, quod deficit pecunia neceſsaria ad perficiendum contractum cambij.

50 Vt verò pateat, in examinando hoc cambio, negligentiam, bona venia dixerim, craſſiſſimam interuenisse, conſideremus eius praxim, & manifeſtè intelligemus, clarum mutuum eſse: Sic autem initur Titius, tradit mille ſcutos *di marche* per cambium Caio pro quatuor proximis nundinis Placentiæ, ita quod ſoluat duos aureos, puta pro ſingulis centum aureis quò ad ſingulas nundinas, ſi cambia in huiuſmodi nundinis peruenerint ad hanc ſummam; ſin minus, pro ea ſumma minori, ad quam peruenient cambia illarum nundinarum: conſidera quæſo formam cæterorum cambiorum, & eorum praxim, & inuenies, nihil habere commune cum cambio contracto pro pluribus nundinis: E contra conſidera formam contrahendi mutui pecuniarum deſtinatarum cambijs nundinarum, nec poteris aliam rationem inuenire, quæ non ſit valde remota ab vſu, diſcrepantem à forma contrahendi cambia pro pluribus nundinis: applica deinde ei finem accipientis mutuam pecuniam, & defectum pecuniæ mox numerandæ, ſed potentiam ad eam interim cōſtandam, & intelliges, nihil prorſus diſferre hoc cambium à mutuo, niſi nudo nomine.

51 Inſuper conſidera, opus eſſe, mittere literas cābij ad nundinas, ne ſiccum ſit, iuxta conſtitutionem Pij, & indubitatā apud ſcriptores huius materiæ doctrinā: Quæro ergo à te, an ſingulis nundinis mittendæ ſint literæ huius cambij? ſi negas, ergo admittis cambium, etiam ſi literæ non mittantur ad nundinas; tot enim cambia ſunt, quot nundinæ, cum ſingulis nundinis ſuum proprium precium hoc cambium habeat. Si autem dixeris, literas eſſe mittendas, quomodo poteris negare, eſſe actum ſimulatum, cum conuentum fuerit, ne cambiū ſoluatur tunc in nundinis? & conſequēter hoc eſt illud cābiū, in quo literæ redeunt inanes, quod damnauit Pius V. natura cambij ſic ſuadēte.

52 His addendum eſt, paſſim ſcriptores huius materiæ docere, cambium initum pro nundinis, regulariter quidem intelligi pro primis: verum ſecus eſſe, ſi non adſit tempus neceſſarium moraliter ad perueniendum ad locum nundinarum; hoc enim deficiente, dicunt, cambium eſſe intelligendum de ſequentibus nundinis: & ſi verò in praxi hoc difficillimè accidere poſſit, quia abſtinent cāpſores à contrahendis cambijs pro inſtantibus nundinis, quando dubium eſt, ne poſſint mittere ad eas commodè litteras cambiorum; attamen de hoc dicere volui, vt appareat, quam diligenter à ſcriptoribus executiātur doctrinæ aperientes ianuam vſuris: Is, qui accepit pecunias, aut eas habebat paratas in nundinis, aut non habebat. Si habebat, cur non mandauit ei, apud quem exiſtebant, vt ſi antea diſcederet, quam ſuam epiſtolam cambij accepiſſet, eas curaret ad ſe deferri, vel relinqueret apud alium, qui ſolutionem faceret eo diſcedente? Si dubium erat, ne epiſtola cambij perueniret poſt expedita negotia cambiorum, cur cambium iniuit? cur non mandauit alteri, vt pecuniam acciperet, ſi campſori expediebat, ſolui cambium in loco nundinarum, etiam ſi tranſactæ eſſent? cur accipiens pecunias per cambium non

animaduertit,ſibi magis expedire,ab vno vel pluribus amicis redeuntibus à nũdinis ſuas pecunias ad ſe deferri, quam inire cambium? Hæ ſunt difficultates hanc doctrinam oppugnantes, quarum nullam excitatam inueni: Ex his autem,quæ in hac, & antecedenti dubitatione propoſui, docti, ac cordati viri intelligent,quam periculoſum ſit in materijs caſuum conſcientiæ, approbare eas doctrinas, quas prius diligẽter nõ expenderint, prout paſſim fit hoc ſæculo,etiã ſi habeamus in materijs caſuũ cõſcientiæ multos ait magiſtros ſcripturientes, & largas nimis facile ſequentes ſentẽtias.

53 Non erit inutile, examinare, an doctrina, circa quam verſamur, ſit vera, retenta eorum doctrina, qui dicunt, cambium pertinere ad contractum emptionis,& venditionis; quod eſt affirmandum, cũ ij, quibus huiuſmodi opinio tribuitur expreſſe hanc doctrinam approbent: Idem ſuadere iuris rationem, nunc oſtendamus; contractuum eſſentia pendet ex fine, qui ipſorum proprius eſt, vt oſtendi ſupra lib. 3. c. 1. nu. 1. cũ ſeqq.: Cum itaq; finis ementis ſit, acquirere rem per eos nũmos, quos numerat, vel promittit venditori l. 1. ff. de contrah. emptione,ſequitur, eſſentiale eſſe emptioni,vt contractus ea mente ineatur,vt emptor per ſe, & principaliter deſideret rem, quam emit.

54 Secundò,emptor diſtinguitur à venditore,quia emptor id agit,vt acquirat rem; venditor autem acquirat pecuniam: Si itaq; emptor principaliter voluerit acquirere loco rei pecuniam per emptionem,peruertet finem proprium ipſius, & per hoc non poterit, ipſum in eſſe deducere, cum ex fine, ipſius eſſentia pendeat.

55 Tertiò conſidero, quod modus emendi, vt emptor numeret pecuniam venditori ante rem traditam, quando dubitat, ne habeat facultatem eam tradendi ſuo tempore, non legitur in iure, nec apud Doctores, abhorretq; ab auribus populi, quando agitur de eo, qui vere habuit animum emendi; ergo nõ eſt admittendus,non modo quia in rebus nouis euidens vtilitas eſſe debet l.4. de conſt. Principum; ſed etiam quia pietatis, iuriſq; ratio, & conſtitutio Pij V. nos monent, vt amputemus occaſiones exercendi vſuram ſub ſpecie cambiorum; fundamentum enim maiorũ fœnorum, quæ exercentur in cambijs,ex eo pẽdent, quod admittuntur ea cambia, in quibus campſor, nõ dicam dubitauit,ſed pro explorato habuit,non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis: Etiã ſi enim nemo mihi occurrat, qui reuocet in dubiũ hanc doctrinam præter Raphaelem, animaduerti tamen,ſcriptores, hanc doctrinam proponentes, ea minimè conſiderata, deinde admittere cambia,in quibus clarum eſt,ab eis inita fuiſſe,qui ſciebant,non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis: Confeſſarij autem, & conſiliarij campſorum ſi animaduerterint ad, in examinandis hoc eorum cambijs, facilè intelligent, vniuerſam artis campſoriæ hodie vſitatæ machinam ſubuerſam iri,ſi hoc fundamẽto ante oculos habito, de cambijs vſitatis iudicauerint. Hoc autem cũ cognouiſſet Raphael, in dubium hanc doctrinam reuocauit; qua in re ſe callidiſſimè geſſit occultando lectoribus, hanc doctrinam nullum ante eum habuiſſe contradictorem ex numero adeo ingenti ſcriptorum recẽtium de cambijs agentium: Raphael inquam diſput. 1. dicta quæſt. 14. num. 12. cum ſeqq.

56 Oſtendamus nunc,adeo fragilia eſſe ea fundamenta,quæ affert Raphael, vt manifeſtum ſit,id ei è calamo excidiſſe, quia videbat, ſe ſe non poſſe ſuſtinere cambia, quæ volebat defendere, ſalua manente hac doctrina: quam ab omnibus huius materiæ ſcriptoribus receptam fuiſſe, ideo diſſimulauit, vt ſuæ opinioni erroneæ facilius ſequaces compararet: Eius autem argumenta in hoc conſiſtunt, quod commercia ſunt iuris gentium; & proinde ait non eſſe adimendũ ius commercij illis, qui habent ipſum ſecundum regulas iuris gẽtium: verum hoc non ſpectat ad rem noſtram, quia non denegamus facultatem contrahendi cãbij per ſe, ſed propter defectum materiæ neceſſariæ ad ipſum ineundum: hoc eſt propter defectũ pecuniæ abſentis, cum qua præſens eſt permutãda, quæ debet eſſe parata ſolutioni, cum permutatio fiat earum rerum, quibus abundant permutantes, per ſe, vel comparatiuè ad eas res, quas acquirere volunt per contractum permutationis, vt oſtendi ſupra nu.31. cum ſeqq.

57 Secundò dicit Raphael, contrahentes non habere animum repugnantem perfectioni cambij, cum vterq; deſideret, paratam eſſe pecuniam ſuo tempore in loco deſtinatæ ſolutionis: Verum ſibi repugnat Raphael; cum enim cambia ineantur queſtus faciendi cauſa, non poteſt conſiderari in campſore animus, vt pecunia numeretur in nundinis, cum queſtus conſiſtat in recambio, vt ipſe ſcribit diſput. 1. q. 13. nu. 112: Adeo autem falſum eſt,animum campſoris eſſe, vt ſoluantur cambium in nundinis, vt clarum ſit apud omnes habentes huius artis notitiam, campſorem non eſſe initurum cambium cum eo, de quo dubitat, ne pecuniam ſit numeraturus in nundinis: quia ſcilicet,vix accidit,vt in nundinis, de quibus agimus, extet occaſio contrahendi vtiliter cambium cum numeratione pecuniæ: Hæcq; vera eſſe, res ipſa oſtendit, vt enim teſtatur Raphael loco allegato, ferè ſemper contingit in his cambijs, vt pecunia numeretur in loco initi cambij.

58 Secundò dico, partes non poſſe ſuplere defectũ materiæ neceſſariæ pro ineundo contractu §. conſtituitur inſtit. de vſufructu, licet poſſint,circa materiã,quam habent, introducere eum contractum, cuius capax eſt,ſub nomine illius cõtractus, quem introducere dicunt,cum hoc pendeat ex ſua volũtate l. 1. §. 1. ff. de pactis: & hoc modo ſe ſe habent infini niſi illi modi,quibus fœneratores vſurã palliatam exercent; & conſequenter hæc reſponſio egreditur clarè limites noſtræ dubitationis,quæ dependet,an adſit defectus materiæ neceſſariæ ad contrahendum cambium.

59 Tertiò dico,res morales eſſe expendendas moraliter, hoc eſt iuxta vſum hominum: & conſequenter debemus habere ante oculos regulam l. in obſcurris 115. ff. de reg. iuris; in obſcuris ſcilicet nos ſequi debere id, quod veriſimilius eſt, aut plerunq; accidit: Cum itaq; veriſimilius ſit,vtrũq; habere animum alienum ab eo, quod ipſis nocet; vtiq; in dubio debemus credere, campſorem non habuiſſe animum, vt pecunia numeraretur in nundinis, cum id ſibi eſſet damnoſum; & debitorem

cambij

cambij non habuiſſe animum numerandi pecuniã in nundinis, eum certò ſciret, ſe id efficere non poſſe: Plerunq; autem accidere, ne pecunia numeretur in nundinis, experientia docet, & ipſemet Raphael teſtatur.

60 Illud verò conſiderandũ eſt, quomodo Raphel auſus fuerit ſcribere. *Vnde cum creditor de quo agimus, nihil magis cupiat, & intendat, quam conſequi pactos ſcutos marcharum in feria:* vt enim ex eodem Raphaele dixi, lucrum creditoris conſiſtit in recambio, quod ſequi non poteſt, ſi conſequatur ſcutos *di marche* in nundinis: Verum audio eum dicentem, hoc eſt ignorare praxim cambiorum; ne autem ignorem eam eius effecit tractatus; & proinde, ſi eam optimè me callere profitebor, ſuum aperiam erga me beneficium: Solutio, quæ fit in nundinis per calamum, fit inſtitori, vel reſponſali (quæ enim fit ipſi campſori apertum figmentum eſt, vt ex ſequenti capite maniſeſtè intelligetur) qui ſe conſtituunt debitores ipſiuſmet campſoris: & proinde falſum eſt omnino, ſolui in nundinis campſori pactos ſcutos *di marche*, niſi interuenerit numeratio aureorum *delle cinque ſtampe*, quam adeo abhominantur campſores, vt à cambio omnino abſtérum ſint, ſi putauerint, eam eſſe ſecuturam: Oportet ergo hęc verba referre ad eos ſcutos *di marche*, quos ſe cudere iactant campſores, dum ſcribunt, ſe ſibimet ſoluiſſe cambia: quod ſi dixerit, ſe ſic intellexiſſe, fatebitur neceſſariò, ſe admittere (quod vtiq; inficiari non poteſt) campſores omnino deſiderare, vt ſolutio cambiorum in nundinis fiat per calamum; & conſequenter fatebitur, eos deſiderare, ne ſequatur numeratio pecuniæ in nundinis, quod deſtruit animum ineundi cambium, quia conſiſtit in deſiderio permutandi pecuniam, quã præ manibus habet, cum ea, quam in nundinis accepturus eſt.

61 Tertiò ait Raphael. *nunquam memini, me legiſſe, damnari aliquem contractum de vſura ex eo, quod alter ex contrahentibus ſciebat, promiſſorem non eſſe præſtiturum promiſſa, licet de iure debeat, & de facto poſſit; ſed de facto erat conſecuturus iuſtum intereſſe, quod loco adimplementi omni iure debetur:* Hæc doctrina examen deſiderat: primo enim loco difficile valde eſt, eam redigere ad limites doctrinæ Scoti communiter receptæ, vt oſtendi ſupra lib. 9. c. 13. num. 15; vſuram ſcilicet committi ab eo, qui magis deſiderat habere acceſſionem ſibi debitam ob moram debitoris, quam id, quod ſibi debetur: vix enim, imo ne vix quidẽ ſeparari poteſt hoc deſiderium ab eo, qui ſcit, vel ſuſpicatur, ne debitor ſuum ſibi ſoluat tempore conuento, & tamen cum eo contrahit ob ſpem compenſationis lucri ceſſantis: Secundò dico, diſtinguendas eſſe eas conuentiones, in quibus pariter expedit creditori conſequi ſuum, & id, quod ſua intererit, ſe ſe morã paſſum fuiſſe: in primò caſu poteſt dici, quod creditor ſe habeat indifferenter; in ſecundò autem id dici non poteſt, quia maior vtilitas reddit ipſum valde procliuem ad deſiderandum eum euentum, ex quo ipſa deſcendit: Et conſequenter non deſiderat, per ſe, eum effectũ, qui proprius eſt illius contractus, ſed illum, qui eſt communis omnibus obligationibus, vt propter moram debeatur intereſſe; hunc autem impedit voluntatem faciendi eum contractum, quem facere dicunt, vt oſtendi ſuprà nu. 19. cum ſeq.: Cum itaq; damnoſum ſit campſori, ſequi numerationem in nundinis, euidens redditur, nos dicere debere, eum campſorem, qui init cambium cum eo, de quo ſuſpicatur, ne ſit numeraturus pecuniam in nundinis, propter ſpem recambij, carere ea mente, ſine qua cambium verum dari non poteſt, habendi ſcilicet in nundinis eam pecuniã, quam numerat in loco initi cambij:

62 Tertiò conſidera illa verba *licet de facto poſſit, & de iure debeat*: Si enim intelligit de potentia proxima, hoc non ſpectat ad noſtram quæſtionem, quia tunc adeſt materia neceſſaria pro ineũdo cãbio, & cõſequenter accidere poteſt, vt vterq; eius mentis fuerit, vt ſequeretur numeratio in nundinis, licet non ſequatur: Vbi enim campſor poteſt credere probabiliter, eum, cum quo contrahit cambium, habere facilè poſſe pecuniam paratam ſolutioni in nundinis, debemus ſecundum regulas iuris, ſi nihil repugnauerit, credere, vtrumq; habuiſſe animum, vt pecunia numeraretur in nundinis ſuo tempore l. merito ff. pro ſocio, l. quoties de reb. dubijs: Sin autem Raphael intelligit de potentia remota, tunc reſpondemus, campſorem hinc neceſſariò deducere opinionem, ne dicam certitudinem, quod ex altera parte cogiretur de incundo mutuum ſub nomine cambij, cum habeat materiam congruentem mutuo, non autem cambio: Cum verò hæc cambia ſoluantur per nudum calamum, quò ſenſu dixit Raphael, debitorem cambij de iure debere ipſum ſoluere in nundinis in pecunia numerata?

Idem Raphael diſputatione 3. q. 14. num. 44. confugit ad capitula Bononienſia approbata à Pio V. vt probet, eſſe verum cambium, etiam ſi campſor vereatur, ne numeratio pecuniæ ſit ſecutura in cambijs; ſed fruſtra, vt oſtendi in capite ſequenti nu. cum ſeq.: Idem Raphael diſp. 3. q. 12. nu. 19. & 20. quæſt. 14. nu. 31. & 32. confirmat eãdem doctrinam hoc argumento; valet venditio rei abſentis, & ſi emptor dubitet, ne venditor habeat facultatem tradendi rem venditam: cur ergo non valebit cambium, etiam ſi cãpſor dubitauerit, ne ſecutura ſit numeratio in nundinis? In primis dico, aſſertionem propoſitam pro antecedenti propoſitione, longum deſiderare examen, vt intelliges ex Cardin. de Lugo tom. 2. diſput. 26. ſect. 7: & ei obſtant ea, quæ ſupra ſcripſi nu. 26. cum ſequentibus; ſecundò dico, non eſſe parem conditionem cambij, & emptionis, quia exiſtimandum eſt, non nocere emptori, rem ſibi tradi, alias contractum non perfeciſſet; in cambio autem nocet campſori, numerari pecuniam in nundinis, de quibus agimus; quod eſt illud, quod non ſinit nobis, credere, eum id deſideraſſe: tertiò dico, quod in venditione rei abſentis non accidit vſura adeo facile, prout in cambio, in quo facultas ſoluendi in pecunia numerata in nundinis, ad quatuor dies reſtringitur; cum tamen in venditione, per ſe, id non determinetur ad certum tempus: quartò dico, differre permutationem à venditione, quia res futura vendi poteſt, cum tamen permutatio requirat præſentem materiam, vt oſtendi ſupra nu. 42. cum ſeq: Cãbium autem ſpectat ad permutationem, non autem

tem

Digitized by Google

tem ad emptionem, & venditionem iuxta receptiſſimam, & veriſſimã opinionem: non eſt ergo argumẽtandũ ab emptione ad cambium,nam extenſio paritatem rationis deſiderat,vt ex ijs patet, quæ ſcripſi ſupra lib. 12. c. 35.nu.20. & 24: Adducit deinde Raphael pro ſua ſententia Boninſegnium,& Azorium in locis allegatis à Scaccia §. 1. q.7. p. 2. ampliat. 17. nu. 1: Verum Azorius clarè nobiſcum ſentit in locis allegatis ſupra nu. 45: loco autem adducto tractat de eo caſu, in quo campſor credit,debitorem cambij non eſſe ſoluturum ipſum in nundinis per numerationem pecuniarũ, niſi huiuſmodi pecunias ſub cambijs accipiat; quo caſu Azorius docet,cambium ſubſiſtere, quia ſatis eſt, cambientem non incommode poſſe habere, vnde ſoluat cambium, cum in æquipollentibus non curemus de modo, dumodo idem ſequatur effectus; experientia .n. docet, eos, qui incumbunt cambijs, dando, accipiendoq; pecunias ſub cambijs, curare, ſuas augere diuitias: licet in hoc ſit controuerſia Doctorum, nam multi requirunt, quod adſit pecunia actu in loco deſtinatę ſolutionis, vt animaduertit Mercatus c. 9. nu. 3. Boninſegnius quoq; loco allegato, hoc eſt de cambijs c. 8. nu. 8. clare verſatur in alijs terminis;

63 Remanet ergo ſolus Raphael in defendenda ea ſententia,quæ latiſſimam aperit viam fœneratoribus exercẽdi fœnus improbum ſub nomine cambiorum: cum verò à viris prudentibus nimis alienum ſit,in rebus valde periculoſis recedere à ſenſu cõmuni doctorum virorum, cur hoc Raphaeli contigerit, ipſe aperit diſp 3. queſt. 14. nu. 7. in fine dum ſic ſcribit. *Semper more meo retento, vt diligentius non inquiram, quid vere ſentiant Doctores allegati, quo nihil putidius puto, ſed ſolis rationibus penſitatis, doctrinam propoſitam, pro mea mediocritate, illuſtrabo:* quod ſcribendi genus vix vllus ex bonis expoſitoribus rerum practicarum ſecutus fuit; vt non immerito admoneamus venatores probabilium opinionum, ab huius tractatus doctrinis abſtinere, cum eius author ſequatur genus ſcribendi, in materijs moralibus ordinarijs recedens à ſenſu doctorum, prudentumq; virorum; in materijs autem valdę lubricis, cuius generis, præ omnibus moralibus eſt hæc, omnino reprobandum:quantum autem eius ratiocinationibus confidendum ſit, ex hac mea intelliges diſputatione facillimè: apertè enim, & ſæpiſſime lapſum eum fuiſſe in ijs, in quibus valde ſibi placet, manifeſtum tibi fiet. Cum verò Raphaelis in exercenda iuris prudentia munus fuerit,ſitq;, cauſas in foro,quod cũ magna laude fecit multis annis,facitq; tanq̃ Aduocatum diſputare,non video,quomodo ſcribere potuerit, moris ſibi eſſe, in examinandis iuris ambiguitatibus,ſolis rationibus penſatis,eas determinare; hoc enim repugnantiam continet in Italia cum munere Aduocati: Equidem puto, callide eum verſatum fuiſſe hac in re, ne ei vitio verteretur,quod omiſerit doctorum virorũ ſentẽtias ſuis aduerſantes doctrinis plerunq;: Ne mirentur autem ij, qui norunt, (norunt autem omnes, qui in meis ſcriptis vel mediocriter verſati ſunt) mea notãdis ſcriptoribus abſtinere accuratiſſime, hæc de clariſſimo viro me ſcribere: auiditas enim plurimorũ reperiẽdi probabiles doctrinas in materijs ſpectantibus ad forum internũ, coegit me admonere eos, ne putent,ex huius tractatus doctrinis ſingulatibus, probabiles poſſe colligi doctrinas;animaduertebã.n.,hoc antidoto omiſſo, breuiſſimo interiecto tempore,cambia illicita ampliſſimum ex ipſo eſſe deductura clypeũ cum ingenti vſurarum propagatione.

64 Non eſt autem omittendum, Scacciam d. limit. 17. num. 15. & 16, Gaitum de credito c. 2. tit. 7. nu. 1459. cum ſeq. docere, cambium, in quo campſor putabat, non eſſe ſecuturam numerationem in loco deſtinatę ſolutionis, in foro quidem interiori non valere; in foro autem exteriori eſſe ſuſcipiendum velut validum, quoniam campſor ſemper dicturus eſt, ſe putauiſſe, numerationẽ eſſe ſecuturam ſuo tempore, & conſtitutio Pij V. ſpectat ad forum internũ; iuſtitia autẽ conuentionum non pendet ex bonitate,ac prauitate animorum, ſed ex æqualitate rerum in ipſis deductarum; quod dixit rurſus Scaccia §. 1. q. 5. nu. 17. Quæ doctrina tres errores cõtinet bona venia dixerim, manifeſtos. Primus eſt,dum dicitur, ſatis eſſe campſori, allegare bonam mentem quia in foro exteriori non eſt aliud quę ẽdum: hoc enim redarguit S. Pontificem in c.ad noſtram de empt. & vendit. dum omiſſa allegatione bonæ mentis, ex rebus ipſis latentẽ deducit intentionẽ fœneratoris: idem obſeruatur in c.4.de pignoribus,cuius exemplo paſſim verſantes in foro ex coniecturis deducunt, aliud actum, aliud ſimulatum fuiſſe in materijs vſurarũ,& aliarum quarumcũq;ſimulationum: & Pius V. in ſua conſtitutione de cambijs idem obſeruauit: error autem hic eſt pernicioſiſſimus, quia nulla ſupererit nobis ratio detegendi fraudes fœneratorum exercentium improbum fœnus ſub ſpecie cambiorum, & aliorum contractuum iuſtorum, niſi nobis licuerit, per legitimas coniecturas, ſinceræ mentis allegationem euertere: ſecundus error eſt,affirmare,conſtitutionem Pij V. de cambijs, ad ſolum forũ internũ pertinere, cum omnes huius materiæ ſcriptores, & cum eis ipſemet Scaccia §. 1. q. 5. nu. 100. verſ. ſecundum eſt forum, contrarium doceant; idq; tenor ipſius conſtitutionis clarè indicat, dum mandat, puniri exercẽtes cambia in ipſa reprobata,ijs pœnis, quæ ſunt propriæ fori externi: hic quoq; error pernicioſus valde eſt, quia adempto fœneratoribus timore fori externi, liberime ſub ſpecie cambiorum ſuas exercebunt fraudes,cum ſalutem animæ negligant. Tertius error conſiſtit in eo, quod dicunt, prauitatem animi non inficere contractus alias iuſtos,quia hoc deſtruit vſuram mentalem,multaſq; alias receptas doctrinas,declarantes fœneratitios eos contractus, in quibus per modum debiti conuenitur de ijs faciendis, quæ nullum afferunt detrimentum mutuatario,de quibus ſupra lib. 13. c. 9. n. 37. & 38: cũ verò dicat D. N. mutuum date nihil inde ſperantes, non ne reſpexit ad animũ mutuantis? Doctrina autem Nauarri allegata ab ipſis pro confirmatione huius erroris in tractatu de vſuris nu. 53. prout proponitur ab ipſo pro lucro ceſſante,euidẽter euertitur ex ijs, quæ ſcripſi d. c. 13. nu. 38. verſ. poſita enim, & nu. 39. cum ſeq.: eandem in eiſdem terminis reprobauit Iuſtin. de continuat. cambiorũ q. 6. num. 6. is verbis: *La cui propoſitione è tanto falſa, ch'è direttamente contro la ragione, contro Ariſt.*

contra

contra S. Tomaſo in quelli iſteſſi luoghi ch'allegha il Navarro, contro i Canoni, e contro il ſuo Autore iſteſſo, ne coſa più falſa ſi può dir di queſta, cioè, che il giuſto, & l'ingiuſto non dipenda dall'interno dell'animo. Prout autem in abſtracto proponitur, indiget declaratione: nam ſeparandi ſunt contractus illi, in quibus diuerſitas intentionis inducit diuerſitatem conuentionis, ab ijs, in quibus id non accidit. Primi generis eſt cãbium: ſi enim habuerit animũ permutandi pecuniam præſentem cum abſente, aut emendi pecuniam abſentem, erit cambium; ſi autem habuerit animum accipiendi precium dilationis ad reſtituẽdam ſuam pecuniã, ſecundũ omnes erit mutuum, nõ autem cambium, ut eas ſcripta ſupra num. 7. ſecundi autem generis ſunt venditio, commodatum, donatio, et ſimiles omittam conuentiones; etiam ſi enim praua intentione contrahantur, nõ tamẽ mutant ſubſtantiam: abſurdum ergo eſt, affirmare, depravatum animum campſoris non impedire, in eſſe deduci verum cãbium, cum huiuſmodi animus efficiat, ne habeat mentem contrahendi cambij, ſed mutui; quam mentem omnino habet is, qui contrahit cum eo, quem putat id facere non poſſe, aut nolle, quod cambium facit, ſed quod congruit accipienti mutuum, ſub vſuris; nam actus morales ſpecificantur à fine: multoq; magis id accidit, cum campſor ſic init contractum, vt nolit, numerari pecuniam iuxta naturam permutationis, ſed ſecũdũ naturam mutui; quod vtiq; accidit, cum init cambium intuitu recambij, alias ipſum non initurus; quod euenit vt plurimum cambis ſoluendis in ijs nundinis, in quibus raro adſunt occaſiones exercendi pecuniam numeratam, quia ſine recãbio plerunq; damnoſum eſſet, inire cambium: Hactenus tres allegatos errores ſic oſtendi, vt nullus remaneat veriſimilis pretextus excuſandi ipſos: vnde autem deduxerint occaſionem errandi adeo manifeſte in ea re, quæ eos admonebat, vt cauerent diligentiſſime, ne latiſſimam recluderent viam fœneratoribus ſuas exercendi fraudes, nihil video preter anxium deſiderium defendendi cambia vſitata; & proinde aucupes probabilium opinionum cauere debent, ne ex ſingularibus horum Authorum doctrinis colligant probabiles opiniones fauore eorum cambiorum, quæ communiter reiciunt ſcriptores huius materiæ, aut iuris ratio clare euertit: Cur autem hanc doctrinam ſecutus fuit Duardus §. 1. q. 33. nu. 11. 12. & 13. & quęſt. ſeq. n. 8. & ſeq. cum confundatur ex ijs quæ ſcripſit quęſt. 12. nu. 8. & quęſtione 35. nu. 8. & 11. quęſt. 28. nu. 6. cum ſeqq.? quem autem videas d. quęſt. 34. nu 13. & ſeqq.

65 Hactenus oſtendimus, omnino dicendum eſſe, cambium eſſe eam conuentionem, quam nomen ipſum ſignificat, hoc eſt veram ac propriam permutationem; quod propterea non habebit aliam differentiam, per ſe, a cæteris permutationibus, præter eam, quam diuerſitas materiæ ſuggerit: Eas autem, quas leges, & mores nundinarum cãbiorum, cãpſoreſq; introduxerunt, vel Principes, ſuggerentibus campſoribus induxerunt, conſiderabimus, velut differentias accidentales, quarum magna pars laudabiliter reuocaretur, cum tendant ad augmentum vtilitatis campſorum numerantium pecuniam extra locum nundinarum, non ſine offenſione naturę huius cambij, & iuſtitiæ; ſicut ergo non quærimus definitionem permutationis tritici cum ordeo, ordei cum milio; quia ſatis eſt, noſcere definitionem permutationis in ſpecie, ita non quærãm definitionem cambij, hoc eſt permutationis pecuniæ cum pecunia.

66 Non erit tamen inutile perpendere definitionem cambij propoſitam à Raphaele a Turri diſput. 1. queſt. 11. nu. 1. quam nu. 7. ait, poſſe defendi etiam ſummo iure agendo, etiam ſi ipſam perpẽdamus iuxta regulas Metaphiſicorum: (Ne putes tñ me diſcedere ab inſtituto meo abſtinendi ab impugnandis aliorum doctrinis, cũ id non eſt opportunum ad veritatem latentem in lucem ducẽdã) *vt ſit conuentio vltro, citròq; obligatoria dandi reddẽdiq; tantundem in genere diuerſo pecuniarum, quę conſenſu, re, & pretio, non ſine temporis dilatione, locorumq; diſtantia perficitur.* Dico in primis, ad vnguem conuenire mutuo ſic contracto, vt pecunia in alio loco reſtituatur in genere diuerſo, quod fieri poteſt recte, quãdo non grauat mutuantem, nec prebet occaſionem fœnerandi. Dico ſecundò, quod cambium iuſtum, & ſiccum non diſtinguntur quò ad actus materiales, ſed quò ad mentem, quia ineuntes cambium ſiccum habent intentionem mutui contrahendi ſub nomine cambij; & proinde hæc definitio competit cambio ſicco, cum nõ explicet eam cauſam, ob quam pecunia datur, quę ſola poteſt diſtinguere actus materiales omnino ſimiles cambij ſicci, & iuſti; quod eò magis vrget, quia illa verba non ſine temporis dilatione, exprimunt id, quod clariſſime exponunt verba locorumq; diſtantia; & proinde erat omittendũ, quod neceſſariò interuenire deberet dilatio temporis inter dationẽ, & reſtitutionẽ pecuniæ: erat verò neceſſe exprimere, eſſe debere hanc dilationẽ talẽ, vt nõ daretur occaſio fœnerãdi. Tertiò dico, quod ſoluatur cãbium in diuerſo genere pecuniæ, eſt per accidens, etiam ſi agamus de cambijs ſoluendis in nundinis, quia naturæ cambij huiuſmodi magis congrueret, & aliud obſeruari, iuſtius eſſet; & proinde ſperari poteſt, delendum eſſe vſum ſcutorum *di marche* a Principibus certioribus factis de fraudibus, quæ propter hoc committuntur.

67 Quartò dico, ſolutis pecunijs cambienti in illis aureis, ex quibus cambia ſoluuntur in nundinis, non ne cambiens poterit reddere eoſdem aureos cambienti, eos, n. nullatenus poteſt recuſare? cum quis habens prę manibus pecuniam reſtituendam Caio, eum interrogat, inis ne mecũ cambium barum pecuniarũ pro proximis nundinis pro precio currenti? deinde ſcriptis literis cambij, & cęteris obſeruatis, non ne hoc eſt verum cambium? & ñ fuit ex parte cambientis obligatio reddendi; non extitit autem obligatio dãdi ex parte campſoris: Cum verò proprium munus ſit definitionis, explicare eſſentiam rei definitæ, vtiq; magnum vitiũ definitionis eſt, indigere expoſitione, extrinſecus deducenda: In cambio accipit pecuniam cambiens, campſor autem eam numerat, ergo verbũ dandi eſt applicandum ad campſorem, reddendi autem applicari debet cambienti, & tamen in hac definitione applicantur promiſcuè, dum dicitur *vltro citroq; obligatoria dandi reddendiq; tantundẽ*: Si dixeris, facile eſſe hos actus diſtinguere ijs, qui

habent

habent notam praxim cambiorũ, replicabo: definitionem, ſecundum dialecticos, eſſe debere talem, vt poſſit indicare rem definitã ijs, qui eius notitiam non habent; & proinde apud eos eſt vitioſa ea definitio, quę ſupponit eam notitiam rei definitæ, quæ ex verbis definitionis colligi non poteſt; quod autem reddatur tantundem, non eſt verum materialiter, aut ciuiliter in cambijs nundinarum, quia plus re ipſa conſequitur campſor, quã dederit, & numerus ſcutorum *di marche* eſt diuerſus, à numero ſcutorum, quos accepit; cur ergo dictum fuit tantundem, cum proprium mutui ſit, tantum accipere, quantum dedit; cambia autem nundinarum inſtituta fuerint, vt campſor plus accipiat, quam dederit? Et per hoc excluditur id, quod ſcribit eadem diſp. 1. quæſt. 13 nu. 92. moraliter hoc accipiẽdũ eſſe, nõ arithmeticè: nõ poteſt enim id deduci ex verbis definitionis, & tantundem ſignificat quantitatem æqualem pecuniarum ſecundum numerum, ſi modo nolumus nouam inuenire ſignificationem huius aduerbij. Verba autem illa perficitur re, & precio, poſſunt ſignificare perfectionem conuentionis, & executionem ipſius, iuxta diſtinctionem, quam explicant gloſſa, & DD. allegat ſupra n. 29. ex verbis autem definitionis deduci nõ poteſt, quomodo id in cambio contingat: illa verò verba *vltrò citroq; obligatoria dandi, reddendiq; tantundem*, non obſcurè ſignificant, id referri ad perfectionem conuentionis: illud certè manifeſtum eſt, examinandam eſſe eſſentiam cambij, vt intelligamus, an referenda ſint ad executionem, vel perfectionem formalem conuentionis, cũ valde difficile ſit, id cognoſcere ex verbis definitionis, quod eſt magnum eius vitium: eò autem res redditur difficilior, quia iuris noſtri authores poſuerunt velut vltimas differentias, & per hoc inſimul cõcurrere non valentes, re & cõſenſu contrahi, vt liquet ex l. 2. ff. de act. & obligat. §. finali inſt. de obligat.; magnam enim exigit cauſam, coniungere in hac diffinitionem ea, quæ noſtri iuris authores ſeparant; maximè quia non erat opus exprimere, cambium contrahi re, ac precio, ſi id intelligebatur iuxta modum, quo perficiũtur rei interuentu eæ obligationes, quas conditores iuris noſtri dicunt, conſenſu perfici, prout Raphael intellexit hanc definitione, vt liquet ex ijs, quæ ſcribit eadem diſputat. 1. quæſt. 6. nu. 8. & 9. in hac quæſt. 10. & 11. n. 16. in fine, & n. 17. adeas l. 2. & ibi gloſſam in verbo conſentire ff. de act. & oblig.

68 Hactenus expoſui ſubſtantiã cambij, vt cambiũ eſt, nunc examinanda eſt introductio nundinarum ſolis cambijs deſeruientiũ, vna cũ nonnullis earũ legibus; vſum nundinarũ cambiorũ recentẽ eſſe; hoc eſt, fuiſſe inuentum tempore Caroli V. Imp. oſtendit diligenter Raphael à Turri diſp. 1. quæſt. 4. nu. 23. cum ſeqq.; hinc autem colliges, eum non eſſe neceſſarium, nec valde vtilem: tot ſæculis enim non caruiſſet orbis ipſo, ſi magnam vtilitatem, & multò magis neceſſitatem, hoc inuẽtum continuiſſet: homines enim priuati, ac Principes, ſuis anxiè inſeruire ſolent neceſſitatibus, ac vtilitatibus: quod ſi res, per ſe, conſideretur, ceſſabit omnis prætextus neceſſitatis, cum neceſſitatibus publicis cõſuli poſſit ſecundum eos modos, quos ſæcula præterita oſtẽderunt, & quidem cum minore damno; nimia enim eſt voracitas cambiorum, ac recambiorum: Priuatorum autẽ, hoc eſt eorum, qui arti cambiorum nõ incumbũt, pauci ſunt, qui verè habeant pecunias in huiuſmodi nundinis.

69 Sed ad rem proprius accedamus; cambia de loco ad locum ſi realia ſunt, tunc ineuntur, cum ij, qui alicubi pecuniam habent, & eam traijcere deſiderant alium in locum, habent ſic paratam, vt ſit capax huiuſmodi traiectionis: cum itaq; hoc tempus ſit incertum, euidens eſt, non poſſe aſſignari tempus proprium ineundi cambia, ſicut accidit mercibus, quæ habent plerunq; per ſe, vel per accidens, tempus proprium diſtrahendi, & comparandi eas: hoc eſt, illud, quo opportunius eſt, eas vendi, emiq;: ergo non potuit introduci vſus nundinarum cambiorum velut tempus opportunius ineundi cambia: Cum verò tempus ſoluendi cambia pendeat ex tempore, quo ineũtur; vt liquet ex illis verbis conſtitutionis Pij V.: *curandum autem erit in terminis, vt ratio habeatur vicinitatis locorum, quibus ſolutio deſtinatur, ne dum lõgiores præfiguntur, quam loca deſtinatæ ſolutionis deſiderant*, fœnerandi detur occaſio, ſequitur, tempus ſoluendi cambia pariter incertum eſſe, ac ſit incertum tempus ea ineundi: ergo inuentio nundinarũ cambiorũ nõ poteſt reſpicere faciliorem ſolutionem cambiorum, ſecundum eorum naturam faciendam: Secundò conſiderandum eſt, quod cambia vera, quæ fiunt de loco ad locum, ſic fiunt, vt is, qui ſcribit literas cambij, curet ſolutionem illius in loco, vbi habet ſuas pecunias, vel in loco commodiori; ergo non potuit aſſignari locus nundinarum pro ſolutione cambiorum, quæ fiunt de loco ad locum, cum per accidens ſit, vt ſit cõmodior ſoluendis cambijs; Dices, me æquiuocare, quia cambia, quæ in nundinis ſunt ſoluenda, diſcrepant ab ijs, quæ alibi ſunt ſoluenda: nihil agis, quia, ſi cambium ſoluendum in nundinis, verum cambium eſt, non autem mutuum, neceſſe eſt, vt ſcribens literas cambij habeat pecuniam, quam deſideret commutare cum ea, quam accipit alio in loco; Ergo non fuit aſſignandus locus nundinarum pro loco commodiori ſolutioni cambiorũ, cũ per accidens ſit, vt ineuntes cambia habeant pecuniam in loco nundinarum, vel adeo proximo, vt ſibi expediat, ſoluere ibi cambium, magis, quam alio in loco; Sed ridiculum eſt, me de hac re agere, cum proprium ſit ſolutionum cãbiorũ, quæ fiunt pro nundinis, vt fiant abſq; pecunia numerata, vt teſtatur Raphael diſp. 3. q. 11. nu 22. verſ. ſed memoriæ; hæc autem ratiocinatio multò magis vrget in prima inſtitutione harũ nundinarum, facta Veſuntioni, vt oſtendit Raphael diſput. 1. quæſt. 4. nu. 38: nam reſpectu hominum ab arte campſoria alienorum erat euidentiſſimum, quod non habebant eo loci pecunias (de Italis ago, & aliarum nationum hominibus à Viſentione remotis) & ideo euidenter ſimulata erant cambia, quæ ab ipſis contrahebantur pro nundinis.

70 Tertiò conſiderandum eſt, ex locis nundinarũ cambiorum aliqua eſſe; in quibus raræ ſint occaſiones exercẽdi pecuniam numeratam: dum autem de his agitur, quæro ab ijs, qui ineunt cambia ſoluenda in huiuſmodi nundinis, an eius men-

tis ſint

tis ſint, vt cambia ibi cum effectu ſoluantur? affirmare autem non poſſunt, quia id ipſis eſſet damnoſum ob defectum occaſionum contrahendi ex huiuſmodi pecunijs eo loci nouum cambium, aut exercendi eas alia ratione cum queſtu; ergo fateri debent, locum nundinarum non eſſe locum idoneum pro ſolutione cambiorum iuſtorum; quia ſic fiunt iuſta cambia, vt expediat, per ſe campſori, numerari pecuniam, quam ſub cambio exercuit, in eo loco, in quo conuenerunt eam numerari, cum ea ex cauſa inierit contractum huiuſmodi, vt ex eo vtilitatem ſentiat: adeas Raphaelem diſp. 1. quæſt. 13. nu. 37. & 123.

71 Dices, fuiſſe inſtitutas nundinas cambiorum, vt conſtitueretur locus, pro quo poſſent cambia iniri ſine fraude: nihil agis; quia conſideratio fraudis in cambijs excluditur ex eo, quod vtilius ſit, aut commodius ſcribenti literas cambij, ſoluere pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis, & proinde eius electioni eſt reſeruandus; cuius deſiderium modum excedens arbitrium boni viri moderati poteſt, quod fatetur Raphael diſput. 1. quæſt. 4. nu. 29; qui tamen ait, non poſſe tunc haberi rationem maioris, vel minoris abundantiæ pecuniæ, ex qua pendet iuſtitia cambiorum: Verum conſidera in primis, vſum, pecuniam commutandi de loco ad locum, in Imperio Romano fuiſſe omnino neceſſarium; & tamen vſus harum nundinarum apud eos nõ extitit; & iure merito, quia conſideratur ſtatus locorum, in quibus contrahitur, & ſoluitur cambium, vbi agitur de cambijs iuſtis, iuxta tempus præſens, quia ſoluendum eſt cambium intra breue tempus, & ideo non eſt, cur conſideretur ſtatus aliarum regionum, cum ex ſtatu præſenti poſſit vterq; deliberare, quid facere eos oporteat ne lædantur, iuxta modũ, qui obſeruatur in cæteris cambijs, quæ fiunt de loco ad locum: Nec dicas, non impediri eos, qui alibi deſiderant ſolui cambium, abſtinere à cambijs ſoluendis in nundinis: quia de hoc nemo dubitat; tibi autem oſtendenda eſt ratio, quæ explicet eſſe plerunq; melius, iniri cambia ſoluenda in nundinis, quam alijs in locis; cum non ſit verum, eis qui ineunt cambia ſoluenda in nundinis, expedire per ſe, magis hæc inire cambia, quam ea, quæ ijs in locis ſint ſoluenda, in quibus habent eas pecunias, quarum ſolutionem deſtinauerunt ſolutionibus huiuſmodi cambiorum; modo ſupponatur, eos ſic cambia ſoluenda in nundinis, iniuiſſe, vt pecunia deſcripta in literis, eo loci verè ſoluatur, fraudes autem, quibus nundinę præbent occaſionem, recenſet Raphael diſput. 1. quæſt. 27.

72 Dices rurſus, inſtitutas fuiſſe huiuſmodi nundinas, vt conuenientibus eo loci campſoribus per ſe, vel per alios, ea conſtituantur, quę ſpectant ad hanc negotiationem, quod valde vtile eſt ad euitanda monopolia, & multas fraudes: Verum à te quæro, cur non ſit opus hac cautione in ijs cambijs, in quibus negotiatores, accepta pecunia, ſcribunt literas cambij ſoluendi ei, qui pecuniam numerauit, vel alteri, quem is nominauerit? reſpondebis autem, hæc cambia non indigere huiuſmodi cautionibus, cum facillimum ſit intelligere omnia ſpectantia ad eorum iuſtitiã, & ea ſic moderari ne grauiter cambiens lædatur, vſu negotiantium plerunq; præeunte; aliud tñ eſſe circa cambia, quæ ſoluenda ſunt in nundinis, cum multis modis poſſint fraudes committi in ipſis, vt per Boniſ. de cambi c. 7. nu. 28. & ſeqq.: Verum à te quæram, quæ fraus committi poſſit, ſi is, qui ſcribit literas cambij, habet pecuniam in loco nundinarũ ſolutioni paratam, aut in loco ei adeo proximo, vt ei expediat, ſolutionem fieri in nundinis magis, quam alibi? Nullus eſt timor fraudum, ſi ea intentione ineantur cambia ſoluenda in nundinis, vt ibi ſequatur numeratio pecuniæ, & proinde non fuit opus, hac de cauſa, huiuſmodi nundinas inſtituere.

73 Dices tertiò, vtile eſſe, huiuſmodi nundinas celebrari, quia per hoc detegitur ſtatus campſorum, quod maximi momenti eſt pro cautione negotiãtium circa cambia: verum hoc reſpicit qualitatem huius negotiationis, non autem eius eſſentiam; nam inquirimus, an iuſtitiã offendat, exercere ſuam pecuniam in cambijs ſoluendis in nundinis: primò enim quærendum eſt, an ſit iuſta negotiatio; ſecundò agendum eſt de ratione euitandi pericula, quæ in hac negotiatione incidere poſſunt: hæc ergo ratio nõ explicat id, quod quęrimus, an iuſtitiæ congruat, conſeruare nundinas cambiorum: ſi enim alienum fuerit à iuſtitia, exercere hoc genus cambij, officium legiſlatoris erit, ſinere, labi in deterius res exercentium hæc cambia, cum officium eius ſit, pœnis propoſitis, malos deterere à peccatis, & ex duobus malis permittere minus l. 1. ff. de iuſt. & iure, l. legis virtus ff de legibus.

74 Poſtremò dices, in nundinis noua iniri cãbia, quia ſufficit habere pecuniam in nominibus, & in nundinis poſſint perfici cambia pro regionibus valde remotis: reſpondeo, hęc cambia dupliciter iniri, primò pro vtilitate eorum, qui ſuas pecunias in eas regiones traicere ſtudent, in quibus ſperant, ſe ſe poſſe vtilius exercere ipſas; ſecundò quia opus eſt ipſis, in huiuſmodi locis ſuas habere pecunias. Primus caſus non eſt dignus fauore, quia præbet occaſionem quellibus iniuſtis, ac Monopolijs, vt explicat Mercatus de cambijs c. 4: Secundò autem caſui commodè conſulebatur retinendo morem, ſæculorum anteactorũ conſuetudine non interupta confirmatum; vtilitatis enim ſpes ſuadebat ijs, qui pecunijs abundabant, vacare negotio traijciendarum pecuniarum de loco ad locum, coarctandò tamen ſuam negotiationem inter ea loca, quæ reciprocum commercium ſic habebant, vt frequentes eſſent occaſiones hinc inde traijciendi pecuniam: qui modus erat optimus, quia non erat ſubiectus decoctionibus frequentibus, quibus obnoxij fuerunt huius, ac præteriti ſæculi campſores, dum ſuas pecunias multorum fidei, ea de cauſa, committunt, vt multas ſuo negotio comprehendere regiones poſſint. Omitto id, quod dixit Scottis ſuper conſtitutionibus Pontificijs theor. 282. fuiſſe inuentas has nundinas, vt ingẽtes pecuniarum ſummas poſſent negotiatores facile conficere; quia in nũdinis ineuntur raro cambia à mercatoribus, quibus fauere debemus, non autem campſoribus monopolia adornãtibus. Vtilitatis autem publicæ prætextus perraro apparet in cambijs nundinalibus, vt non ſit allegandus pro fundamẽto ne-

gotiationibus huiuſmodi.

75 Tandem dices, in nundinis fieri cambia libera, & per hoc eſſe valde vtiles. Reſpondeo, horum multò minorem numerum eſſe, quam ſit eorum, quæ expectant poſt ſe recambia, aut ex ipſis pendent, vt intelliges ex Raphele diſp. 1. q. 13. nu. 45; & proinde ſufficere id non poteſt ad inducendam cauſam idoneam introductionis harum nundinarum, cum vſus priorum ſæculorum, & ſequentium oſtenderit, commodiſſimè iniri cambia ingentia extra loca nundinarum.

76 Secunda inueſtigatio ſpectat id ſcutos *di marche*, in quibus contrahuntur cambia, etiam ſi liberum ſit campſoribus ſoluere, exceptis nummis minutis, ijs qui ſecum ineunt cambia, quas voluerint monetas aureas, vel argenteas vſitatas. Hunc autem ſcutum *di marche* conſtituerunt valoris ſexaginta octo ſolidorum aureorum, non quia voluerint, cum ſic æſtimari præcisè (eius enim valor paſſim in incertò eſt apud ineuntes cambia;) Cum autẽ campſores in perficiendis alijs cambijs vti ſoleant nummis vſitatis, habeamuſq; tot genera nummorum vſitatorum, cur ipſi quò ad hæc cambia, inuenerunt genus nummi imaginari;? magna certè cauſa allegari debet, quia in rebus nouis conſtituendis euidens eſſe debet vtilitas l. 4. de conſtit. Principum: Non poteſt autem allegari, fuiſſe opus id introducere, vt vſus cambiorum redderetur communis omnibus nationibus; quia cambia, quæ fiunt de loco ad locum, ſunt cõmunia omnibus Populis, vt experientia quotidiana oſtendit, & tamen non vtimur in ipſis hiſce ſcutis *di Marche*; nec deberet retineri hic vſus in cãbijs, quæ fiunt pro regionibus proximis. Nõ poteſt etiam allegari vtilitas cambientium, quia eis expedit, cambire in monetis vſitatis, quia ſciunt earum valorem, nec ſunt ſubiectæ calliditati campſorum, qui conſtituunt in nundinis precium ſcutorum, inquibus fiunt cambia; E contra verò expedit campſoribus, cambia ſolui in eo genere monetæ, quod non ſit vſitatum, quia hac ratione, ad ipſos ſpectat, eius valorem determinare. Ne dicas autem, fuiſſe neceſſariũ vſum ſcutorum *di Marche*, vt iuſtè dirigerentur ſolutiones cãbiorum in nundinis: reſpondeo enim, ſi agatur de ſolutione primi cambij, hoc ſpectare ad ineuntes ipſum, vt etiã accidit in ijs, quæ ſunt ſoluẽda in alijs locis, quam nundinis. Si verò agatur de recambijs, dũ actum fuit, vt cambia ſoluerẽtur re ipſa in nundinis, dico eorum ſolutionem eſſe per ſe conſiderandam, & ideo non eſt mutanda propter recambia, quæ ſunt per accidens, & raró contraherentur, ſi verè actum fuiſſet, vt cambia ſoluerentur in pecunia numerata in nundinis. Dicendum eſt ergo, callidè hoc fuiſſe excogitatum à campſoribus, quò facilius poſſent augere queſtum ex cambijs faciendum, quod ex eo euidentius redditur, quia aduerſus vſum, & rectam cudendæ monetæ rationem, conſtituerunt aureos illos ſolidos, ex quibus huiuſmodi ſcutus conficitur: quia ſcilicet hac ratione creſcit vtilitas, dum ſua calliditate curãt, augeri, vel diminui valorẽ ſcuti aliquibus denarijs prout eſt vtile ijs, qui ſuas pecunias exercent ſub cambijs, aut qui ſimul conueniunt in curando augumentum in nundinis, vel diminutionem ſcuti *di Marche*, vt explicat Raphael diſp. 1. quæſt. 24. num. 1. num. 54. verſ. ad ſecundum. Ergo ſecundum ſuã naturam cambiũ reſpuit mutationem monetę vſitatæ in ſcutos *di marche*; quia lædit eum, qui habet pecuniam in nundinis, cum per hoc cogatur commutare ſuam pecuniam in ſcutos *di marche* ſeu eos aureos, quos ſolui neceſſe eſt debitoribus ſcutorum *di marche*: hoc enim cum incommodo, & plerunq; cum damno non leui id contingit: Cum è contra is, qui numerauit pecuniam in loco initi contractus, ſoluat quam voluerit pecuniam, dumodo ſit *moneta di cambij*; quomodo enim æqualitas inter eos ſeruatur, ſi is, qui potuit ſoluerè precium ſcutorum *di marche* in nummis, qui facilè reperiuntur, coarctat ſolutionem ſcutorũ huiuſmodi ad aureos, qui ſæpe haberi non poſſunt ſine damno? Dices, ſic conſtitutum fuiſſe in legibus nundinarum: verum nos nõ quærimus, quid ſtatutum ſit, ſed inquirimus, an hoc ſtatutum inęqualitatem inducat inter contrahentes; Dicit Raphael, non lædi accipientem pecuniam ſub cambio ſoluendo in nundinis, redigendo monetam vſitatã, quam accepit, ad ſcutos *di marche*, quia diſtrahit rem certam, & determinatam, ac inuariabilem, cum ſit valoris ſolidorum ſexaginta octo: Hoc autem verum eſt quò ad exceſſum, quia nunquam excedit ſolidos 68, quoad diminutionem tamen, in qua conſiſtit damnum debitoris cambij, ſcutus huiuſmodi diuerſimode æſtimatur, vt ipſemet docet diſput. 2. q. 18. nu. 36, & quæſt. 24. nu. 47. & eſt certum apud campſores, & paſſim vſitatum; & proinde falſum eſt euidenter, ineuntibus cambia contingere non poſſe læſionem, ob ſcutos *di marche*; Si n. cambia conflaretur in monetis vſitatis, earũ valorẽ non poſſent diminuere, & augere prout fit in ſcutis *di marche* vſq; ad valorẽ ſolidorũ 68: quę cauſa eſt, cur campſores vtantur ſcutis huiuſmodi, & conſequenter hoc inducit inæqualitatem euidentem inter dantem, & accipientem pecuniam fauore dantis: quod autẽ ait Raphael loco allegato, id contingere, quia de intrinſeca ſubſtantia huius cambij eſt tempus, euidenter explodunt cãbia, quæ alijs in locis ineuntur, in quibus pariter neceſſarium eſt interuallum temporis, & tamen cambiens non eſt ſubiectus huic damno, quia cãbium initur in pecunia vſitata, cuius valorem non poſſunt diminuere campſores, mercatoreſq; ea facilitate, qua id faciunt in ſcutis *di marche*, quia non ſunt in vſu apud populum: Cauſam autem introductionis *ſcuti di marche* exponens Raphael num. 112. ait. *Vel etiam (quod ferè ſemper contingit) ſcuti illi marcarum à feria redeunt via noui contractus cambij ad locum, inquo fuerat celebratus prior contractus; quo loci loco ſcutorum mille implicatorum, exiguntur 1015, ſeu 1020. (& vno verbo dicam) tunc demum apparet, cum ſcutus marcarum, præuia illa conuentione, quodamodo parit. Vnde ſicut immeritò damnaretur lucrum ex fructu terrarum, ac pecudum, idem fortaſſe Pomponius diceret de lucro cambij: id, quod accepto ferendum eſt recentiorum induſtriæ, qua repertus eſt (nõ ſine maximo Reip. bono) ac adinuentus modus, quo pecunia quodamodo conciperet, & pareret, fructuſq; ederet, quod priſcis temporibus incompertum fuerat, & incognitum.*

77 Hæc ſpecioſa verba magnam poſcunt conſiderationem, vt intelligant ij, qui faciles ſunt in conſtituendis probabilibus opinionibus, quantum ſit tribuendum doctrinis huius tractatus, in deciden-

tis ſint.

Digitized by Google

dis dubitationibus circa cambia verſantibus: Primò dico, cum fateti, quæſtum horum cambiorũ ex eo deſcendere, quod contractum fuit in ſcutis *di marche*; ergo iniuſtè fuit inducta diuerſitas inter cambia nundinarum, & ea cambia, quæ fiunt de loco ad locum, vt ea, quæ fiunt pro nundinitiis, redigantur ad ſcutos *di marche*; illa autem, quæ pro alijs fiunt locis, conſtituantur in monetis vſitatis: cum enim idem finis ſit; habere ſcilicet pecuniam, quam habet alibi, in loco contracti cambij, cur hæc diuerſitas fuit introducta? nihil aliud autem commode dices, præterquam quod id eſt vtilius exercentibus ſuas pecunias in his cãbiis: Ergo exaltata ea æqualitas, ex eo deducta, quod cambia redigantur ad ſcutos *di marche*, ex doctrina eiuſdem Raphaelis euidenter conuertitur in eam inæqualitatem, quæ reddit hoc cambium manifeſtè iniuſtum.

78 Secundò conſidera illa verba *cum ſcutus marcarum præuia illa conuentione quodammodo parit*: Si Catholici docent, pecuniam auream, ac argenteam eſſe ſterilem, quomodo ſcutus imaginarius parere poteſt? dices, hunc ſcutum redigi ad aureos *delle cinque ſtampe*, & per hoc non eſt abſolutè imaginarius: nihil agis, nam vtilitas deducitur antequam redactus fuerit ad huiuſmodi aureos: vbi enim id fectum fuit, non agitur amplius de ſcutis illis *di marche*, ergo parit dum eſt imaginarius: Dices, appellari metaphorice partum; non vtiq;, cum id affirmes contradiſtincte à ſterilitate pecuniæ argenteæ ac aureæ: ergo tribuis virtuti ſcuti imaginarij augere numerum pecuniarum erogatarum in cambio; & ideo in principio queſt. 24. eiuſdem diſputationis ſcribit, in precium reſoluitur per germinationem, tanquam fructus quidam ſementi omnino ſimillimus. Ne verò amplius labores, ſcias, hoc accidere per augmentum ſcutorum *di marche* in nundinis, & determinationem precij recambiorum à nundinis redeuntiũ: & conſequenter eſt manifeſta inæqualitas inter accipientem pecunias ſub cambio ſoluendo in nundinis, dum redigitur ad ſcutos *di marche*; Eo enim remanente in pecunijs vſitatis in regione, non eſſet in poteſtate campſorum, efficere vt pariant, prout profitentur ſe facere ſupra vires naturæ in ſcutis *di marche*.

79 Conſidera inſuper illa verba *qua repertus eſt, & adinuentus modus, quo pecunia ipſa quodammodo conciperet, fructuſq; ederet*: Modus hic in quo quæſo conſiſtit niſi in nudis verbis? in cambijs pro nundinis, quid eſt aliud vltra cambia, quæ fiunt de loco ad locum, vbi non ſunt nundinæ, præter *ſcuti di marche. pagherete à voi ſteſſo, hò accettato, & pagato à me ſteſſo:* nuda autem verba efficere poſſunt, vt pecunia cõcipiat, ac pariat? cum verò Raphael dicat, cum maximo Reip. bono id fuiſſe inuentũ, neceſſe eſt, ad memoriam reuocare id, quod ipſe ſcribit diſput. 1. queſt. 3. num. 10. & 11. dum exponit damna, quæ orta fuerunt ex propagatione artis campſorum; *Hinc cætera mercimonia vel abſorpta, vel deprauata, quando cum ſumma ſortis in mercibus implicanda, lucrum cambij ſit computandum. Hinc pretia agrorum, & cæterarum rerum frugiferarum decreſcere, recepto more, quo pecunia fructificaret. Hinc humanæ induſtria, ac operæ precia vileſcere, & paupertas tenuiorum, cum ad rem familiarem augendam compendioſior inuenta ſit via. Hinc pecuniæ auctus in immenſum amor. Hinc deprauatus legitimus cambiorum vſus, varijſq; artibus ſpreta, vel eluſa æqualitas illa iuſtitiæ, in qua conſiſtit*: ad idem ſpectant, ea quæ ſcribit diſput. 3. quæſt. 12 n. 59. quæſt. 13. nu. 82. diſp. 1. q. 24. num. 15. verſ. & id quidem merito: Hæc autem damna inferente vſu cambiorum, quomodo dicere potuit, cum non ſine maximo Reip. bono fuiſſe inuentum? vnde hoc deſcenderit, conſiderent illi, qui in hanc materia velut probabiles proponent huius tractatus doctrinas, omiſſo earum examine.

80 Inquit deinde nu. 112. contra cambium, quod pro nundinis contrahitur, nullam militare mutui præſumptionem, cum tamen paucas ante clauſulas ſcripſerit: *cum (quod ferè ſemper accidit) ſcuti illi marcarũ è feria redeunt via noui contractus ad locũ, in quo celebratus fuit primus contractus*: ſi enim cambia pro nundinis ea intentione contrahuntur, vt ſoluantur re ipſa in nundinis, quomodo accidere poteſt, vt fere ſemper per recambium ſolutio conferatur in locum initi cambij? ſi in obſcuris id ſequimur, quod plerumq; accidit l. in obſcuris de regulis iuris, quomodo poſſumus negare, cambia huiuſmodi ſic iniri, vt re ipſa ſequatur ſolutio non in nundinis, ſed eo loci, vbi fuerunt contracta? hoc autem reddit ea vſuraria, vt oſtendi ex receptiſſima, & veriſſima ſententia num. 46 cum ſequent.

81 Explicat deinde Raphael nu. 114, & 115, quomodo ab iniuſtitia defendantur cambia, quæ ineuntur pro nundinis, etiam ſi æſtimetur ſcutus *di marche* minoris, quam valiturus ſit in nundinis; quia abundantia maior pecuniarum, quæ, dubio procul, exitura eſt nundinis, inæqualitatem adimit, quod velut verum admitto; inde tamen colligendo, iniuſtiſſimè coarctatum fuiſſe tempus aſſignatum ſolutioni horum cambiorum in pecunia numerata ad quatuor dies: nam in legibus harum nundinarum ſic cautum eſt nu. 1. *Che mentre ſi faranno le fiere in Italia, chi vorrà pagare di contanti, habbia termine giorni quatro à farlo dal giorno della accettatione, eſſo compreſo, che finiranno alla mezza notte del quarto giorno, & paſſati d. giorni quatro non poſſi più il debitore pagare di contanti, mentre, che troui à cambio.* Si dicimus, haſce nundinas fuiſſe inſtitutas, vt cambia non ſoluantur in pecunia numerata, congruit eorum fini, coarctare facultatem ſoluendi in pecunia numerata; & proinde, retento hoc fine, non fuit ſtatutum abſurdè, vt facultas ſoluendi in huiuſmodi pecunia reſtringatur ad quatuor dies. E contra verò dicendo, haſce nundinas ſic inſtitutas fuiſſe, vt cambia ſoluerentur in pecunia numerata, adeo abſurdè id ſtatutum fuit, vt ingentem inducat abſurditatem; quæ enim conuentio, aut lex vnquam reſtrinxit facultatẽ ſoluẽdi id, quod debet quis ſoluere intra quatuor dies, quando id vult facere iuxta modum conuentũ: adeas l. ſi inſulam 8. de verb. oblig.

82 Sub numero autem 10. hæc legimus, *il pagamento d'eſſi ſcuti di Marche debba eſſer fatto in ſcuti d'oro in oro della liga, e peſo, & delle cinque ſtampe*: Si hæ nundinæ inſtitutæ fuerunt, vt in ipſis ſoluerentur pecuniæ, quas ibi habent debitores, vel in locis proximis, vt ſatisfiat commutationibus pecuniarum inductis per cambia ſoluenda in ipſis;

vtiq; ſic debuerunt ſolutiones inſtitui, vt cambiẽtium deſiderio, & vtilitati ſatisfieret: ergo abſurdè fuit conſtitutum, vt ſolutiones fiant in quinq; ſpeciebus huiuſmodi aureorum, cum valde incommodum, plerunq; ſit, & damnoſum ijs, qui cambia inierunt, commutare pecuniam, quam habent in loco nundinarum, vel ei proximis locis, cum huiuſmodi aureis, nec vlla eſſet ratio vrgens id ſtatuendi, cum poſſit determinari valor ſcutorum *di Marche* iuxta valorem omnium monetarum vſitatarum; E contra autem non fuit abſurdè ſtatutum, retento eo fine, ob quem inſtitutæ fuerunt hæ nundinæ: nam contra intentionem campſoris, ſe cum vſu nundinarum conformantis, erat, vt ſolueretur cambium in pecunia numerata, & propterea non fuit abſurdum, iuxta huiuſmodi finem, difficilem reddere ſolutionem cambij in pecunia numerata, quod apprimè ſequitur, obligando campſarium ad ſoluendum in huiuſmodi aureis.

83 Hæc autem euidentiora reddit vſus harum nũdinarũ; nam in ipſis *ſolutiones, & exactiones pͬ rarò, & in parua quantitate fiunt in pecunia numerata; ſed plerunq;, ne dicam ſemper, & in longè maxima quantitate fiunt miniſterio nouorum cambiorum, quæ pro feria tunc proxima celebrantur*: ſunt verba Raphaelis diſput. 1. quæſt. 13. n. 37. & 38: concordat Duardus §. 1. q. 26. n. 8; quia ſcilicet vtilitas campſorum verè conſiſtit in nouo cambio, non autem in primo, vt idem teſtis eſt in eadem quæſt. nu. 123. verſ. & ſic quando, & diſp. 2. q. 27. nu. 8. Manifeſtum ergo eſt, harum nundinarum cambia ex ijs eſſe, quæ ſcriptores huius materiæ vſuraria dicunt; hoc eſt ex ijs, in quibus campſor putat, non eſſe ſecututam ſolutionem verè in eo loco, in quo fuit deſtinata; in his cambijs non fieri commutationem pecuniæ præſentis cum ea, quæ exiſtit in loco ſolutionis faciendæ, vel ei proximo, in quo conſiſtit eſſentia iuſti cambij, vt oſtendi n. 7. cum ſeqq.: Quod verò ſcribit Raphael diſp. 1. quæſt. 27. num. 24. reſpicit eos, qui monopolia faciunt delata ad nundinas ingenti aureorum quantitate, & ideo non poteſt ſatisfacere huic dubitationi, ſi cãbia fuerunt inita, vt ſoluerentur in pecunia numerata, quia id nõ tendit ad ſatisfaciẽdũ cambijs.

84 Non eſt prætereũdum id, quod ſcribit Raphael diſput. 2. q. 21. nu. 13. dum ait. *In ferijs, Bancherij tantum poſſunt tractas, aut remiſſas acceptare, ſoluere, & exigere reſpectiuè*: Si enim is, qui eſt debitor cambij nundinalis, habeat ſuas pecunias apud eũ, qui non exercet hanc artem, cur ei vetatur inſcribere ipſi literas cambij?

85 Hæc ſunt, quæ adeo efficaciter aduerſantur cãbio nundinali, vt non videam rationem, quæ poſſit probabiliter deducere ipſum ad regulas iuſtitiæ: quæ, etiam ſi eſſent ante oculos Raphaelis, non dubitauit tamen, de eo hæc ſcribere, hunc cõtractum, *iuſtiorem eſſe, ac tutiorem quolibet alio contractu, qui in hominum commercijs exerceri poſſit, ac valeat, ſi tamen ritè, ac rectè celebretur, & quatenus præcisè ratio contractus cambij attendatur*; quid aliud autem eum impulit ad proponendam aſſertionem adeo abhorrẽtem ab vniuerſo Doctorum, ac piorum virorum ſenſu, præter nimis anxium deſiderium defendendi ea cambia, quæ in nundinis ſunt ſoluenda? quippe qui ſuas pecunias in ipſis exercuit, vt intelliges ex ijs, quæ ſcripſit in quęſt. prima tertiæ diſput. n. 14. in clauſula intremuit: caueant ergo ſectatores probabilium doctrinarum, ne ſuſcipiant velut probabiles proprias tractatus huius doctrinas.

86 His expoſitis, erit vtile, ea argumenta proponere, ex quibus cognoſcitur in foro externo, putauiſſe campſorem, non eſſe ſecuturam numerationẽ in nundinis: de quo tamen ridebunt campſores, cum apud eos exploratiſſimum ſit, nullum ex cambijs, quæ fiunt *con la ricorſa*, expectare numerationem pecuniæ in nundinis: Præmitto, ea quæ in animo conſiſtunt, coniecturis probari ſolere, quod præcipuè obtinet in materijs vſurarijs; in illis enim prudens Iudex admittit coniecturas, quæ alias non admitterentur; propterea quod fœneratores calidiſſimè ſolent ſuas impoſturas abſcondere, vt poſt alios tradunt *Alex. conſil.* 54. *nu.* 2. *lib.* 3. *Curt. Iun. in l.* 2. *§. mutui datio nu.* 23. *verſ. poſtremò ff. ſi cert. pet.* vbi dicit, ad conuincendum contractum vſurarium ſatis eſſe, allegare id quod communiter accidit. *Tiraquell. in præfat. tract. de retract. conuentionali n.* 36, 37, *&* 38, *Crauett. conſ.* 73. *nu.* 7, *Menoch. de arbitrar. caſu* 247. *conſil.* 109. *nu.* 7. *conſ.* 1183. *nu.* 10, *Gabr. conſ.* 74. *nu.* 5. *lib.* 1. *Maſcardus concluſ.* 1398. *vbi latiſſimè, Becc. conſ.* 52. *à nu.* 41. *ad nu.* 43. *vbi latè comprobat, Decian. conſ.* 103. *à nu.* 7. *lib.* 2. & in materia cambiorum quod vſura probetur ex coniecturis, docet *Burſat. conſ.* 399. *nu.* 31, *& nu.* 46. *ad finem*, vbi dicit, leuiores ſufficere coniecturas, quia res occulte geritur. *Cauatius de Cambijs tit. de recipiente in loco à quo col.* 3. *ad finem verſic. ſuſpicio falſitatis*, vbi ſcribit, in cambijs ſuſpicionem ſimulationis pro ſimulatione haberi, & in prælud. col. 15. ſcribit, leues coniecturas ad hunc effectum ſufficere, *Bec. conſ.* 213. *nu.* 12, 13, 14, *&* 15. *latè confirmat, & nu.* 49. *lib.* 2. *vbi nu.* 75. *in fine, & nu.* 76. docet, quod ſi dubia fuerit veritas cambij, in dubio debet iudicari ſimulatum, quod repetit *nu* 102. *in fine, & nu.* 103: Cum qua doctrina concordat Molſeſius in ſecunda parte ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. nu. 92, vbi ſcribit, quod cambia ordinariè continent ſuſpicionẽ vſurarum, niſi conſtet clarè de eorum realitate propter varias fraudes committi ſolitas à campſoribus, & per hoc de facilè eſſe pręſumẽda ſicca.

87 Et in ſpecie noſtra, quod ad probandam ſcientiam campſoris, campſarium non eſſe ſatisfacturum ſuo tempore literis cambij, ſufficiant coniecturæ veriſimiles, probat *Molina de contractibus diſputatione* 404. *nu.* 7. *verſ. neq; hoc ſolum*, vbi ſcribit, quod ſi ex coniecturis apparuerit, campſorem ſciuiſſe, vel ſcire debuiſſe, campſarium non eſſe ſatisfacturum litteris in loco deſtinatæ ſolutionis, debere Iudicem in foro externo eum veluti vſurarium condemnare, concordant *Reginaldus in praxi fori pœnitentialis lib.* 25. *nu.* 159. *verſ. quod ſi mala fide, Io. de Salas de cambijs dub.* 15. *nu.* 1. *verſ. tametſi in externo*.

88 Secundò præmitto, quod ars campſoria per ſe præ ſe fert ſpeciem mali, & proinde opus eſt, vt ex fine campſoris honeſtetur, vt ſcribunt *Sotus de Iuſt. & iur. lib.* 6. *q.* 8. *artic.* 1. *in concluſione, Salon. diſputatione de cambio q.* 1. *artic.* 2. *nu.* 6. *& ante ipſos Caietanus de cambijs c.* 5. *Bannes* 2 2. *de Iuſtitia q.* 78. *art.* 4. *poſt principium verſic. authore Caietano*:

& omnes

& omnes concordant vnd.: Cauatius de cambijs in prælud. col. 23. poſt fratrem Hieronymum Lucenſem benè admonet, cambium reddi turpe commercium, quoties ex eo aliqua praua ſuſpicio oritur; cum enim omnibus notum ſit, mutuũ ſæpe ſpeciem cambij induere, certiſſimum eſt, campſorem famæ periculum ſubire, quando init cãbium, quod ſecundum corticem iniuſtum eſt; nã ſpecies mali, quam præ ſe fert, omnibus facilè innoteſcit, cauſa autem excludens vſuram perpaucis nota eſt; & conſequenter ex huiuſmodi cambijs certiſſima oritur campſoris diffamatio, vt cõſiderat *Medina de rebus per vſuram acquiſitis quæſt. 9. in fine verſ. habet vltra*: Hoc autem cum non curent multi ex profeſſoribus huius artis, adeo malam de ipſa peperunt opinionem apud populum, vt apud eum malè audiant omnes campſores vt ſcribit *Sotus de iuſtit. & iur. lib. 6. q. 12. art. 5. ante primam concluſionem*, concordant *Mercatus de contractibus tit. de cambijs c. 1. n. 7. Salon. d. diſput. de cambio q. 1. artic. 2. nu. 5. verſ. habet tertiò hic vſus*, vbi ait, apud populum, cuius vox dicitur vox Dei, campſorem idem eſſe, quod prauum negotiatorē.

89 Tertiò præmitto, quod campſores, quibus curæ eſt bonum nomen, diligentiſſime ſtudent, vt ſua cambia vndequaq; nitidiſſima ſint; cum enim ſciant, huiuſmodi artem malè audire apud homines, facilè intelligunt, ſibi opus eſſe accuratiſſimo ſtudio, vt omnes intelligant, ipſos ab ea prauitate vſuraria abeſſe, quæ pleriſq; campſoribus vulgo aſcribitur, *qui enim tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit ſuperbo induet ſuperbiã, vt legimus Eccleſiaſtic. c. 12. & Pſalmo 17. dicitur cũ ſancto ſanctus eris, cum peruerſo peruerteris*; qua de cauſa receptum eſt, vt quis malus præſumatur eo genere mali, quo notantur ij, cum quibus conuerſatur, vt poſt alios tradit *Menoch. lib. 1. de præſumpt. q. 89. nu. 125. & alij paſſim*. Dum itaq; apparet, aliquem campſorem ea inire cambia, quæ ſpeciem habent cambiorum ſiccorum; euidens eſt, huiuſmodi campſorem non eſſe ex ijs, quibus curæ ſit bonum nomen; & proinde de ipſo veluti de homine auaro iure ſuſpicamur; ſcriptum eſt enim à Salamone prouerbiorum c. 41. *curam habe de bono nomine: Hoc enim magis permanebit tibi, quam mille theſauri pretioſi, & magni*.

90 Et conſequenter aduerſus ipſum facilè admittimus eas coniecturas, quæ in homine bonæ famę negligerentur; ad probandum enim contractum vſurarium, plurimum vrget qualitas eius, qui fecit contractum, de quo diſceptatur, *Cępolla de ſimulat. contractuum nu. 72. Menoch. lib. 3. præſumpt. 122. nu. 101. & 102.*

91 Quartò, præmitto, in hac materia idem eſſe, quod campſor credat, campſarium non eſſe ſatisfacturum litteris cambij, vel quod de hoc ſuſpicetur, vt in puncto ſcribunt *Fabianus Genuenſis de cambijs in initio, nu. 47. Nauar. in Manuali c. 17. nu. 299. Rebellius de oblig. iuſt. lib. 11. q. 6. n. 11. vbi teſtatur de communi, Salon. de iuſtit. & iur. de cambio q. 4. controuerſ. 7. nu. 3. verſ. dixi oportere, & controuerſ. 9. nu. 5. & artic. 4. contr. 3. n. 4. verſ. hac concluſio, Lopez de contractibus lib. 2. c. 14. col. 3. verſ. iam ad ſolutionem, Cauat. de cambijs tit. de vſura col. penultima verſ. an ille qui dubitat*.

92 Cum enim huiuſmodi dubium ſit practicum, parit malam conſcientiam eo modo, quo faceret ipſamet ſcientia, vt declarat *Conar. de præſcript. p. 2. §. 7. n. 4. verſ. his rationibus, & de ſponſalibus p. 2. c. 7. §. 2. n. 10*: is enim qui dubitat, debet rei veritatē quærere, cum id fieri poteſt, vt *per Iaſ. in l. ſi per errorem nu. 16. ff. de iuriſdict. omn. iud. Odd. de reſt. in integrum q. 8. à num. 48. Surd. deciſ. 265. num. 47. & 48*; & conſequenter ad effectum de quo agimus, ſatis eſt, extare coniecturas, per quas appareat, debuiſſe campſorem ſuſpicari, campſarium non eſſe litteris ſatisfacturum in loco deſtinatæ ſolutionis: ſicq; ſentiunt Doctores allegati ſupra n. 46.

93 Cum verò dupliciter poſſit Campſarius ſoluere pecuniam deſcriptam in literis cambij; ex pecunia nempè, quam habet tunc temporis in loco deſtinatæ ſolutionis, locisuè proximis in numerato, vel in nominibus; vel ex pecunia, quam licita aliqua ratione ſperat, ſe acquiſiturum eſſe ante aduentum temporis ſolutionis faciendæ; rem diſtinguam in duo capita, vt euidentior appareat mala campſoris fides.

94 Et quod pertinet ad primum, nempè ad pecuniam numeratã, vel in nominibus; quod campſor pro explorato haberet, debitorem non habuiſſe tempore facti cambij in promptu pecuniam, inde patebit, quod ſi eam habuiſſet, voluiſſetq; traijcere ad locum initi cambij, facilè per id feciſſet; nũtiũ fidum, & proinde incredibile eſt quod omiſſis facillimis hiſce rationibus traijciendæ ſuæ pecuniæ, illam eligerit, quæ difficilis erat, accipiendo nempè tantumdem ſub cambijs: hoc autem erit euidentiſſimum, ſi eum oportuerit inuenire fideiuſſorem notæ inter campſores fidei, quod difficilè admodum eſſe in quantitate magna, nemo eſt, qui non intelligat.

95 In primis perſonam conſiderabimus debitoris cambij, qui alienus erat à mercatura; rariſſimè .n. accidit, vt is qui nõ eſt mercator, vel campſor, extra patriam poſſit egregiam pecuniæ quantitatem inuenire; & conſequenter inueriſimillimum eſt, vllum campſorem adeò ſimplicem eſſe, vt id credat, niſi aliqua appareat circumſtantia, quæ adeò efficaciter hoc ei perſuadeat, vt certam hac de re concipiat ſententiam; experientia enim eſt rerum magiſtra, atq; ita in puncto docuit *Sotus de iuſtit. & iur. lib. 6. q. 13. artic. 1. in tertia concluſione verſ. ſciunt*, vbi ſcribit, campſores, qui contrahunt cum ijs, qui non habent vnde ſatisfaciant litteris cambij in loco deſtinatæ ſolutionis, in dubio pręſumi ſciuiſſe huiuſmodi impotentiam, *& q. 10. artic. 1. in documento verſ. aiunt tamen campſores*, ſcribit, campſores contrahentes cum ijs, qui non exercent mercaturam, vel artem campſoriam, vſurarios eſſe, niſi interrogent, qua ratione ſint ſatisfacturi litteris cambij in loco deſtinatæ ſolutionis; quia ſtatim ac campſor ſcit, campſarium non eſſe mercatorem vel campſorem, à communiter accidentibus intelligit, eum non habere, vel habiturum nõ eſſe in nũdinis, vnde litteris cambij ſatisfaciat, concordant *Maſtrill. deciſ. 303. n. 7. verſ. nihilominus, Beccius conſ. 213. nu. 53. lib. 2. Cauat. de cambijs tit. de dante col. 3. in principio, verſ. præſumitur contra dantem, & col. vltima verſ. ego autem, & tit. de probat. in principio, & tit. de actionibus in principio, & tit. de vſura col. 4. Salon. in diſput. de cambio q. 4. ante controuerſ. 8. verſ. ad alteram argumentum*,

vbi

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

vbi dicit, campſarium ad effectum de quo agimus, eo demum caſu habere in nundinis, vt vulgò dicitur, credito, quando ſolitus eſt habere in ipſis pecunias vel merces, *Peguera deciſ. 33. nu. 3. verſ. & quod nunquam fiat talis realis tranſmiſſio*, vbi ex eo arguit cambium vſurarium, quod campſuarius nõ ſit negotiator, nec ſolitus habere in nundinis inſtitores vel merces: *idem docent Salon. de cambijs artic. 4. contr. 3. nu. 3. in fine, & artic 2. contr. 14. nu. 10. Molina de contract. diſp. 404. nu. 6. verſic. Doctores, Llamas in inſtruct. confeſſar. p. 3. c. 10. §. 50. col. 2. verſ. eſt huius ſpeciei.*

96 Probatur hæc doctrina ex eo quod experientia quotidiana oſtendit, eos de quibus agimus, nunquam vel rariſſimè in nundinis litteris cambij ſatisfacere; eſt autem receptũ, eſſe ſatis in ijs, quæ ſunt difficilis probationis, probationem concludere ſecundũ id quod communiter accidit, quod latè exornat *Iaſ. in l. non hoc nu. 15. verſ. ſecundò limit. C. vnde legitimè*; quò adminiculo mercatores ſe ſe tueri conſueuerunt in exigenda cõpenſatione lucri ceſſantis; eorum enim fautores ad probandam quantitatem lucri amiſſi, contendunt, ſatis eſſe, probare, quod mercatores illius qualitatis, cuius eſt ille, de quo agitur, communiter lucrati fuerint hanc vel illam quantitatem pecuniarum, etiam ſi Iuſtin. in l. vnica C. de ſententijs, quæ pro eo, quod intereſt profer. diſertis verbis ſanxerit, *illud lucrum ceſſans eſſe ſolummodo conſiderandum, quod Iudex per ſuam ſubtilitatem re vera amiſſum fuiſſe comperierit*; per hanc inquam rationem hoc admittunt fautores Mercatorum, vt latè poſt alios deducunt *Cagnol. in l. vnica nu. 42. cum ſequentibus C. de ſentent. quę pro eo, quod intereſt profer. in l. curabit à nu. 67. C. de act. empt. & vendit. Lupus de vſuris commentar. 1. §. 6. nu. 117. verſic. alij hanc facilem probationem. Surd. deciſ. 259. nu. 8 & 9. & de alim. tit. 1. q. 45. nu. 43. cum ſequentibus, Scaccia de cambijs §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. nu. 225*: quod autem campſor in foro exteriori debeat puniri pœnis fœneratorum, ſi ſic contraxerit cambium vt præſumatur ſciuiſſe, vel erant eiuſmodi circunſtantiæ, vt ſcire deberet, non habere pecuniam, nec perſonam, quæ ſolueret cambium in loco deſtinatæ ſolutionis, docet Molina diſp. 404. in fine verſ. neq; hæc ſolum; quia neceſſe eſt, vt prudenter credat, debitorem eſſe numeraturum pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis, vt docet P. Candidus diſquiſ. moralium p. 1. diſquiſ. 20. §. 11. dub. 1, vbi dicit, hoc pronunciatum eſſe certiſſimum, & extra omnem controuerſiam; & in dub. ſeq. docet, campſarium deſiſtere debere à cambio, ſtatim ac probabiliter nouit, debitorem nõ habere vnde ſoluat cambium in nundinis: cõcordant Salon. de cãbijs quæſt. 4. artic. 12. contr. 14. nu. 4, & contr. 7. n. 3. vbi dicit, ſatis eſſe, quod de hoc ſit dubius: Nauarrus conſ. 31. tit. de vſuris nu. 4. verſ. tum quod, Barth. à S. Fauſto in ſpeculo confeſſar. p. 1. diſp. 9. q. 18. in fine verſ. hanc nummularius.

97 Quod verò habeat debitor redditus ſuorũ prędiorum, vt campſor hinc poſſet cauſam idoneam habere id credendi, duo conſtare oportet, primò tunc temporis habuiſſe tot ex fructibus dictorum ſuorum prædiorum, vt ſatis eſſent comparandæ pecunię, de qua agimus; ſecundò, quod ea eſſet temporis conditio, vt ei magis vtile eſſet, dictos reditus tunc vendere, quam opportunius tempus expectare; Cum autem vtrumq; in facto conſiſtat, non eſt dubium, ad eum pertinere onus probandi, qui id allegauerit l. 2. ff. de probat.; & ſi id probaretur, non ſuffragaretur, cum nõ poſſit inde certam colligere rationem exiſtimandi, debitorẽ eſſe ex dicta pecunia ſatisfacturum litteris cãbij.

98 Multò minus obſtat id, quod affertur ex Scaccia q. 6. gloſſ. 1. num. 64. nempè ſatis eſſe, quod campſarius poſſit aliqua ratione, aliundè acquirere pecuniam neceſſariam pro ſolutione facienda; nam inquit Scaccia, quis eſt ille, qui poſſit diuinare, quod nemo alius ſit ei crediturus, cui ipſe credit?

99 Quia in promptu replicatio eſt, quod ſpes huiuſmodi debet eſſe veriſimilis, vt docent Doctores, quos recenſui nu. 46; alioquin latiſſima patebit via campſoribus exercendi cambia cum ijs, quos ſciunt, non eſſe in nundinis ſatisfacturos litteris cambij; ſi enim indiſtinctè ijs licet dicere, credebam, eum inuenturum eſſe aliquem, qui ipſi pecuniam numeraturus eſſet, fruſtra DD. ſcripſerunt, cambia eſſe ſicca, quando campſor credidit, campſarium habiturum non eſſe vnde litteris cambij ſuo tempore ſatisfaciat.

100 Et licet campſarius idoneus ſit fide, & facultatibus in patria, non propterea veriſimile eſt, eum in nundinis reperturum eſſe campſorem, qui pecuniam numeraturus ſit ſine fideiuſſione; experientia enim quotidiana oſtendit, rarò reperiri campſorem, qui ſine fideiuſſione ei credat pecuniam, qui non ſit campſor, aut mercator, niſi ex pecunia ipſius penes ſe tantundem habuerit; quod verò is, qui non exercet mercaturam, in nundinis fideiuſſorẽ, ad effectum de quo agimus, idoneum reperiat, adeò rarò contingit, vt nimia ſimplicitas ſit, aſſirmare, campſorem indè colligere occaſionem credendi, campſarium eſſe in nundinis litteris cambij ſatisfacturum: & proinde rectiſſimè confutatur illa conſideratio Scacciæ, quod campſor non eſſet crediturus ſuam pecuniã campſario, ſi putauiſſet, eum non eſſe idoneum fide, & facultatibus; nam campſori ſatis ſuperq; fuit, eum in patria eſſe locupletem, imò ei expediebat, vt in nũdinis neminẽ haberet, qui dictam pecuniam numeraret.

101 Eandem Campſoris ſcientiam euidentiſſime probant renouationes cambiorum; ſtatim enim ac campſor ex euentu cognouit, debitorem nec in nundinis, nec in loco, quo fuit initum, ſatisfacere poſſe litteris cambij, nonnè intellexit, eum non habere vnde litteris cambij ſatisfaceret? cur ergo cambium nouum cum eo toties init? non poteſt alia ratio allegari, quam quia ipſe nõ curabat, quod campſarius haberet, vnde litteris cambij in tẽpore ſatisfaceret, atque ita in puncto ſcribunt *Cauat. in præludijs ſæpius allegati tractatus de cambijs col. vltima verſ. Septimò illud etiam, & col. 13. verſ. vndecimo in fine, Beccius conſ. 213. nu. 57. cum ſequentibus lib. 2. vbi teſtatur, Doctores damnare orbiculares huiuſmodi cambiorum renouationes. cõcordant Mercatus in inſtructione negotiatorum c. 7. nu. 4. tit. de cambio*, Salon de cambijs artic. 4. contr. 3. nu. 4. artic. 2. contr. 14. num. 10 Romualdus Coli de cambijs c. 14. verſ. la quarta violenza,

Iuſtin.

Iuſtin. de contin. campſor. q. 2. nu. 9. & ſeqq. Duardus de camb. §. 1. quæſt. 12. nu. 16.

102 Pius IV. in ſua conſtitutione aduerſus campſores lata, de qua Lupus de vſuris commentar. 3. § 2. nu. 68. in illis verbis, *Pecunias vt præmittitur acceptas eiſdem mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes, maxima cum illorum iactura ad eorundem mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt, recambiare coacti*, idem clarem docet: Hanc enim conſtitutionem agere de eomet cambiorum genere, de quo nos agimus, ex eius verbis manifeſtum eſt: quod enim agat de cambijs initis cum ijs, qui nec campſoriam artem, nec mercaturam exercebant, patet ex illis verbis: *Vt plurimi dictæ Vrbis Curiales hac neceſſitate coacti eaſdem pecunias ſub tam graui fœnore accipientes*. Quod verò fuerint renouata cambia propterea quod campſarij non ſatisfecerant litteris cambij, ex allegatis verbis manifeſtum redditur, ergo idem genus prorſus cambij erat.

103 Quod ſi dicatur, nõ apparere, cãbia eo modo ipſos iniuiſſe, quo fit cambiũ, de quo agimus, ſcribendo litteras cambij ad inſtitorem campſoris, in promptu replicatio erit, facile fuiſſe dictis campſoribus huiuſmodi formam obſeruare, cum campſarijs nihil referat, litteras cambij ſcribere ad inſtitorem campſoris, vel ad alium; & proinde hac admiſſa interpretatione, euidens eſt, Summum Pontificem legem verbis dediſſe, nõ rebus; & conſequenter manifeſtum eſt, loqui Summum Pontificem aduerſus renouationem cambiorum, de qua nos agimus.

104 Quod autem campſor debeat ceſſare ab ineundis cambijs cum eis, quos videt, non habere pecuniam, ex qua ſatisfaciant cambij iam initis, docẽt multi Doctores apud Io. de Salas de cambijs dubio 15. Mercatus de cambio c. 7. num. 4. Romualdus Coli in ſimili tract. c. 13. propè finẽ, Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. 5. num. 24. Diana tom. 1. tract. 8. reſolut. 14. P. Candidus diſquiſit. moralium p. 1. diſq. 20. artic. 6. dub. 5. artic. 11. dub. 3. Trullenchius ſuper Decalogo p. 2. lib. 1. c. 22. dub. 6. nu. 9. Cauatius de cambijs tit. de dante verſ. quæro Antonius. Card. de Lugo de iuſt. & iure tom. 2. diſp. 28. ſect. 7. nu. 79.

105 Nec dictis negotium faciunt ea, quæ in contrarium ſcribit Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 17. nu. 26. dum ait, ſuperuenientem malã fidem nõ debere huic contractui nocere eò modo, quo mala fides ſuperueniens non nocet præſcriptioni; quia latum eſt inter hæc diſcrimen; mala enim fides in præſcriptione eo tempore ſuperuenit, quo ius quæſitum fuit præſcribenti completa iam præſcriptione; in his autem cambijs mala fides ſuperuenit eo tempore, quo renouatur cambium iuxta ea quæ explicat ipſemet Scaccia §. 1. q. 5. nu. 93. & conſequenter huiuſmodi fundamentũ præteritis cambijs ſolum conuenit, futuris autem cõuenire non poteſt, etiam ſi Scaccia eo vtatur reſpectu cambiorum deinde ineundorum, vt patet ex eius verbis loco allegato in principio: Vbi verò campſarius re ipſa oſtendit, ſe non habere in nundinis, qui litteris cambij ſatisfaceret; quia ſemel iterumq; inanes à nundinis redierunt, euidens eſt, quod omnis adimitur occaſio exiſtimãdi, eum poſſe in nundinis pecuniam ad id neceſſariam ab aliquo campſore corradere, etiam ſi apparens aliqua cauſa contrariũ ſuaderet; & proinde à ſenſu communi abhorret, campſorem non dubitauiſſe, an campſarius eſſet in nundinis litteris cambij ſatisfacturus: huiuſmodi autem dubitatio cambium vſurarium efficit vt ſupra probaui num. 46.

106 Quod ſi opus fuerit fideiuſſore, vt campſor iniret cambium, aliqua alia interueniente coniectura non leui, erit euidens, quod cãpſor ſuſpicatus fuit ne pecunia ſolueretur in nundinis: Etiã ſi enim, per ſe, non euertat cambium, exactio pignoris vel fideiuſſoris, ſecus tamen eſt, quando præbet arg. ſuſpicionis practicæ campſoris, non eſſe ſecuturam ſolutionem pecuniæ in nundinis: Hoc autem claré ſignificabit, vt cætera omittam, ſi difficile fuerit debitori cambij, inuenire fideiuſſorem, & facile erat ex loco nundinarum, ſi ibi habebat pecuniam neceſſariam ad ſoluendum cambium, curare, eam ad ſe deferri; cur enim credamus, aliquẽ omittere modum faciliorem pecuniam ſuam habendi, vt eligat difficiliorem? ſi autem euentus docuerit, non habere eum in nundinis pecuniam, & in inſtrumento fideiuſſionis, mentio facta fuerit cambiorum, & recambiorũ, id erit indubitatum; de hoc enim non agi, dum ineuntur cambia cum perſonis, quæ ſuſpicione carent, experientia docet: Coniungendo itaq; ſequentia cum antecedentibus, nullus bonus iudex reuocaturus eſt in dubium, campſorem tempore initi cambij, grandem ſuſpicionem habuiſſe, vt leuiſſime dicam, ſolutionem pecuniæ non eſſe ſecuturam in nundinis.

107 His addendum eſt, omnes contractus habere ſuam materiam propriam ſic diſpoſitam, vt ſit apta conſequi finem proprium contractus, qui ſit vt oſtendi ſupra lib. 3. c. 1. nu. 1. cum ſeqq.; forma enim nõ poteſt introduci in materia malè diſpoſita: Materia autem permutationis debet eſſe parata, quia permutatio fuit introducta pro ijs, qui volunt comparare rẽ, quã deſiderant, mediante alienatione rei, qua abundant l. 1 in principio de contrah. empt.: Si quis autem non habens paratam materiam permutationi, interpellaret aliquẽ ad permutandum, vtiq; debet explicare, quid ſit id, quod vult permutare; quod ſi id nõ expoſuerit, vtiq; credendum eſt, id poſtulari ab eo, quẽ prouocat ad permutandum l. qui cum alio de reg. iuris: negligentia enim magna eſſet, tractare de permutanda ſua re cum ea, cuius qualitates ignorat: negligentia autem non præſumitur iuxta cõdoctrinam de qua Maſcardus concluſ. 1088. Felinus in c. ſi autem 9. nu. 3. cũ ſeq. de reſcriptis.

108 Cum verò per interrogationes opportunas facile intelligatur, an habeat paratam rem deſtinatam permutationi, debemus in dubio affirmare, id alterũ intellexiſſe l. in obſcuris de reg. iuris; Poſita autem notitia, quod ea res non ſit parata traditioni, illico intelligit, eum non habere materiam permutationi congruentem; ideoq; campſor ei dicet, mi homo non eſt, quod agas de permutando, tibi tractandum eſt de mutuo ineundo, ſi tractetur de rebus capacibus mutui: Tunc autẽ ille replicabit, ſi tuam rem mutuam mihi dederis, gratiſſimum mihi erit: eo autem non perimente negotiationem, alter intelliget, ipſum à mutuo nõ

eſſe

eſſe alienum, & prout putat, eum procliuem eſſe ad fœnus, vel beneficentiā, ſic ſecum tractat de perficiendo mutuo. Vbi autem apparet, eos non ſuo nomine contractum vocauiſſe, dicimus, qui male agit, odit lucem: & proinde rectè dicimus, aliud eos egiſſe, aliud ſimulauiſſe:

109 Hęc autem applicando cambio inito cum eo, qui non negotiatur in nundinis, campſor, ſi eiua mentis erit, vt cambium ſoluatur in pecunia numerata in ipſis, illico eum interpellabit, habes ne pecuniam paratam in nundinis, aut loco proximo; eoq; affirmante, quæret apud quem illa ſit, ſi autem negauerit, aut pecunia huiuſmodi non ſit parata numerationi, dicet, amice non habea pecuniam permutationi aptam, ſed mutuo: Ille autem, qui indiget pecunia, reſpondebit, mutuam à te pecuniam accipiam, cum nihil mihi referat, vti nomine cambij, vel mutui, nam idem effectus, quantum ad me ſpectat, oritur: ſi itaq; contrahetur cambium, quis inficiabitur, mutuum ſub nomine cambij fuiſſe initum?

110 Dicendo autem, quod cambium ſit contractus emptionis, & venditionis) quod tamen iuris ratio non poteſt pati, vt oſtendi ſupra n. 19. & ſeq.) an hęc ratiocinatio procedat, videamus: Ementis finis eſt, mediante pecunia certam comparare rem l. 1. ff. de contrahend. empt.; certam inquā largè, quatenus compræhendit iactum retis, captum ferarum, fructus naſcituros. Ergo is, qui dubitat, ne venditor, ſuo tempore ſit traditurus rem, non poteſt induci ad contractum hunc ineundum, quia omne agens agit propter finem: ergo emptio ſemper ſupponit in emptore, quod quærat, an venditor ſibi ſit rem emptā, ſuo tempore, traditurus; quod enim actio ad intereſſe ei cōcedatur, ſi res non fuerit tradita, non venit per ſe, ſed per accidens; hoc eſt, ſi non potuerit rem tradere venditam iuxta ſententiam receptiorem, ac veriorem, quā expoſui ſupra hoc libro c. 7. Dum ergo emptor interrogat venditorem, vbi nam ſit res, quam vult vendere, illico intelligit, an ſit parata venditioni; cum autem videat, eam non poſſe tradi tunc, dicet, bone vir, non eſt tractandum de vendenda ea re, quæ non eſt traditioni parata: illo autem replicante, ſe indigere precio, triplicabit, tu ne vis precium rei, quæ non eſt, & conſequenter æſtimari non poteſt? illico verò ille dicturus eſt, ſi mutuas pecunias inuenirem, illas lubenter acciperem; ergo ſuis rebus congruit mutuum, non autem venditio rei, quam paratam non habet traditioni; ſi ergo emptio ſic ſecuta fuerit, vt non conueniat contractus cum regulis ipſius, facilè erit exiſtimandum, numerationem precij ante tempus ſecutam, mutuum ſapere, non autem ſinceram precij numerationem.

111 Dicam clarius, vbi ſunt multi emptores rerum nondum aptarum traditioni, venditiones veras contrahi poſſe ante tempus traditionis, experientia docet, & iuris ratio euincit, quia multi ſunt, qui verentur ne ſibi deficiat occaſio eas res emendi: Vbi autem hoc accidit, partem precij non modicam numerari ante tempus abſq; fraude, accidere facilè poteſt: Vbi autem venditor adit emptorem, non cogitantem de emenda re, quæ traditioni non eſt parata, emptorem gratis numerare precium ante traditionem, hoc eſt ſine magna cauſa, perrarum eſt, & proinde non eſt præſumendum l. in obſcuris 115. de reg. iuris: Si itaq; dicimus, cambium continere emptionem ſcutorum *di marche*, exponenda eſt cauſa, cur campſor eorum precium numeret, ſi putet, non eſſe ſoluēdos in nundinis: ſcimus.n. campſores nō eſſe faciles in tradendis ſuis pecunijs, eoſq; in ineundis cambijs conſiderare, quantum diſtent dies nundinarum, & grauiora, plerunq; eſſe cambia, quo plus temporis intercoſſurum eſt inter diem initi cambij, & nundinas.

112 Dicent campſores, ſuus inſtitores eſſet vſurum ſcutos *di marche*, dum acceptatis litteris cambij, notabunt in libris negotiationis, ſe ſibi ſoluiſſe illud cambium: Verum ab ipſis poſtulabo, an hi ſint illi ſcuti *di marche*, quos emit? negabunt vtiq; cum ij, iuxta morem campſorum ſint ſoluendi in ſcutis aureis *delle cinque ſtampe*, aut alijs monetis à conſuetudine determinatis: Quod ſi campſor tempore initi cambij putauiſſet, in ſolita moneta ſoluendos eſſe ſcutos, quos emit, dici poteſt, id per accidens venire contra voluntatem campſoris, qui ex duobus malis minus eligit: Vbi verò ſciebat, hoc euenturum eſſe, quis dixerit, eum cambium iniuiſſe, vt haberet ſcutos, quos emit, cum ſciret, eos non eſſe tradendos? Euidens ergo eſt, eum in cambio ineundo non habuiſſe hanc mentem, vt ſcutos illos emeret, ſed vt conſequeretur eam vtilitatem, quam ſibi allaturum eſt recambium: ergo non habuit animum emendi, ſed mutuandi.

113 Ex dictis autem ſeparantur à noſtra quæſtione emptiones lanarum Hiſpaniæ, & frumentorum Siciliæ ſecutæ cum anticipata ſolutione precij; vt enim cætera prætercam, intentio emptorum dirigitur in lanas, & frumenta, quæ emunt, cum ſciant, facile eſſe venditoribus, habere ſuo tempore id, quod ſibi vendunt ob ingentem harum rerum abundantiam; & proinde dici non poteſt, emptorem dubitauiſſe, ne ſequeretur ſolutio, ſicut de campſore dicimus: vtilitas etiam emptorum lanarum, & frumentorum conſiſtit in traditione rerum, quas emerunt, cum tamen in cambijs vtilitas conſiſtat in omiſſa traditione ſcutorum *di marche*.

114 Cum verò ad detegendos contractus in fraudem vſurarum ſimulatos, coniecturæ eò magis vrgeant, quò veriſimilitudini magis congruunt, quia in hac materia veriſimilitudo inſpicitur, vt notant *Crauetta conſ.* 156. *nu.* 9. *conſ.* 491. *nu.* 21. *Decianus conſ.* 62. *à nu.* 72 *lib* 3. *Manentus conſ.* 89. *nu.* 18. *Farinac quæſt.* 162. *nu* 215. *Coccinu decif.* 202. *nu.* 1. *Mantica decif.* 325. *nu.* 2. *Rota decif.* 128. *nu.* 8. *apud Cencium de cenſibus, apud Burattum decif.* 361. *nu.* 9. Conſequens eſt, allegatas coniecturas eò efficacius perſuadere, campſorem putauiſſe, non eſſe ſecuturam ſolutionem in nundinis, quò reddent inueriſimilius, debitorē cambij eſſe curaturum, vt cambio ſatisfieret in nundinis per numerationem pecuniæ: Hoc autem deducendum erit ex qualitate perſonæ campſarij, ex quantitate debiti, ex breuitate temporis, & ex alijs circunſtantijs.

115 Ex qualitate perſonæ eius deducetur, ſi tractetur de aliqua vniuerſitate, puta oppido, aut Ciuitate, quæ contrahat cambium ſoluendum in nundi-

nundinis; Cum enim rariſſimè accidat, ſimiles vniuerſitates habere pecuniam in nundinis actu, vel potentia proxima, vtiq; debet campſor allegare cauſam, ex qua deduxerit opinionem, in nundinis ſoluendum eſſe realiter huiuſmodi cambium: in obſcuris enim id ſequimur, quod veriſimilius eſt, aut plerunq; fit l. in obſcuris 115. de reg. iuris; & efficaciſſimum eſt argumentum ad detegendam ſimulationem in fraudem vſurarum ſecutam, illud, quod deducitur ab inſolitis, vt intelliges ex ſcriptis per Farinaccium quæſt. 162. nu. 455, 163, & ſeqq.; Quod autem ſufficiat ad probandam ſimulationem, arg. ductum à communiter accidentibus, docent Doctores apud *Beccium conſ. 52. nu. 77. Grat. c. 255. nu. 20. & ſeq. Rotam deciſ. 83. nu. 8. & ſeqq. p. 5. recent.*: quia ſcilicet allegans id quod raro accidit, debet id manifeſtè probare, vt tradunt Doctores apud Pariſ. conſ. 29. nu. 50. lib. 2, Surdum deciſ. 83. nu. 21. verſ. quod verò, & nu. 22; Vbicunq; ergo ageretur de eo campſario, qui iuxta communiter accidentia non habet in nundinis, vnde ſatisfaciat realiter cambio, error eſſet manifeſtus, affirmare, campſorem probabiliter putauiſſe, ſolutionem cambij ſecuturam eſſe realiter in loco deſtinatæ ſolutionis quando verè non fuit ſecuta, niſi aliquid veriſimile allegauerit, quod ipſum induxerit in huiuſmodi ſententiam: Stultum enim dictum eſſet, affirmare, campſorem in egregiam pecuniarum quantitatem alicui credere, non perſcrutata ratione, qua ſit ſoluturus cambium in loco deſtinatæ ſolutionis, ſi id inter eos agebatur, vt realis ſolutio eo loci ſequeretur ſuo tempore; quo poſito, pluſquam manifeſta eſt ſimplicitas, dicere, eum putauiſſe, campſarium in nundinis habere facultatem ſoluendi cambij, quā verè non habebat vt euentus docuit, nec veriſimile erat, attentis circunſtantijs, eum habuiſſe.

117 Quod ſi in primò cambio quis voluerit admittere veriſimilem opinionem in campſore, quod eſſet ſecutura ſolutio realis cambij in loco deſtinatæ ſolutionis; nulla tamen iuris, ac prudentiæ ratio id poteſt admittere in cambijs renouatis: Dicam elatius, dum campſor interpellatur ad ineundum cambium pro nundinis ab eo, qui alienus eſt à negotiatione, & re vera non habet pecuniam in nundinis, non poteſt aliam concipere opinionem prudenti homine dignam, quam, eum indigere pecunia præſenti: Is autē exempli gratia illico ab eo perquiret, ſi modo eius mentis eſt, vt ſoluatur realiter cambium in nundinis, quomodo ſoluet tua Communitas cambium in nundinis? Ille autem non poterit aliud reſpondere, quam exactores redituum ipſius interim eſſe conflaturos pecuniam huiuſmodi, & per eam curaturos eſſe ſolutionem fieri in nundinis: Quod campſor ei fidem habeat, & per hoc bonam habeat mentem, eſto; Vbi verò euentus docuit, non fuiſſe ſolutum cambium in nundinis, & miniſtros Communitatis non ſoluere recambium contractū in ipſis ob defectum realis ſolutionis; ſed loco ſolutionis ipſius eos agere de ineūdo nouo cābio tempore incongruo: hoc eſt eo tempore, quod multum diſtat à nundinis, omnino campſor cognoſcit, non adeſſe paratam pecuniam, quam poſſint ſibi tradere pro ſolutione recambij: Ergo ſtatus præſens debitoris non præbet ei vllam occaſionem putandi, eum eſſe miſſurum pecunias ad nundinas, vel eas eſſe traditurum alicui campſori, vt ipſas ſibi ſoluat: Vnde ergo deducere campſor poteſt probabilem opinionem, realem ſolutionē eſſe ſecuturam in nundinis in prima renouatione cambij, & multò magis in ſecunda, tertia, quarta, & alijs ſequentibus? Si debitoribus cambiorum ſemper contingere ſolet, ſoluere in eo loco, vbi contrahuntur, non autem in nundinis, quando ſunt alieni à mercatura, & arte campſoria. quo modo nos poſſumus ſine ſtultitiæ nota putare, campſorem putauiſſe bis, ter, quater, quinquies, & amplius, debitorem cambij eius mentis fuiſſe, vt ipſum ſolueret in nundinis, etiam ſi nulla exiſteret circunſtātia, quæ diminueret eam præſumptionem, quam ſibi præbebat qualitas debitoris alieni à mercatura, & arte campſoria? Ceſſat ergo omnis prorſus prætextus dicendi, ſe crediſſe debitori dicenti, habere ſe in nundinis paratā pecuniam, aut interim conflaturum eſſe pecuniam pro ſolutione cambij neceſſariam: cum enim re vera eam non haberet, & iuxta ſtatum ſuum veriſimile eſſet, ipſam eum non habere, nulla prorſus occaſio exiſtebat, ex parte campſoris, aliud putandi, & conſequenter is, qui dicit, campſorem id exiſtimauiſſe, illud allegat, quod caret fundamento ex parte veritatis, & ex parte veriſimilitudinis: Vt ergo liberetur huiuſmodi allegatio à nota ſtultitiæ, opus eſt, confugere ad diuitias, vel exiſtimationem debitoris cambij: hæ autem præbere quidem poſſunt occaſionem putandi, interim poſſe eum conflare pecunias neceſſarias pro ſolutione cambij ſuo tempore: non poſſunt autem vllam nobis præbere occaſionem exiſtimandi, eum habere in nundinis pecuniam ſolutioni paratam, dum eius qualitati id non congruit, habere pecunias in nundinis: Et conſequenter debemus dicere, veriſimilitudinem huiuſmodi hoc ſolū inducere, quod interim conflaturus ſit pecuniam, & miſſurus ad nundinas, vel eum eſſe ipſam traditurum alicui campſori, vt ſolutionem curet cambij: Cum verò expediat magis, magiſq; debitori cambij, de quo agimus, ſinere contrahi recambium in nundinis, quam curare, vt ſolutio ſequatur modis prędictis; & non ignoret, id eſſe vtilius creditori, vtiq; abſonum eſt omnino, affirmare, campſorē putauiſſe, id eſſe ſecuturū, niſi allegauerit causā veriſimilem ſuæ opinionis: & conſequenter ſtultitia manifeſta eſt, affirmare, campſorem id putauiſſe bis, ter, quaterue, cum antecedentis temporis renouata cambia ei oſtenderint, campſarium nō habere paratam pecuniam pro ſolutione facienda neceſſariam, per hoc enim deſtruitur omnis occaſio perſeuerandi in opinione, quam habebat, ſolutionem in nundinis eſſe ſecuturam, quia eius fundamentum euertit, iuxta regulam ſemel malus, ſemper præſumitur malus de reg. iur. in 6.

118 Perpendamus nunc eam circunſtantiam, quā ſuggerit, debitum cambij magnam abſorbere quantitatem pecuniarum: Cum abſit à conſuetudine campſorum, accipere ſolutionem partis de-

biti ex cauſa cambij contracti, quando ipſis expedit, nouum inire cambium ex ſumma debita; ſępiſſime accidit, diuites diù perſeuerare in acerbiſſimis continuationibus cambiorum, de quibus agendum erit inferius: cum enim habeant quotidianas occaſiones ſumptus faciendi, paſſim eis accidit, vt pecunias ſepoſitas pro ſolutione recābij, in alios conuertant vſus magis tunc temporis vrgentes, & per hoc veniente tempore ſoluendi recambij facile eis deeſt integra ſumma eius ſolutioni neceſſaria, & per hoc ad nouum proceditur cambium, quod graue, interim, non videtur, cum nulla propter hoc ſit numeranda pecunia, & nunquam deſint ipſis aliæ occaſiones preſentem pecuniam deſiderantes: ſic autem ſegerendo renouatio cambiorum progreditur donec campſori videtur, ſibi expedire in huiuſmodi perſeuerare immani negotiatione: Hæc autē eò facilius accidunt in cambijs initis à Communitatibus, & Ciuitatibus, quò negligentius ea curantur, quæ ad ipſas ſpectāt, quam accidat ſingularum perſonarū negotijs, & id contingit eo tempore, quo huiuſmodi Communitates, ac Ciuitates ab aſſiduis vrgentur occaſionibus ſumptus faciendi graues, fit difficile ſi, exigere pecunias debitas à populo pro oneribus ipſi indictis: Negligentiam autem, ac difficultatem ſoluendi cambij non erit opus, aliunde deducere, quam ex euentu: ſi enim perſeuerauerint in debito adeo acerdo, quis dubitabit, id contigiſſe ob alteram ex his cauſis? Campſor certè id diſſimulare non poteſt, ſi modo perquiſiuerit, vt facere tenebatur iuxta receptiſſimā doctrinam, de quà ſupra nu. 46. cur non ſoluebatur recambium.

119 Remanet examinanda ea circumſtantia, quam præbet, noluiſſe campſorem inire cambium abſq; fideiuſsore: Cur autem inter campſores, & mercatores bonæ exiſtimationis contumelia eſſet, petere fideiuſſorem? reſpondebis autem, quia in foro ſunt bonæ exiſtimationis, *hanno credito alla Piazza*: Quæro rurſus, an ciuis quem locupletem populus abſq; controuerſia habet, ſit bonæ exiſtimationis apud cāpſores? diſtinguere autē debes quò ad negotia artis campſoriæ, & quò ad cætera negotia: quò ad artem enim cāpſoriam, opùs eſt, negotiatorē eſſe bonæ exiſtimationis, vt exiſtimetur *bona littera*; quia aliç diuitiarū ſpecies id in arte campſoria non ſolent præſtare: Opus ergo eſt fideiuſſore, qui ſit negotiator, aut campſor bonæ opinionis, vt ſupleatur fides campſarij à negotiatione alieni: Cum autem ſoleat eſſe difficile, reperire huius generis fideiuſſorem, vbi agitur de magna quantitate pecuniæ, a te quæram, quæ ratio mouere potuerit campſarium, qui facile poteſt pecuniam, quam habet in nundinis, ad ſe trahere per hominem fidum, vel per litteras cambij, ad eligendam viam difficiliorem, & minus congruentem exiſtimationi, paratam pecuniam habet? Qui facilioti via id poterat cōſequi, eo majorem habebat campſor occaſionem dubitādi, an vere haberet pecuniam in nūdinis, cum homines recuſare ſoleant, ea negotia facere, quę deſiderant fideiuſſorem, dum poſſunt eundem finem conſequi abſq; eis; maxime vbi agitur de magna pecuniæ quantitate, & materijs habentibus executionem facillimam: huic autem adeo grandi occaſioni ſuſpicandi, ſi acceſſerit euentus, qui oſtenderit, eum verè non habuiſſe in nundinis pecuniam deſtinatam ſolutioni cambij; & inſuper loco ſolutionis recambij poſtulet, nouum iniri cambium ex pecunia pro eo debita, omnis omnino deſtruitur prętextus putandi, in nundinis ſecuturam eſſe realem ſolutionem cambij.

120 Difficultatis autē inueniēdi fideiuſſorem pro cambio tanto multò magis vrget in Communitatibus, & Ciuitatibus, dum agitur de magna pecuniarum quantitate frequens: enim magiſtratuum, & Officialium mutatio efficit, ne poſſit confidere fideiuſſor eorum ciuium promiſſis, qui ſibi perſuadent, huiuſmodi onus ſubire: & proinde nullam habet veriſimilitudinis vmbram, quod Communitas, aut Ciuitas, quæ habet pecunias in nundinis, cum fideiuſſore ſit initura cambium, ſi poterat, alia ratione ad ſe ſuam trahere pecuniā; & ideo tunc euidens erit, campſorem ſciuiſſe, euēturum eſſe id, quod verè ſecutum fuit: hoc eſt nō cogitari de ſoluēdo in nundinis realiter cambio.

De cambio *con la ricorſa*. Cap. II.

1 EXpoſita eſſentia cambij in genere, facile eſt, ſpecialium cambiorum iuſtitiam, ac vitia detegere: Cum verò illud vſu ſic inter cętera receptum ſit, quod appellatur *con la ricorſa*, vt ipſi adhęreāt omnia cambia vſuraria recepta ab vſu, merito eius vitijs detegendis operam diligentiſſimā tribuemus. Deo, cuius cauſam agimus, vires prębente. Hoc autem cambium ſic appellatur, quia debitor *ricorre* ad campſorem, eius ve inſtitorem, vel reſponſalem, vt cambium ſoluat in nundinis; quod dupliciter contingere poteſt, vel virtute cōuentionis ſpecialis, vel quia debitor nō habet aliquem, cui mandet vt ſoluat in nundinis cābium; tenor autem literarum ipſius propoſitus fuit à Scaccia de cambijs §. 1. q. 5. nu. 88 ex doctrina ſcriptorum, & campſorum Genuenſium.

1613. à 20. Nouembre, in Genoua, ſcudi 101. 9 9. di Marche.

A pagamenti di fiera proſſima d' apparitione pagarete per queſta prima di cambio à voi ſteſſo ſcudi cento vno, & 9. 9. di Marche per la valuta hauuta dal voſtro Franceſco ponete à mio conto. A Dio.

2 Hoc cambium quatrupliciex cauſa impugnatur, primo quia cāpſor ſcit, vel ſaltem ſuſpicatur, debitorem non eſſe numeraturum pecuniam in nundinis; Secundo, quia ſolutio huius cambij, quæ fit in nundinis, eſt actus ſimulatus, non autem vera ſolutio; Tertio, quia facit fraudem conſtitutioni Pij V. de cambijs; Quartò, quia eſt grauius debitoribus, quam ſit improbum fœnus, quæ fundamenta examinare diligentiſſimè oportet: Cum autem oſtenderim in cap. antecedenti num. 46, receptiſſimam, ac veriſſimam eſſe eam doctrinā, quæ docet, cambium verum non poſſe conſiſtere, niſi campſor firmiter credat, debitorem eſſe numeraturum pecuniam in nundinis, aut ſatisfacturum creditori, iure ac merito noſtri Doctores tradiderunt, hoc cambium *con la ricorſa* eſſe vſurarium, niſi campſores ipſum contrahentes firmiter putauerint, ſecuturam eſſe numerationem in nundinis; ſic .n. clarè ſcripſerunt *Nauarrus in manuali c. 17. nu. 296. iuncto n. 291. & conſ. 31. tit. de vſur.*

vſur. col. 11. nu. 4. & eius additio verſ. addo iſtis, & in fine verſ. 15. enim cui, Molina diſput. 404. num. 6. verſ. Doctores conueniunt ibi multò autem iniquius, & nu. 7. verſ. neq; hoc ſolum. Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. c. 23. nu. 68. Rebellus de oblig. iuſt lib. 11. quæſt. 6. de cambijs num. 9. & 10. Reginaldus in praxi fori pœnit. lib. 25. nu. 459. verſ. quod ſi mala fide, Garzia de contract. c. 37. nu. 5. Lopez. in ſimili tract. p. 2. c. 12. verſ. & quamuis, c. 13. col. 1. 2. & 3. c. 10. quæſt. 2. verſ. in hac re, Io. de Salas de cambijs dub. 17. nu. 4. dicit, Doctores in hoc concordare, Bonacina de contractibus diſp. 3. q. 5. puncto vnico nu. 8. verſ. ex quo ſequitur, & nu. 11. Lupus de vſuris coment. 3. §. 2. nu. 65. nu. 71. in fine verſ. concludam, Salon. de de iuſtitia, & iure de cambijs quæſt. 4. contr. 12. nu. 5. in clauſula illa igitur, ibi maximè ſi non exerceantur, Franciſcus Beccius conſ. 213. nu. 52. verſ. quarè ille inquit, nu. 53. & 55. lib. 2. Maſtrillus deciſ. 303. n. 7. verſ. nihilominus, Comitulus lib. 3. reſponſo 15. nu. 2. Philippus Faber. de reſtitut. ad. 4. lib. ſent. diſput. 47. nu. 293. ibi vel ex ſua propria, & verſ. quia ſic ſolueret. Genua de ſcriptura priuata tit. de litteris cambij nu. 9. Fabrius apud Amatum deciſ. Ferrariæ 45. nu. 44. cum ſeqq. Caualtius de cambijs in præl ud. col. 7. in fine, col. 8. pagina 216. & col. 9. & 10. vbi allegat Hier. de Luca de cambijs nu. 47. Bernardutiũ in ſimili tract. n. 25: Caual. rurſus tit. de vſuris col. 10. in clauſula quæritur, pone pagina 24.: Et pro hac doctrina extat apud eundem Caualtium reſolutio congregationis, vt ipſe appellat, ſacræ pagina 245. & ſeqq. Card. de Lugo de iuſt. & iure tom. 2. diſput. 28. ſect. 7. nu. 78. & 79. vbi ſcribit, in hac omnes conuenire: Molfeſius p. 2. ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. n. 39. & 60. Scortia ſuper Conſtit. Pontific. theor. 291. col. 8. poſt medium verſ. licet enim.

3 Circa quam doctrinam non poteſt excitari probabilis dubitatio, ſtante dicta doctrina receptiſſima, ad eſſentiam veri cambij ſpectare, vt campſor firmiter credat, ſecuturam eſſe numerationem in nundinis, aut aliquid ei æquipollens, quia ſpecies prædicatur de ſuis indiuiduis in quid. Nihil aliud ergo remanet, quam probare euidenter, campſorem, dum perficit hoc gennus cambij, dubitare, ne ſequatur numeratio in nundinis (nõ irrideant me periti artis campſoriæ, quod ſcripſerim dubitare, cum ea mente campſores perficiant hoc cambium, alias ipſum omiſſuri, vt deueniatur ad recambium, ad quod non poteſt perueniri, ſequente in nundinis numeratione) quia hoc ſcripſi reſpectu eorum, qui ignorant, aut diſſimulant vſum campſorum circa hoc cambium.

4 Antequam autem deueniam ad argumenta generalia, cordatis, & pijs viris conſiderandum propono quod *Recurſa tũc dicitur, quãdo cogitur debitor recurrere pro accipienda ſolutione cambij, ad inſtitorem, ſeu correſpondentem creditoris*; ſunt verba magiſtri artis campſoriæ diſput. 3. q. 12. n. 57. Aut debitor cambij habet inſtitorem in nundinis, ſeu *credito*, aut non habet: In primò caſu, ſi numeratio ſequi debet, vtiq; ſequetur per manus inſtitoris eius, vel reſponſalis: Cur ergo ad eum non mittuntur litteræ cambij, ſed ad alium? Inter mercatores ſeriò negotia contrahuntur, non autem ludicrè: ludicrè autem id fieret, ſi campſor firmiter crederet, numerationem eſſe ſecuturã in nundinis; & per hoc tollitur id, quod dictum ſunt, id fieri intuitu illius mercedis, quæ dicitur *la promiſione*; nam de ea non eſſet cogitandum, ſi firmiter crederet campſor, numerationem eſſe ſecuturam in nundinis.

5 Dicam clarius, in rebus nouis conſtituendis euidens vtilitas eſſet debet l. 4. de conſtit. Principũ; cum ergo abhorreat à ſenſu communi, eum campſorem, qui habiturus eſt in nundinis ſuum inſtitorem, vel campſores reſponſales, mandare creditori cambij, eiuſue inſtitori, vel reſponſali, vt ſoluat cambium, alleganda eſt ratio idonea, cur introduxerint in hoc cambio id, quod abhorret ab vſu artis campſoriæ, ſenſu communi, & more recepto in ijs cambijs, in quibus agitur, vt ſequatur numeratio in loco ſolutionis deſtinatæ? Si dixeris, id fuiſſe introductum ob vtilitatem, quæ frequenter contingit in hoc cambio dictæ mercedis, prudenter videri poteſt id fuiſſe inſtitutum; ſi autem dixeris, rarò huiuſmodi vtilitatem contingere, vtiq; dices, campſores conueniſſe in introducendo vſu abhorrente à regulis ſuæ artis, & ſenſu communi propter tenuem vtilitatem rarò contingentem; quod imprudentiſſimè fuiſſet inſtitutum; Hoc verò abſurdum eſt de viris cordatis, & peritiſſimis ſuæ artis ſuſpicari: Si autem non rarò accidit, hanc contingere vtilitatem, dicendum eſt vtiq;, campſorem non credidiſſe firmiter, ſecuturam fuiſſe numerationem in nundinis; & per hoc probatur clarè, eos, vt leuiter dicã, qui hoc genus cambij ineunt, ſuſpicari practicè, non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis: Hæc autem militant etiam quò ad eos, qui non ſunt campſores, habent tamen *credito in fiera*.

6 Sin autem debitor cambij vltrò poſtulauerit à campſore, vt curare velit, ſuas litteras cambij approbari à ſuo inſtitore, aut reſponſali, quia non habet perſonam in nundinis, quæ eas approbaturas ſit, vtiq; profitetur, ſe ſe non eſſe habiturum pecuniam, ex qua ſolui poſſit ſuo tempore cambium; ſi enim eam habiturus eſſet, vtiq; clarum eſſet, ſibi non eſſe defuturum in nundinis campſorem, qui ſuas litteras eſſet approbaturus: ille ſcilicet, cui mandabit tradi pecunias deſtinatas ſolutinni cambij: hæ enim pecuniæ efficient, vt ipſe habeat *credito in fiera*: hoc autem efficit, ne campſor poſſit probabiliter putare, ſecuturam eſſe numerationem in nundinis. Quod ſi debitor cambij ſit perſona aliena ab arte campſoria, mercatura, & negotiationibus, tunc cãpſor, vltra qualitatẽ perſonæ huiuſmodi, per ſe ſuadentem, eam nõ habere pecuniam in nundinis actu, vel potentia, ex qua numeratio ſequi poſſit, ſpecialem habebit, eamq; valde vrgenter coniecturam ſignificãtem, eum non eſſe habiturum in nundinis pecuniam, ex qua cambium ſolui debeat; & per hoc campſor, vt leuiter dicam, dubius redditur, ne ſequatur numeratio in nundinis.

7 Argumenta nunc proponamus generalia quidẽ, ſed efficaciſſima. Cambia *con la ricorſa* exercentur, vt campſores per ea faciant quæſtum: quæſtũ autem facere nõ poſſunt per ipſa, niſi ſequatur recambium, vt teſtatur Raphael diſp. 1. q. 13. nu. 123. verſ. & ſic quando manifeſtum, diſp. 2. q. 6. num. 8; ergo hæc cambia ineuntur intuitu recambiorum; quia omne agens agit propter finem: ſed recambia ſequi non poſſunt, ſequente numeratio-

ne pecuniæ debitę ex cambio ; ergo hęc cambia ea ineuntur mente, ne ſequatur numeratio pecuniæ in nundinis. Quod arg. efficacius vrget, dũ de ijs nundinis agitur, in quibus pertaræ ſunt occaſiones exercedi pecuniam numeratam, quia tunc damnoſum eſſet campſori, ibi numerari pecuniam,

8 Secundò, experientia docet, ea cambia, de quibus agimus, trahere fere ſemper poſt ſe recambia, vt teſtatur Raphael diſput. 1. q. 13. nu. 37. & 38; è contra autem alia cambia, quæ vocantur libera, patet, non habere poſt ſe recambia : ergo dicendum eſt, re in abſtracto conſiderata, exiſtimandum eſſe, eos, qui ineunt cambia *con la ricorſa* expectare recambia; eos verò, qui ineunt cambia libera, ipſa non expectare : nam in obſcuris id ſequimur, quod plerunq; accidit l. in obſcuris de reg. iuris : Ergo campſor, qui iniuit cambium *con la ricorſa* debet allegare cauſam, cur non inierit cambium liberum, ſi eius mens erat, ex eo ſequi eum effectum, qui proprius eſt cambiorum liberorum; hoc eſt numerationem pecunię : hanc verò cauſam veriſimilem nunquam allegabit, quia verè aſpirat ad conſequendum eum effectum, qui eſt proprius cãbij *con la ricorſa*; & per hoc reſpexit recambiũ, quod obtinere non poterat, ſi pecunia fuiſſet numerata in nundinis : Cũ itaq; in detegẽdis vſuris palliatis efficaciſſimum ſit argumentum ductum à veriſimili, vt docent doctores allegati in c. antecedenti nu. 118., præſumendum vtiq; erit, ineuntes cambia *con la ricorſa* eo conſilio iniuiſſe ipſa, vt ſequeretur recambium, niſi vrgentem cauſam allegauerint, quæ eos excitauerit ad credendum firmiter, eſſe ſecuturam numerationem in nundinis, cuius veritatem probare debebunt. l. 2. de probat.

9 Tertiò conſiderandum eſt, in omni, omnino negotiatione eligi perſonam, per quã ſolutio fiat ab eo, qui debet curare, vt ea ſequatur : cur ergo aliud obſeruatur in cambijs *con la ricorſa*; in ipſis n. perſona, quæ cambium ſoluere debet, eligitur à creditore ; creſcit difficultas, quia eligitur ſæpius perſona, cui debitor eſt ignotus : quo colore autẽ dicemus, paſſim campſores perſonæ ignoræ debita ſoluere ? Dices, campſorem fideiubere pro debitore cambij; nihil agis, quia contumelioſũ eſt campſori, eum dicere, egere fideiuſſione alterius, vt ſuæ litteræ cambij approbentur ab eo, ad quas eas mittit ; & proinde, non eſſet paſſurus vnquam campſor boni nominis, ſuas litteras cambij mitti ad eum, qui eas ſine fideiuſſione non eſſet acceptaturus, cum habeat paratum campſorem, qui ſine fideiuſſione eas acceptabit. Reſpectu autem eorum, qui non ſunt campſores, cur eligitur ille, qui ſolutionem ſine fideiuſſione non eſt facturus, cum habeat paratum eum, qui habet ſuas pecunias apud ſe deſtinatas ſolutioni huiuſmodi cambi ? Quò ad eos autem, qui in nundinis non habent *credito*, quomodo indiſtinctè expedit creditori, fideiubere pro eo, qui ſibi ſoluit pecuniam debitam ex cauſa cambij ?

10 Dicam clariùs. à ſenſu communi abhorret, creditorem fideiubere pro debitore accipiente mutuam eam pecuniam, vel ſub cambijs, quam ſibi numeraturus eſt, ſi ſic contrahatur mutuum, & cambium, vt mox ſit reſtituenda pecunia, quam accepit, niſi vrgens cauſa interuenerit : Huiuſmodi certè cauſa pendet ex ijs circunſtantijs, quæ plerunq; deficiunt, & conſequenter allegãda eſt ratio idonea, cur indiſtinctè id contingat in hoc cãbio : Quod ſi dixeris, hanc fideiuſſionem obeſſe non poſſe creditori cambij, eam autem prodeſſe, quia ſternit viam recambio, bene vtiq; reſpondebis ; ſin autem aliud dicere volueris, nihil allegabis, quod vllam habeat ſpeciem veriſimilitudinis : Ex huiuſmodi autem reſponſione ſequitur, campſores in his cambijs id introduxiſſe propter recambium ; & conſequenter manifeſtum eſt, eius mentis ipſos eſſe in ineundis his cambijs, ne ſequatur numeratio, cum per eam impediatur recambium,

11 Verùm audio dicentem, me fruſtra laborare ; hæc enim omnia deſcendunt ex propria natura huius cambij : Nugaris mi homo ; quid aliud quęritur in hac quæſtione, quam, an inuentio huius cambij tendat ad exercendas vſuras ſub nomine cambij ? Vt autem hoc detegamus, opus eſt inueſtigare omnes eius proprietates, & ipſis diligenter libratis iuxta naturam contractus iuſti, ſub quo conſtituitur, determinandum eſt, qualis ſit contractus huiuſmodi : allegare ergo pro defenſione huius cambij, abſurditates euidentes ex eo naſcentes, ex ipſius natura oriri, continet confeſſionẽ prauæ eius naturæ.

12 Quartò dicimus, obſeruantiam contractuum eſſe efficaciſſimum medium ad perſcrutandam mentem eorum, qui huiuſmodi contractum ineunt l. in obſcuris de reg. iuris, & tradunt Doctores apud Beccium conſ. 101. nu. 48. cum ſeq. & eſt certiſſima doctrina : Cum itaq; hoc genus cambij, ab omnibus campſoribus, & ab eo, de quo agitur, ſic iniri ſoleat, vt rariſſime ſequatur in nundinis numeratio pecuniæ, abſurditas euidens eſt, negare, ipſum iniri ea intẽtione, vt non ſequatur numeratio in nundinis; quia alias ſequeretur, campſores paſſim inire illud cambium, quod rariſſimè parit eum effectum, ad quem aſpirant, cũ ſcriptum ſit, omne agens agit propter finem, & media ſint propter finem.

13 Poſtremo conſidero, cambia libera iniri in nundinis, vel pro nundinis per accidens, cum paſſim ineantur pro locis diuerſis à nundinis, & in nummis diuerſis à ſcutis *di marche* ; qui adeo ſunt proprij nummi nundinarum, vt Raphael diſp. 1. q. 7. num. 14. cum ſeqq. putauerit ex ſententia campſorum, ad eſſentiam cambij huius pertinere, vt in his ſcutis ineatur. E contra, cambia *con la ricorſa* ſemper pendent à nundinis ; ergo debemus dicere, nundinas cambiorum fuiſſe inſtitutas principaliter pp cãbia *con la ricorſa*; quod experientia docet, cum in ipſis longe maior ſit numerus cambiorum *con la ricorſa*, quam eorum, quæ ſunt libera : Vt ergo intelliganius finem propter quem introducta fuere vſitata cambia *con la ricorſa*, debemus perpendere qualitatem harum nundinarum, cum media ſint propter finem : Cũ itaq; nundinarũ decreta, ac vſus adeo efficaciter tendant ad reddendam difficilem numerationem pecuniarum debitarum virtute horum cambiorum, vt nihil ſimile in cæteris inueniatur commercijs, vt oſtendi in c. antecedenti nu. 69. cũ ſeq. abſurdum eſſet, dicere, hæc cambia eo fine iniri,

vt ſe-

et ſequatur numeratio in nundinis; quia hac ratione diceremus, artem campſoriam, quę acutiſſimè exercetur, in tot regionibus admiſſile decreta retardantia eum finem, ob quem campſores ineunt illa cambia, ob quæ huiuſmod nundinæ celebrantur: Audi Raphaelem diſp. 2. q. 18. n. 30. in fine, & 31.: *in feria dictæ negotiationis pecuniam non interuenire, cum ſcuti marcharum, qui in ferijs ſoluuntur, & exiguntur iuxta deſtinationem, de qua in ipſis litteris cambij, nihil aliud formaliter ſint, prater obligationes, (in plateis ſcilicet) ſuſceptas ex cauſa cambij, cum additamento nouæ obligationis ex conſtituto eorum, qui tractas acceperunt. Et ſucceſſiuè cum deſtinatur ſolutio, & exactio ſcutorum de marchis in ferijs, nihil minus formaliter deſtinatur, quam ſolutio pecuniæ: vt merito dici poſſit, pecuniam numeratam cuiuſcunq; generis, alienam eſſe à celebratione feriarum cambiorum; Hinc in c. 10. legum feriarum merito diſponitur generaliter, tam exactiones, quam ſolutiones omnium cambiorum fieri in ſcutis marcharum, non autem in pecunia;* Quo teſtimonio nihil certius affetri poteſt, vſum harum feriarum inuentum fuiſſe pro illis cambijs, quæ ſic ineuntur, vt ſoluantur in eo loco, in quo contracta fuerunt.

14. Sed audiamus rurſus eundem magnum magiſtrum artis campſoriæ, diſput. 3. q. 1. n. 4. dū ait; *Recurſa, per ſe, et præciſe ſumpta, vox eſt, quę in propoſito cambiorum refertur ad perſonas à quibus debitor ex cambio, qui non eſt ſoluturus in ferijs quantitatem debitam, poſtulat, vt via noui cambij comparata pecunia, ad debitum ex cambio diſſoluendum, & ad effectum prædictum, vtatur; & per conſequens in praxi ſemper pronunciatur cum addito illo præcipuè ad meum de feria, ſiue ad eundem, & tunc ſignificat, quod debitor ex cambio, qui non eſt ſoluturus in feria debitū, de quo in litteris primi cambij, niſi ope, & miniſterio noui cambij in feria contrahendi, dictum nouum contractum iniri in feria cum eodem Bancherio, cui ex præſcripto earundem literarum eſt facienda ſolutio prioris cambij:* quibus verbis clare docet, cambium con *la ricorſa* tunc contrahi, cum illud agitur, ne ſequatur numeratio pecuniæ debitæ in nundinis.

15. Circa quam doctrinam animaduertenda ſunt illa verba, *vt via noui cambij comparata pecunia, ad debitum ex cambij diſſoluendum, & ad effectum prædictum vtatur*: quæ clare ſignificant, per recambiū acquiri pecuniam, quæ conuertatur in ſolutionem cambij; quod falſum eſt, cum ſolutio cambij, vt campſores affirmant, perficiatur illico, ac exactor cambij ſcripſerit in libro cambiorum, ſe eſſe debitorem ſummæ deſcriptæ in epiſtola cambij, vt liquet ex ijs, quæ habentur apud habentur eadem quæſtione nu. 29. in clauſula Dante manda; *ibi venuto il termine*: epiſtola autem recambij ſupponit, ſolutum fuiſſe primum cambium, vt patet ex eius tenore, quem recenſet Raphael loco alleg.

1625. à 28. *Maggio in Milano ſcuti*

1020. *di marche.*

Al pagamenti di fera d'Agoſto pagate per queſta prima di cambio al mio Dante ſcuti 1020. *di marche in me cambiati, e ſono contro li ſcuti* 1000 *trattemi dalla paſſata di Paſqua, e ponete à conto noſtro.* Illa enim verba, *e ſono contro li ſcuti mille trattemi*: clare ſignificant, iam ſolutum fuiſſe cambium, & conſequenter ſolutio ipſius ſequitur ante recambium: Dices, eodem tempore ſolui cambium, & iniri recambiū; quia ſoluens illico cudit, vt campſores dicunt, ſcutos *di marche*, ac ſcribit ſe debitorem cambij, & cōſequenter eodem tempore ſoluitur cambium, & initur recambium, cum ea intentione, id hat, vt ineatur recambium, quod forſitan ſignificant illa verba huiuſmodi epiſtolę *ſcuti* 1020. *di marche in me cambiati*; forſitan inquā; nā Scaccia §. 1. q. 5. n. 83. verſ. hic modus admonet nos, ſignificare, eos fuiſſe ſolutos ſibi ipſi, quod etiam docet Gaitus de credito c. 2. tit. 7. nu. 1396.

16 Verum diligenter hęc conſideranda ſunt: Dū dicunt, ſe cudere ſcutos *di marche*, cum ſcribunt, ſe exegiſſe cambiū, conſtituēdo ſe debitores eius ſummę, intelligunt ne de ipſis met ſcutis *di marche*, an de ſcutis aureis, ex quibus ſolui debent huiuſmodi ſcuti: Si primo modo id intelligunt, quo ſenſu aiunt, ſe cudere ſcutos imaginarios? ſi autem reſpiciunt effectum, quaſi quod ſua ſcriptura eundem effectum pariat, quē operaretur numeratio aureorum, ex quibus ſolui debent ſcuti *di marche*, falſum vtiq; dicunt, quia numeratio plene liberat debitorem cambij ab obligatione contracta cum campſore, & inducit obligationē fauore numerantis l. ſoluendo ff. de neg. geſtis: Hęc verò ſcriptura neutrum inducit, vt omnes cāpſores fatentur. Si verò id dicunt, quia videantur ipſi, ſic ſcribēdo, tradidiſſe per cambium illos ſcutos *di marche*.

17 Ex quibus conficitur recambium, tunc palam profitebuntur, rem eſſe ſimulatam, cum vtilitas recambij ſpectet ad creditorem cambij, nō autem ad eum, qui cudit eos ſcutos *di marche*, ex quibus ſolutum fuit cambium, excepta mercede appellata *la prouiſione*, quando agitur de reſponſali ſoluente cambium; & per hoc redditur euidenter ſimulatè dictum, *ſcuti* 1020. *di marche in me cambiati*, cum id non poſſit dici verè, vel æquipollenter: Altero enim interueniente ſequeretur liberatio ab obligatione priori, & ortus nouæ obligationis fauore ſoluentis: in omni enim iuſto cambio opus eſt, vt is cum quo contrahitur, acquirat pecuniam verè, vel æquipollenter, & is, qui illud contrhait, acquirat actionem ad accipiendū pecuniam in loco deſtinatę ſolutionis; & conſequenter eſt falſum euidenter iuxta hunc ſenſum, quod illi *ſcuti* 1020. *di marche* fuerint *cambiati*; quia nulla orta fuit acquiſitio pecunię ex parte eius, cuius nomine ſolutio fuit ſecuta, cum nō fuerit ulla ex parte diminuta ea obligatio, pro qua diſſoluenda ſolutio facta fuit, & is, qui fecit ſolutionē, nullam porſus actionem acquiſiuerit contra eum, cuius nomine ſolutio ſecuta eſt, ideoq; non video, cur Raphael ſcripſerit, *vt via noui cambij comparata pecunia, ad debitum diſſoluendum vtatur*; non eſt autem omittendum.

18 Scacciam §. 1. q. 5. n. 71. in principio his verbis contra diſtinguere cambium liberum à cābio *con la ricorſa, cambium nundinale liberum dicitur illud, in quo venditor ſcutorum* di marche, *ideſt qui accipit cambio, committit per litteras cambij ſuo correſpondenti, vel alteri mandatario, vt ſoluat; & proinde is, qui ei dat cambio veriſimiliter ſperat ſolutionē in nundinis*; itaquæ clarè ſupponit, ceſſare ſpem veriſimilem ſolutionis, ſi ſolutio mandetur inſtitori, vel reſponſali campſoris, aut ipſimet campſori prout fit in cambijs con la ricorſa.

Hactenus

28 Hactenus expoſui fundamentum penitus euertens immenſam hanc machinam cambij *con la ricorſa*: quid autem pro eius defenſione dicatur, expendamus. Scaccia §. 1. q. 7. p. 1. n. 100. primo loco dicit, non eſſe neceſſarium noſtrum ſuppoſitum, quod fundamentum recambij conſiſtat in eo, quod non poterit debitor ſoluere cambiũ in nundinis ex ijs, quæ ſcripſit ipſe eodem §. 1. q. 4. n. 38. cum ſeqq.: verum id non facit ad rem noſtram, cum diuerſus tunc ſit modus ineundi recambia ab eo, qui obſeruatur in cambijs *con la ricorſa*: quando ſcilicet creditor deficiente debitore in ſolutione cambij, accipit ab alio campſore tantundem per cambium, & mandat debitori, vt eas pecunias ſoluat ſuo tempore per litteras cambij; eoq; id omittente, ipſe accipit tantundem per cambium ab alio campſore, ſic progrediendo quò vſq; debitor ſuæ obligationi plenè ſatisfecerit: quod cambiendi genus nihil habet commune cum cambio *con la ricorſa*, cuius reſpectu, non autem abſolutè dicimus, recambium eſſe vſurarium, cum eius intuitu fuerit contractum cambium; quod non accidit in iis cambijs, in quibus ſit locus recambio cõtra intentionẽ campſoris, qui deſiderauit principaliter, ſequi numerationem pecuniæ debitæ ex cambio in loco deſtinatæ ſolutionis.

29 Secundò inquit, videri ſemper falſum ſuppoſitum noſtrum, quod opus ſit, vt campſor putet, ſolutionem in pecunia numerata eſſe ſecuturam in nundinis, ex ijs, quæ ipſe ſcripſit eadem q. 7. p. 2. ampliat. 17. nu. 3. cum ſeqq.: Verùm aduertendum eſt, quod ipſe eo loci n. 15. admittit pro vera noſtram doctrinam, licet dicat, eam eſſe obſeruandam ſolum in foro interno; qua in re miſerè labitur, vt oſtendi in c. anteced. nu. 62. & ſeq. & ſibimet contradicit, vt intelliges ex ijs, quæ ſcribit §. 1. q. 6. nu. 100.

30 Tertiò dicit, nec etiam in cambio *con la ricorſa* opus eſſe, vt campſor putet, ſecuturam eſſe ſolutionem numeratæ pecuniæ in nundinis, ex ijs, quæ ſcripſit §. 6. gloſſa 1, nu. 2. verſ. ſecundò quia, & nu. 64: verum contra ſtimulum calcitrat, cum cõtrarium doceant paſſim Doctores euidenti rationi innixi, vt oſtendi in c. anteced. nu. 46. cum ſeqq.: Dum verò Scaccia d. nu. 64. contendit, in huiuſmodi cambio campſorem cogitare poſſe cambientem, aliunde habere poſſe pecuniam numeratam, ex qua ſoluat cambium, errat in iure manifeſto, cum ſupponat, non obeſſe cambio iuſto, quod dubitet campſor, an ſit ſecutura numeratio in nundinis; repugnat enim authoribus receptiſſimæ doctrinæ, cum requirant in campſore firmam opinionem ſecuturæ numerationis in nundinis; quia ſciat, aut credat, eum habere potentiam proximam, & veriſimilem conflandi eam pecuniam per modum legitimum, quę ſit neceſſaria ſoluendo cambio: & iure merito, quia ſi dubitaret de hoc, verſaretur in dubio practico, quod æquiparatur ſcientiæ, vt per *Couar. de præſcr. p. 2. §. 7. nu. 4. verſ. his verò rationibus, & de ſponſ. p. 2. c. 7. §. 2. nu. 10, & in propoſito noſtro id animaduerterunt Fabianus de cambijs in initio n. 47. Nauarrus in Manuali c. 17 num. 299. Rebellius de oblig. iuſt. lib. 11. q. 6. nu. 11. vbi de com. Io. de Salas de cambijs dub. 14. num. 3, & 5, Lopez de contr. lib. 2. c. 14. col. 3. verſ. iam ad ſolutionem, Caualtius de cambijs titulo de dante verſ. ego autem*: à qua ſententia facile nimis receſſit Scaccia d. quæſt. 7. p. 2. ampliat. 17. n. 22. ex eo, quod dubitans, & ignorans æquiparentur l. manifeſtiſſimi §. ſi autem neſcius C. de furtis (quod quò ad forum internum eſſet ſcandaloſa propoſitio, ne dicam hæretica) quia dubitans non excuſatur, cum potuit veritatem intelligere, vt per Iaſ. in l. ſi per errorem num. 16. ff. de iuriſd. omn. iudicum, Oddus de reſt. in integrum quæſt. 8. n. 48. cum ſeqq. & alij apud Surd. deciſ. 265. nu. 47, & 62: Cumq; ſcriptum ſit, qui cum alio contrahit, ſcit, vel ſcire debet conditionem illius l. qui cũ alio de reg. iuris, euidens eſt, non poſſe excuſari campſorem, qui non fuerit perſcrutatus, an ille haberet veriſimilẽ ſpem ſoluendi cambium in nundinis in pecunia numerata; quodq; dubitans nõ excuſetur ſi omiſerit perſcrutati veritatem eius, quod concurrere debebat pro fundamento ſui contractus, tradunt *Iaſon. in l. quandiu num. 7. C. qui admitti ad bon. poſſ. poſſint, Oddus de reſt. in integrum q. 8. nu. 47, Coſta de facti ſcientia inſp. 82. à nu.* 1: quod maxime procedit in cambio *con la ricorſa*, in quo facilius, quã in alijs præſumitur fœnus, vt ipſemet Scaccia teſtatur §. 6. gloſſa 1. n. 88. verſ. tempera ſecundò.

31 Dum verò ait Scaccia, *retorquetur, cum ex hoc ipſo, quod campſor dat cambio, opinetur, campſarium poſſe habere pecunias, ſi quidem, ſi hoc non opinaretur, abhorreret ab omni veriſimilitudine, quod vellet contrahere cum eo, à quo ſe deceptum iri opinaretur*, quo arg. etiam vtitur Raphael. diſput. 3. q. 11. nu. 32, & 41, clarè oſtendit ſuum ſtudium in defendendis corruptelis campſorum; nam confundit potentiam cambientis ſoluendi cambiũ in loco contracti cambij, cum potentia ſoluendi ipſum in nundinis: ridiculum autem eſt id, quod ait, campſorem non eſſe initurum cambium, ſi putaret, eum non eſſe ſoluturum ipſum in nundinis; cum clarum ſit, campſorem conſtituere ſuum queſtum in recambio, quod non poteſt contrahi, ſi cambiens ſoluerit cambium in nundinis in pecunia numerata, vt admonet Raphael diſp. 3. quæſt. 23. in fine, & paſſim in ſuo tractatu: Prout etiam æquiuocat clarè Scaccia, dum affert pro confirmatione ſuæ doctrinæ ea, quæ ſcribunt Nauarrus, & Azorius in locis allegatis, quia agunt de potentia proxima, & veriſimili conflandi pecuniam, cum tamen ipſe agat de potentia, à veriſimili ſeiuncta; ſicq; huiuſmodi doctrinam intellexit ipſemet Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 17. n. 7. verſ. hancq; opinionem: Tandem ſuam concludẽdo doctrinã ait, *deinde quidquid enixius argumentando diceretur, ſolutio patet ex ijs, quæ ſcripſi ſupra §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 17. nu. 1, & ſeq. & n. 22*: Eo loci autem diſputat ex profeſſo, an pro fundamento cambij ſit neceſſe, vt campſor exiſtimet, ſecuturam eſſe ſolutionem in pecunia numerata ſuo tempore; adductiſq; arg. hinc inde, num. 15. docet, in foro interiori non conſiſtere cambium, & conſequenter admittit, ad ſubſtantiam eius id pertinere: & nu. 6. clarè docet, hanc doctrinã probari ex conſtitutione Pij V., licet ipſe perperam dicat, eam eſſe obſeruandam ſolum in foro interiori, vt oſtendi in c. antecedenti nu. 62.

32 Dominicus autem Guaitus de credito c. 2. tit.

num. 7.

7. nu. 1483. & ſeq. iuncto num. 1465, & 1466: retenta eadem doctrina, quod in cambio *con la ricorſa* non ſit neceſſaria allegata mens campſoris, dupliciter reſpondet, primò dicendo, mentem negotiandi in nundinis non poſſe reuocari in dubium, cum eorum negotiatio ſit euidens: ſed hoc eludit, non autem attingit difficultatem, quia non negamus, eos voluiſſe negotiari in ipſis; ſed dicimus, eos voluiſſe contrahere mutuum, non autem cambium, cum deficiat eius fundamẽtum, hoc eſt firma opinio in campſore, quod ſecutura eſſet ſolutio ſuo tempore in nundinis in pecunia numerata, vel alia ratione æquipollenti: ſecundò dicit Gaitus, malã mentem campſoris in foro exteriori non eſſe conſiderandam, cum ſolum Deũ habeat vltorem: quæ doctrina à ſenſu com. & iuris ratione recedit euidenderer, vt oſtẽdi in c. anteced. nu. 62 cum ſeqq.

23 Sed reuertamur ad conſiderationes Scacciæ, propoſitas ad probandum, quod recambium non indigeat pro fundamento, vt primum cambium ſic fuerit initum, vt campſor putauerit, ſecuturam eſſe ſolutionem in pecunia numerata in nundinis, ait autem, *imo admiſſo etiam ſuppoſito pro vero, tamen in caſu, in quo campſor vt ita cambiret, ceſſaret à cambio vero, adhuc cambium, & conſequenter recambium eſſet licitum, per ea, quæ ſcripſi p. ſeq. ampl. 8 nu. 22*; verum hoc conijcit campſores in maximas anguſtias; vt enim cætera omittam, de quibus in c. ſequenti largiſſimè actum fuit, cambia vera in nundinis ſunt ferè ea tantum, quæ ſunt libera, cuius generis perpauca ſunt, & longe minorem afferunt utilitatem recambijs; & proinde deducere hinc ualiditatem recambij, eſt confundere ordinem doctrinæ, in qua quæritur de eius ualiditate, per ſe conſiderata: & abuſiuè dicitur tunc validum recambium, cum aliud ſit, ipſum eſſe validum, aliud ipſum eſſe ſiccum, licet ratione lucri ceſſantis eadem vtilitas ex eo oriri poſſit.

24 Poſtremò ait Scaccia, Doctores allegatos à defenſoribus noſtræ ſententiæ, ad probandam neceſſitatem eius mentis in campſore, de qua agimus, tractare de cambijs ineundis; & proinde non cõgruunt noſtræ quæſtioni, in qua agitur de recambio: quæ doctrina ſupponit, recambium, quò ad ſubſtantiam, differre à cambio, quod repugnant ijs, quæ ſcribit ipſemet Scaccia loco allegato nu. 99. & quæſt. 4. eiuſdem §. 1. nu. 38. cum ſeq.: Apertè autem diſſimulat Scaccia effectum recambij: vt nempe redigantur ad monetam vſitatam ſcuti *di marche* expreſſi in epiſtola cambij, & proinde, ſi cambium eſt vſurarium, recambium conſiſtere non poteſt quò ad exceſſum pecuniæ, quã accepit debitor cambij: Ex quibus patet, multa errata euidentia Scacciæ in hac doctrina exiſtere, in qua tamen enodanda conueniebat, eum eſſe vigilantiſſimum, cum ingens cambiorum maſſa maxima ex parte, pendeat ab ea; quod quare contigerit, eam ſolam video cauſam veriſimilem, quã ſuggerit eius inſtitutum fauendi campſoribus; Cum doctrina autem Scacciæ, re minime examinata, concordat Gaitus de credito c. 2. tit. 7 nu. 1614. cum ſeqq., vbi leuiter nimis hanc quæſtionem attigit, licet ſit potiſſima in materia cambiorum; caueant ergo ne putent aucupes probabiliũ opinionum, hinc poſſe colligi probabilitatem opinionis, quam impugnamus: idem verò author nobiſcum clare ſentit eodem tit. 2. nu. 1347.

25 Et per hæc ſatisfit his, quæ ſcribit idem Scaccia §. 6. gloſſa 1. nu. 41, & 42. non grauari debitorem amplius per recambium, quam fieret, acceptis ab alio pecunijs per cambium; idcoq; non eſſe reijciendum illud cambium, in quo campſor reſpexit principaliter ad recambium; nam hęc ratio congruit omnibus fœneratoribus, qui dixerint, ſuas conuentiones fœneratitias eſſe admittendas, quia eorum debitoribus magis vtile fuit, accipere ſuas pecunias ſub vſuris, quam ex venditionibus rerum ſuarum eam conflare pecuniam, quam, à ſe acceperunt: Cur autem hæc ratiocinatio non valeat, ea cauſa eſt, quia non poſſunt partes ſuplere defectum materiæ neceſſariæ pro eo contractu, quem facere voluerunt §. conſtituitur inſtit. de vſufructu: Cum itaq; cambium iuſtum requirat nummos paratos ſolutioni, non poteſt vtilitas debitoris ſuplere defectum huiuſmodi pecuniæ, & conſequenter facere non poſſunt, vt ex eorum conuentione perficiatur cambium iuſtum.

26 Raphael à Turri diſput. 3. q. 12. nu. 19, & 20. q. 14 num. 31, & 32. negat abſolutè, uitiari hoc cambium ex eo, quod campſor ſciuerit, non eſſe ſecuturam ſolutionem in nundinis, argumento innixus nimis fragili, ut oſtendi in c. anteced. nu. 57. cum ſeqq.: & proinde ſolus remanet in hac ſua, dubio procul, erronea opinione: nullũ enim alium inueni ſcriptorem abſolutè approbantem cambium *con la ricorſa*, quando campſor dubitat ne ſequatur ſolutio in loco deſtinato; nam Scaccia, & Gaitus ſe reſtringunt ad forum externum: & conſequenter uideant defenſores horum cambiorum, qua ratione ea poterunt tutari: quod enim dicturi ſunt, multos Doctores ea probare, ſatis nõ erit, cum ipſi explicitè, uel implicitè docuerint, iuſta cambia requirere, ut campſor abſit à ſuſpicione, quod non ſit ſecutura numeratio in nundinis: Circunſtantias autem ſpeciales, quæ id ſignificant, expoſui in c. antecedenti num. 88. cum ſequentibus, ex quibus certa illa erit, cum cambium initur ex pecunijs debitis ex litteris recambij: Quando ſc. licet redeuntibus campſoribus ex nundinis, debitori cambij oſtẽdantur à ſuo campſore litteræ recambij, vt ipſis ſatisfaciat: is autem, cum non habeat paratam pecuniam neceſſariam, prouocat eum ad nouum cambium ineundum, cui campſor aſſentitur, & per hoc nouũ cambium perficitur in proximis nundinis ſoluendum: Cum enim campſor videat, ſolutionem primi cambij nõ fuiſſe ſecutam in pecunia numerata, in nundinis, vtiq; videt, debitorẽ cambij non habuiſſe in nundinis ſuo tempore pecuniã neceſſariã pro ſolutione cambij: Ex eo autẽ, quod interpellat cũ tempore adeo incongruo ad nouum ineundum cambium, clarè intelligit, eum carere ſpe conflandi intra paucos dies pecuniam numeratam: ſi enim ſecus eſſet, interpoſitis ſuis, ac amicorum precibus, à campſore obtinere curaret breuis temporis interuallum ad perficiendam ſolutionem, vt euitaret ſumptum noui cambij, qui grauis eſt, cum eò magis damnoſa ſint cambia, quò magis remotus eſt dies nundinarum: Dicamus ergo, confugere ad nouum cambium ad euitandam

Digitized by Google

tandam ſolutionem recambij, eſt actus, per ſe, ſignificans, debitorem non habere, vnde ſoluat recambium: ergo hoc excitat campſorem ad perquirendum, vnde habiturus ſit debitor pecunias in nundinis ad ſolutionem cambij neceſſarias, niſi debitor ſit campſor, mercator, aut negotiator; Cum autem ille verè non haberet ſpem habendi in nundinis huiuſmodi pecunias ſuo tempore, vtiq; non potuit perſuadere campſori, quorum genus eſt perſpicaciſſimum in pertinentibus ad ſuam artem, ſe habiturum eſſe huiuſmodi pecunias ſolutioni paratas ſuo tempore; ergo clarum eſt, campſorem tunc, vt leuiter dicam, de hoc ſuſpicatum fuiſſe practice.

27 Hactenus ſic expoſui primum fundamentum deſtruens cambium *con la ricorſa*, vt appareat manifeſtè, abſq; errore non poſſe ei quempiam aduerſari, niſi ſpeciales extent coniecturæ deſtruentes præſumptionem, quam inducit per ſe, campſorem putauiſſe, non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis: Hac enim præſumptione durante, qui admiſerint hoc cambium in foro externo, tres tantum habemus authores, Scacciam, Gaitum, Raphaelemq; qui verò in foro interno ipſum admittat, ſolum inueni Raphaelem, fundamentis innixos fragilibus: an autem id admiſerit author tractatus *della ricorſa*, ignoro, cum ſit opus vetitæ lectionis.

28 Exponamus nunc ſecundum fundamentum ex eo pendens, quod ſolutio vſitata huius cambij ſit ſimulata indicans inter eos actum fuiſſe, vt reſtituantur pecuniæ, vbi acceptæ fuerunt, redditæ: Antequam verò rem aggrediar, dico, clarum eſſe, quod re vera ſic ſequitur; nam virtute huius cambij rariſſimè ſoluitur campſori pecunia debita in nundinis, ſed ferè ſemper in loco initi primi cambij: Hoc autem ſufficere debet in re practica, omiſſis formalitatibus imaginarijs, quia leges rebus, non autem nudis verbis feruntur l. vt nullo C. de vſuris, l. 2 in fine C. com. de legatis: Vt tamen omnis adimatur prætextus, grandem hanc ſolutionum machinationem excutiemus diligentiſſimè.

29 Primò autem exploratum eſt, non deeſſe perſonas neceſſarias ad veram ſolutionem inducendam, omnemq; difficultatem conſiſtere in defectu materiæ, & voluntatis neceſſariæ ad inducendam veram ſolutionem: quis enim reuocauerit in dubium, debitorem mandare poſſe inſtitori, reſpõſali campſoris, ac etiam ipſi campſori, vt ſoluat ſibi cambium ex pecunijs ſuis, quas apud ſe habeat, vel ex alia materia capaci veræ ſolutionis?

30 Vt autem res planiſſima fiat, eſt diſtinguenda queſtio, quando ſolutionem fecerit inſtitor campſoris, & per hoc reſponſalis (in propoſito enim æquiparantur) mandato debitoris, & quãdo eam fecit ipſemet campſor creditor cambij: Inſtitor autem poteſt perficere hanc ſolutionem ex proprijs pecunijs, vel alterius, quam creditoris, vel ex pecunijs campſoris; aut ſcribendo ſe debitorem campſoris in libro cambiorum pecuniæ in literis cambij expreſſæ, quos modos ſingillatim exponere conſtitui; etiam ſi enim non ſint omnes vſitati, bonum tamen eſt, ſic hæc exponere, vt occurram machinationibus campſorum malorum.

31 Dum inſtitori inſcribuntur literæ cambij, vtiq; mandato campſoris exequitur eam ſolutionem, quæ in ipſis exprimitur; non modo enim debitor cambij eas literas ſcribit ad inſtitorem, campſore id curante; ſed campſor epiſtolam cambij ei tradit, cum mandato, vt ſolutionem perficiat; ergo fauore inſtitoris oritur actio mandati (ſic eam cũ Doctoribus appellabo) quæ efficit, ne propter huiuſmodi ſolutionem damnum patiatur: Cum itaq; ei multò magis detur exceptio, cui conceditur actio l. inuitus 199. ff. de reg. iuris, campſor vtiq; non habet actionem efficacem aduerſus inſtitorem, vt de ſuo ſoluat ſibi pecuniam debitam virtute huiuſmodi cambij, ſi ex ſolutione, ſecundũ allegatum modum facta, ſuum non fuerit conſecutus, iuxta regulam l. debitor ff. de reg. iuris l. 2. ff. de exceptionibus:

32 Secundò conſiderandum eſt, quod procuratori conceditur retentio rei ad dominum ſpectantis quouſq; ſibi ſatisfecerit de ijs, quę debet occaſione mandati *l. vnic. 1 C. etiam ob chyrograph. pecun. l. ſi quis rem 20. ff. de acq. poß. & tradunt Doctores paſſim. vt liquet ex ijs, quæ docent ſcriptores in expoſitione horum textuum, & in locus de quibus Mareſcotus lib. 2. reſolut. 119, Surdus deciſ. 46. n. 9, deciſ. 277. n. 13, & ſeq. Graſſus except. 16. nu. 20. cum ſeqq.*

33 His iactis fundamentis, exponamus virtutem ſolutionum allegatarum. Ex prima autem conſideratione ſequitur, quod campſor nullam hoc caſu poteſt capere vtilitatem ex eo modo ſolutionis, qui inter campſores vſitatus eſt; vt ſcilicet ſuccedat in locum numerationis pecuniæ, eum, cui mandata fuit exactio cambij, ſcribere in libro ſuæ negotiationis, ſe ipſum exegiſſe cum declaratione, quod eſt debitor eius, ad quem cambium ſpectabat, ſummæ in eo deſcriptæ; agendo enim contra ipſum, replicabit, ſe ſe mandato eius id feciſſe, & nihil ad ſe ex cambio per hoc perueniſſe. & cõſequenter ſe ex ſuo nihil præſtare debere ei, quia id ſequeretur cum ſuo damno; quod, ipſum ſubire, abſurdum eſt, nam id, quod fecit, ex eius mandato fecit præciſè.

34 Dicam clarius, apud campſores receptum eſt, vt is, qui poteſt exigere cambium, virtute mandati ſibi dati ad exigendum ipſum, debitorem liberare poſſit, ſcribendo in libro cambiorum, ſe ipſum exegiſſe, & per hoc ſe eſſe debitorem creditoris cambij; quia ſcilicet cãpſori ſatis eſt, loco prioris habere hunc debitorem: & per hoc adeſt materia capax ſolutionis, quia ſecunda obligatio ſuccedit loco primæ, iuxta regulam l. 1. ff. qui ſatiſd. cogantur, l. ſi rem 9. §. 2. de pign. act.; Cum verò is cui committitur exactio cambij motu proprio id fecerit, non poteſt vtiq; ſe tueri per exceptionem mandati aduerſus creditorem cambij, dum à ſe poſtulat, vt reſtituat ſibi id, quod exegit, quia id fecit ex propria voluntate, non autem mandato ſuo, prout accidit in noſtro cambio; dum enim mandat campſor inſtitori, vt cambium ſic exigat, vt poſſit ſequi recambium, ei pręciſè mandat, vt hoc modo ſequatur ſolutio cambij; nam recambium ſui fauore ſequi non poteſt, ſi in pecunia numerata ſolutum fuerit cambium; & proinde non poteſt campſor poſtulare ab eo, vt ſibi eam reſtituat pecuniam, quam exegit virtute literarum cambij, quia ipſe excipiet, ſe nihil habuiſſe virtute dicti cambij, cum fuerit exactum per nudã ſcripturã.

Digitized by Google

ſcriptura eo ſic mandante; & proinde rectiſſimè dicet, ſe ſe non debere propter hoc pati damnũ: remauet ergo campſor omnino excluſus à facultate conſequẽdi debitã ſibi pecuniã ab inſtitore, ſicq; hanc rem intelligunt campſores; apud eos enim exploratum eſt, inſtitorem, & reſponſalem nihil poſt huiuſmodi ſolutionem præſtare debere, niſi ſcribere literas recambij, & eas ad campſores mittere, vt teſtatur Raphael diſput. 3. q. 7. n. 11: Cauilloſè ergo argumentantur campſores ab illis caſibus, in quibus exactor cambij motu proprio perficit ſolutionem ipſius per nudam ſcripturam, ad caſum noſtrũ, in quo id fit ex mãdato campſoris; quia in primo caſu adeſt materia neceſſaria ad inducendam ſolutionem cambij, in hoc autem caſu deficit.

35 Hinc intelligimus rationem, cur exploratum ſit apud campſores, non obeſſe creditori cambij, quod reſponſalis poſt ſolutionẽ dicto modo perfectam, aufugiat, quia ſaluæ ei permanent priores actiones cõtra debitorem cambij, vt teſtatur Iuſt. de continuatione cambiorum q. 4. nu. 5. in fine, & quæſt. 3, nu. 28; campſores enim animaduertendo pericula ſibi imminentia, ſi extinguerentur per huiuſmodi ſolutionem obligationes contractæ cũ debitore cambij eo modo, quo in cambijs liberis accidit, ei occurrere voluerunt, declarando, quod per huiuſmodi ſolutiones nullo modo primæua iura imminuantur, cum non acquirant aliquod ius contra inſtitorem, ac reſponſalem virtute huiuſmodi ſolutionum.

36 Hoc autem clariſſimè oſtendit, quod noluerunt campſores, haberi pro veris ſolutionibus, eas quas inſtitores, & reſponſales perficiunt per nudam ſcripturam, quia ſolutione eius, quod debetur, omnis tollitur obligatio, vt inſtit. quib. modis tollitur obligatio in fine: & hoc eſt illud, quod explicare debent defenſores harum ſolutionum, proponendo rationem diuerſitatis inter ſolutionem huiuſmodi cambij factã inſtitori per numerationem aureorum *delle cinque ſtampe*, & eam quæ per nudam ſcripturam conficitur: Si enim in cambijs liberis, is cui mandatur exactio cambij, pari modo extinguit debitum ipſius, accipiendo pecuniam, & ſcribendo ſe debitorem ſummæ in eo deſcriptæ iuxta morem campſorum, cur ſecus accidit in cambijs *con la ricorſa*? ab hoc autem nunquã poterunt ſe extricare, quia poſita facultate inſtitoris perficiendi ſolutionem per nudã ſcripturam, neceſſariò ſequitur extinctio debiti contracti per cambium ſic ſolutum: Ea autem remota, euidens eſt, ſolutionem veram non interueniſſe; & per hoc deſtruitur fundamentum recambij, in eo conſiſtens, quod ille, qui eius litteras ſcripſit, ſoluerit cambium, vt liquet ex tenore litterarum ipſius, de quo infra agendum erit: Cum verò ſolutiones horum recambiorum ferè ſemper dicto modo fiant, nec poſſit habere campſor eum queſtum, ob quem cambium iniuit, niſi ſequatur ſolutio dicto modo, luce meridiana clarius eſt, horum cambiorum vſum fuiſſe ſic inſtitutum, vt ſolutio ipſorum ſequeretur in nundinis apparenter, non autem verè: & conſequenter manifeſtum eſt, eſſe cambium ſimulatum.

37. Quam ſimulationem ſolutionis illud prætereà manifeſtam reddit, quod apud campſores in cæteris cambijs diligentiſſimè obſeruatur, vt cambiorum ſolutiones non mandentur eis, qui non exiſtimarentur idonei fide, ac facultatibus; in hoc autem cambio de hoc minimè quæritur: Dices, hanc ſolutionem fieri poſſe cuicunq;, cui creditor habuerit fidem; ſed nihil agis, quia id non contingit in hoc cambio, cum campſores, vt dixi, nolint imminui priſtina iura per huiuſmodi ſolutiones, vt accidit in ſolutionibus aliorum cambiorum, in quibus campſores fidem præſtant eis, quibus mandarunt, vt exigerent ipſa: nam ad extinguenda, omnino, debita huiuſmodi cambiorum, idẽ eſt, ſolutionẽ ſecutam fuiſſe per numerationẽ pecuniæ debitæ, vel per ſcripturam.

38 Ex altera autem concluſione propoſita nu. 32, ſequitur, quod ſi inſtitor ex ſua, vel alterius pecunia ſoluerit cambium, & campſor à ſe eam poſtulauerit, poſſe eum retinere apud ſe pecuniam huiuſmodi, quia actione mandati tantundẽ poteſt ab eo poſtulare, cum ſolutionem huiuſmodi fecerit eius mandato: ſed re vera non eſt opus agere de retentione; cum enim compenſatio habeat locum contra eos, qui vtuntur actione in rẽ l. finali C. de compenſ., non poterit excludi exceptio compenſationis ſub prætextu, quod per numerationem, pecunia huiuſmodi fuerit acquiſita campſori: Eatenus ergo vera ſolutio hæc erit cenſenda, quatenus inſtitor pecuniam huiuſmodi numerauerit campſori, vel in aliam cauſam ad ipſum ſpectantem erogauerit: Quo in caſu dicendum eſt, quod omnino extinctæ fuerint actiones campſori competentes cõtra debitorem cambij, eo modo, quo accidiſſet, ſi ex pecunijs debitoris numeratio ſecuta fuiſſet, quia idẽ eſt, quod debitor ſoluat debitum, vel quod id alius faciat eius nomine l. ſoluendo de negotijs geſtis, l. ſoluere de ſolut.; licet autem hic modus ſoluendi cambia *con la ricorſa* non ſit in vſu, fieri tamen poteſt, vt nouo inuento comento, id introducatur poſtquã per hæc ſcripta, Deo fauente, viri docti, ac pij cõcordauerint, ſolutionem horum cambiorum vſitatam, nõ eſſe veram ſolutionem; quod ſi acciderit, campſoribus ſignificent, extinctionem priorum actionum omnino ſecuturam eſſe: hoc enim audito, ab huiuſmodi comento alienabuntur, cum nolint adire periculum amittendi ſua iura, ſi à foro receſſerit inſtitor, aut reſpõſalis, per quos ſolutiones ſuorum cambiorum ſecutæ fuerunt ſicq; animaduertit optimè de more Card. de Lugo diſput. 28. ſect. 7, nu. 89, in fine, & nu. 90.

39 Sed audio dicentem, quis vetat, in ineundo cambio obligari campſariũ ad ſatisfaciendũ pro eo, cui iniungitur ſolutio cambij cum eiſdem cautionibus? quibus, ſi opus erit, vtetur campſor pari vtilitate, qua ſuis vteretur; benè admones, nã ſic componi poteſt res inter eos, vt valeat campſor vti huiuſmodi actionibus abſq; vllo ſuæ negotiationis incommodo, Dico autem, quod ſtante receptiſſima, ac veriſſima doctrina, quod cambium ſit verè, & ſtrictè permutatio pecuniæ numeratæ cum pecunia numerata, ſatis non eſt, vt adſit pecunia præſens, & abſens, ex quibus fiat cambiũ; ſed opus eſt, vt vtraq; ex his pecunijs habeat diſpoſitionem congruentem permutationi, quia agens operatur in materia bene diſpoſita: Cum itaq; ea ſit natura permutationis, vt illa, quibus

abundamus, permutemus cum ijs, quibus egemus l. 1. ff. de rer. permut.; non eſt ſatis, oſtendere, campſarium habere pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis mediante numeratione, quam huiuſmodi pecuniæ ſacturus eſt Titius eo loci; ſed opus eſt, vt habeat ſic paratam rationem ſatisfaciendi Titio ſuo tempore, vt poſſit dici, eum permutauiſſe pecuniam, qua abundabat, cum pecunijs ſibi vtilioribus: Hoc autem dici non poteſt, niſi re ipſa ſuo tempore ei ſatisfecerit: ſi enim id exequi non valuerit, euentus oſtendit, eum non habuiſſe materiã neceſſariam permutationi; hoc eſt rationem certam, ſuo tempore ſoluendi pecunias, quas deſtinauit permutationi; certam inquã; non poteſt enim dici, eum abundauiſſe pecunia, reſpectu temporis ſolutionis, niſi certam rationẽ habuerit, ſic conflandi eam, vt non eſſet dubium, eum eſſe habiturum ipſam præ manibus ſuo tempore: euentus inquam oſtendit hoc; quia is, qui dixerit, aliquid præter intentionem ei accidiſſe, quod coegerit ipſum ad conuertendam pecuniam huiuſmodi in aliã cauſam, debet id probare l. 2. ff. de probat.: In his autem terminis verſatur caſus, ſuper quo reſpondit Congregatio Cardinalium tempore Greg. XIII, in caſu enim ei propoſito hæc verba aderant, *& al ritorno di fiera vien la tratta del cambio, e Sempronio paga quel che deue;* vt intelliges ex Duardo de cambijs §. 1, q. 40, nu, 20: In deciſione autem Congregationis caſus, de quo infra nu. 86. campſarius facile poterat habere in loco deſtinatæ ſolutionis ex ſuo rationem ſoluendi cambij, vt oſtendi nu. 88: Admonendi etiam ſunt campſores, quod opus erit, vti his actionibus ex perſona eius, qui ſoluit cambium, & ideo creditores eius ſecum concurrent. Ex his autẽ intelligimus, apertè errare Gaitum de credito c. 2. tit. 7. n. 1512, & ſeq. dum dicit, manem eſſe diſtinctionem, conſtituere differentiam inter ſolutionem factam à campſore, & eam, quam facit eius inſtitor, vel reſponſalis: ex dictis enim patet, in ſecundò caſu non deficere materiam neceſſariam veræ ſolutioni, quam deficere in altero caſu clarè ea oſtendunt, quæ ſequuntur.

40 Tractemus nunc de ſolutionibus, quæ fiunt ex proprijs pecunijs campſoris: Quod ſi eius mandato id fecerint, idem eſt, ac ſi ipſemet campſor id feciſſent, iuxta regulam, qui per alium facit, per ſe facere videtur: Si autem inſtitor id faciat nomine proprio, ex mandato tamen debitoris, & licentia ſibi conceſſa à creditore erogandi ſuas pecunias in hanc cauſam, dupliciter id contingere poterit, primò ſi eas pecunias extraxerit è patrimonio campſoris, & in ſuum transtulerit; ſecundò ſi ijs remanentibus in patrimonio campſoris, ſolutionem inde fecerit.

41 Si verſemur in primo caſu, primò inſpiciendũ erit, quomodo extractæ fuerint pecuniæ ex patrimonio campſoris; eas ſcilicet ſeparando ab alijs ipſius pecunijs iuxta regulam §. per traditionem inſt. de rerum diuiſ. l. quoties C. de rei vindicat.: hoc autem effici non poteſt in nundinis, in quibus ſequntur ſolutiones cambiorum *con la ricorſa*, cum in ipſis non adſint pecuniæ campſorum: Secundò conſiderandus erit effectus harum ſolutionum; etiam ſi enim per eas acquirat campſor pecunias exiſtentes in dominio ſui inſtitoris, non tamen hæc acquiſitio eſt cum effectu, ſi mandato ipſius ſoluerit cambium ex huiuſmodi pecunijs; quia non habet actionem efficacem contra eum pro reſtitutione pecuniarum, quas ſumpſit è ſuo patrimonio, cum id mandato eius fecerit, alias non facturus; & conſequenter per hanc ſolutionẽ campſor non acquiſiuit aliquid; eas enim pecunias, quas ante ſolutionem hebebat, præciſè poſt eam habet, & non amplius: obligationem autem efficacem non acquiſiuit contra inſtitorem aut contra alium: ergo remanet in eo ſtatu, in quo erat ante ſolutionem; hoc eſt cum ijs actionibus, quas tempore initi cambij acquiſiuit; quas tamen extingui opus eſt, ſi dicimus, verè ſolutum cambium fuiſſe: Cũ hac ratiocinatione clarè concordat Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſp. 28. ſect. 7. nu, 94. verſ. ſecundo.

42 Tractemus nunc de eo caſu, in quo cambia *con la ricorſa* ſic contrahuntur, vt epiſtola cambij mãdet ipſimet campſori, vt ſibi ſoluat in nundinis pecunias in ea deſcriptas: qua in re animaduertendum eſt, campſores ſic diſtinguere ſolere ſuas proprias perſonas, vt campſor appelletur reſpectu numerationis pecuniæ cambij, *Pietro di Genoua*, reſpectu autem exactionis *Pietro di Fiera*; quod cur fuerit inductum, his verbis exponit Scaccia §. 6. gloſſa 1. nu. 90: *Cum ex hac ſolutione facienda ſibi ipſi campſori, aliquod, ob conceptam mutui palliati ſuſpicionem, oriretur ſcandalum, campſores ad ſcandalum tollendum, ſolent ſic concipere litteras, vt is, qui debet ſoluere ſibi, non ſit idem campſor, ſed alius eiuſdem nominis, qui reperiatur in nundinis.*

43 Cum paſſim accidat, & ratione naturali euidenter congruat, creditorem ſibi ipſi ſoluere, mandato tamen debitoris, ex pecunijs vel rebus ipſius apud ſe exiſtentibus, ſcandali timor nullus fuiſſet, niſi clarum eſſet, creditores cambiorum *con la ricorſa* non eſſe habituros in nundinis pecunias debitorum; & conſequenter hinc probatur, eos contrahere hæc cambia, etiam ſi ſciant, vt plurimum, debitores non eſſe habituros pecuniam in nundinis; tunc enim res eſt vere ſcandaloſa apud populum, ſic contrahere hæc cambia, vt in ipſorum literis dicatur, eorum ſolutionem eſſe faciendam in nundinis ex pecunia ipſiuſmet campſoris: Cũ verò hæc diſtinctio perſonarum, rei veritatem nõ mutet, cum ſit eadem perſona quo ad ſubſtantiã, & negotiationem, ſequitur, ipſos non ſuſtuliſſe fundamentum ſcandali; & proinde durat, cum notorium ſit, illas adiectiones *di Genoua, di Fiera*, non ſignificare diuerſitatem perſonarum, aut negotiationis.

44 Sed rem expendamus, regula iuris eſt, id, quod noſtrum eſt pleno iure, amplius noſtrum fieri nõ poſſe l. 3. §. ex pluribus de acq. poſs. de quo dixi ſupra lib. 20, c. 1, nu. 2. cum ſeqq. & in propoſito eſt textus in l. ſi mandauero tibi 22. §. ſi mandauerim ff. mandati: ergo ex pecunia creditoris non poteſt ſolui cambium, quia per huiuſmodi ſolutionem creditor nihil acquirit: ſoluere autem eſt, dare, vel facere id, quod promiſit l. ſoluere 76. de verb. ſign.; ſolutionemq; eſſe, per ſe, modum acquirendi id, quod prius non habebat, liquet ex l. 1. ff. pro ſoluto, iuncta l. 1. ff. pro ſuo, & in propoſito animaduertit optimè Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſput. 28. ſect. 7. n. 94. verſ. ſecundò quia,

45 Ne-

Digitized by Google

45 Neceſſe eſt ergo dicere, campſorem breui manu mutuare ſibi ipſi velut procuratori debitoris pecunias debitas ex cambio, eaſq; deinde ſibimet numerare pro ſolutione cambij, iuxta l. ſingularia ff. ſi certum petat. Verùm nimis multa obſtant huic mutuo. Primò defectus pecuniæ præſentis, cuius numeratio eſt neceſſaria ad transferendum dominium §. per traditionem inſt. de rer. diu., ſine qua mutuum conflari non poteſt l. 2. §. appellata ff. ſi certum petatur. Secundò obſtat, quod regulis iuris repugnat hæc taciti mutui introductio, vt per eam reddamus efficacem ſolutionem factam ex pecunia creditoris, vt intelliges ex d. l. ſi mandauero 22. §. ſi mandauerim ff. mandati; Tertiò obſtat, quod hoc ius ſingulare eſt, hoc eſt contra regulas iuris, & proinde ſupponit, ob vtilitatem id introduci, & rem eſſe dignam fauore l. ius ſingulare ff. de legib. l. cum quidam in fine de lib. & poſth. c. odia de reg. iuris lib. 6; & proinde non eſt id admittendum in caſu noſtro, cum hic modus ſoluendi ſcandalum inducat apud populum, teſte Scaccia anxio defenſore cambiorũ §. 6. gloſſa 1. nu. 9, & conſeruet cambium valde periculoſum, vt fatentur eius defenſores; iuris .n. ratione, ac pietate ſic iubente admonuit nos Pius V. in ſua conſtitutione de cambijs, reſecandas eſſe occaſiones exercendi vſuras ſub nomine cambij; nibil enim eſt, quod maiorẽ tribuat occaſionem cambijs illicitis, quam ſit, has admittere ſolutiones.

46 Quartò obſtat, quod hoc ius fuit introductum pro mutuis vitio carentibus: vitio inquam iuxta opinionem eorum, qui hoc ius introduxerunt, quod in propoſito ſufficit, vt dicamus, mutua huiuſmodi caruiſſe vitio, iuxta regulam l. quo loco §. 1. de hæred. inſt. quã largè examat Mantica de coniect. lib. 3. tit. 10; ergo non eſt trahendum ad hoc mutuum, quod patitur, vt leuiter dicam, ingentes difficultates; nam extendi non poſſunt iura introducta contra regulas iuris, quando dubitatur, an vigeat par ratio iuxta l. quod verò ff. de legibus, & ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 12. c. 35. n. 20 & 24, l. non eſt nouum ff. de legibus.

47 Quintò conſiderandum eſt, cætera mutua contrahi fauore mutuatarij, de quo egi in c. antec. nu. 7. & 8: hoc autem mutuum contrahitur gratia mutuantis, cum nullum prorſus commodum ex eo poſſit capere mutuatarius; & conſequenter destruit finem mutui, & per hoc non poteſt eſſe verũ mutuum l. 5. §. nunc videndum ff. commodati, l. 1. §. ſi quis ſeruum in principio ff. depoſiti; quia ſcilicet eſſentia contractuum pendet ex ſuo proprio fine, vt oſtendi ſupra lib. 3. c. 1, num. 1. cum ſequentibus.

48 Sextò, obſtat regula l. qui ſic ſoluit 55. ff. de ſolut.; *qui ſic ſoluit, vt recuperet, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui ſic dantur, vt recipiantur*: quod congruit cum ſenſu campſorum, qui negant, extingui per hanc ſolutionem iura acquiſita per cambium: hoc enim non poteſt eſſe verũ, erat verè pecunia debitoris l. bona fides non patitur ff. de reg. iuris;

49 Hæc ſcripſi ſcripſi ad occurrendũ commentis, quæ nouè inuenturi ſint malo campſores, quam vt excutiam praxim vſitatam perficiendi in nundinis has ſolutiones; in hoc enim conſiſtit, vt campſor ſcribat in libro cambiorum, ſe ſe acceptauiſſe literas cambij, ſibiq; ſoluiſſe ſcutos *di Marche* in ipſis ſcriptos, conſtituendo ſe debitorem Petri *di Genoua*: Cum enim nullus prorſus effectus realis ex hoc oriri poſſit, ſequitur, nullam realem ſolutionẽ deduci hinc poſſe: Non oritur inquam realis effectus quò ad creditorem, quia nihil prorſus acquirit virtute horum actuum; licet enim campſor mãdato debitoris ſcripſerit in libro cambiorum, ſe ſoluiſſe ſibi cambium; non tamen oritur contra eum noua actio, ſcilicet mandati, ſi quod benè conſideraueris hanc reſponſionem, intelliges, te affirmare, debitorem cambij mandauiſſe campſori, vt ſolueret ſibi pecuniam debitam ex cambio, ſcribendo ſe debitorem ſui ipſius ſub eadẽ formalitate pecuniæ à ſe pro cambio debitę; quæ res ludum exprimit puerilem.

50 Vt verò rem intelligas, conſidera, quod repræſentatio perſonæ debitoris ita demum habere poteſt virtutem inducendi verã ſolutionem debiti, ſi ad fuerit materia apta ſolutioni ſpectans ad debitorem; quia tunc poteſt creditor, vt procurator debitoris ea vti ad extinguendum debitum per ſolutionem, ſatisfactionem, aliamue legitimã rationem, cuius ſit capax huiuſmodi materia: Ea autem deficiente, nihil poteſt ſuffragari, quod creditor ſit procurator debitoris, cum agens operetur in materia benè diſpoſita: hic autem omnino deficit materia, quia pecunia non adeſt, aut aliud quod ſit debitoris; facultas autem obligandi nouè debitorem nibil valet, quia noua obligatio nõ placet campſori, cum velit perſeuerare in prioribus actionibus, quæ meliores ſunt, quam ſit obligatio ex mandato oriens; & conſequenter non vult eam habere loco prioris, & per hoc non poteſt eſſe ſufficiens materia inducendi ſolutionem aut ſatisfactionem l. finali in fine C. de nouat. l. 1. ff. qui ſatisdat. cogantur l. ſi rem 9. §. ſi omnis de pign. act.; quod ſi vellet ſecundam obligationẽ loco primæ, non propterea dici poſſet, adeſſe materiam capacẽ ſolutionis, quia per hoc nihil acquiret campſor, vt acutè, de more, oſtendit Card. de Lugo diſp. 28. ſectione 7. nu. 95: Et ideo apparet, æquiuocare manifeſtè defenſores harum ſolutionum, dum dicunt, hæc ſolutio poteſt fieri per inſtitorem, vel reſponſalem; ergo fieri poteſt etiam per ipſummet campſorem, cum poſſit pariter repræſentare perſonam debitoris; nam inſtitor, & reſponſalis habent in ſua poteſtate materiam habilem ad ſoluendum cambium, ſcribendo ſe debitores ipſius; cum poſſit hoc eſſe loco ſolutionis, *ſtante il credito*, quod ipſis habet campſor, ſi voluerint verè ſe conſtituere debitores per ſcripturam exactionis, huiuſmodi cambij: Vbi aut res agitur cum ipſomet campſore, deficit omnino materia neceſſaria, quia propria pecunia, vel obligatio non eſt materia congrua ad id efficiendum vt oſtendi, quia Petrus *di fiera* eſt idem, quod Petrus *di Genoua* abſolutè; nemo autẽ poteſt eſſe ſibi obligatus ſub eadem formalitate.

51 Meritò itaq; ſcriptores huius materiæ docuerunt, ſolutionem cambiorum, quæ fiunt ex pecunijs proprijs campſoris, eſſe mera figmenta, ſiue fiant ab inſtitore eius, ac reſponſale, ſiue ab ipſomet campſore, vt intelliges ex ijs, quæ ſcribunt *Sotus de iuſt. & iure lib. 6. quæſt. 10. artic. 1. prope*

ſinem in clauſula petunt enim ibi ac ſi illi pecuniā, quæſt. 13. artic. 1. nu. 3. concluſione, Nauarrus in manuali c. 17. nu. 298. Molina diſput. 404. nu. 6. in fine, Romualdus Coli de cambijs c. 22. Lopez de contractibus lib. 2. tit. de cambijs c. 12. col. 5. & ſeq., Comitolus lib. 3. reſponſo 15. nu. 6, & reſponſo ſeq. per totum, vbi largè, & bene id confirmat, quod etiam facit Garzias de contract. c. 33. nu. 5, 6, & 7, Azor. vol. 3. lib. 10. de cambijs c. 9. quæſt. 2. verſ. in hac re, Marius Muta deciſ. 52. nu. 22, & ſuper conſuetud. Panorm. 62. nu. 26, Mercatus de cambijs c. 9. nu. 3, in clauſula, ma in queſta parte, vbi teſtatur, omnes Doctores in hoc conuenire, Canatius de cambijs tit. de loco q. 2, tit. de pactis quæſt. 1. verſ. declarantur, & quæſt. penult. ibi dicit, idem docere Bernardutum de cambijs num. 24, Palatius de contrac. lib. 3. c. 3, Rebellius de oblig. iuſt. lib. 11. q. 6. nu. 10. ibi aut ad famulos, Sarmientus lib. 7. ſelect. interpr. c. 2. n. 7. & cum eo Rodericus de ann. redit. lib. 3. q. 5. nu. 17, in clauſula vnde in cambio, Salas de cambijs dub. 17. nu. 6, & 7. verſ. & ſupponitur nu. 8. in clauſula ad confirmationem, & clauſula ſeq., Salon. de iuſt. & iure de cam. contr. 11, in reſponſione ad 1, & 2: Reginaldus lib. 25. nu. 442. verſ. quartò quando, P. Candidus p. 1. diſq. 20. artic. 8. dub. 1, & 2, Philippus Faber de reſtit. diſp. 47. n. 293, Scaccia de cambijs §. 1. q. 5. nu. 5, dum has ſolutiones appellat cautelas campſorum contradiſtinctè à bona fide, quæ dedit occaſionem cambio con la ricorſa: Duardus §. 1 num. 12, Scortia ad conſtit. Pontificias theorema 291. col. vltima ibi iam de ſuis, non de campſoris pecunijs ſatisfacit, Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſp. 28 ſect. 7. nu. 82. verſ. quod tamen intelligo num. 93. in fine 94. & 99, vbi inquit. Non fieri poſtea ſolutionem Placentiæ pecunia Ioannis, ſed pecunia Petri accepta quidem per ſecundum cambium a Ioanne vel eius procuratore, ſed facta iam Petri antequam ex ea ſoluat, & extinguat primum cambium, & ſectione 9. num. 121. ita demum admittit cambium, ſi campſarius potuerit ſoluere cambium in nundinis alia ratione, quam contrahendo recambium cum campſore: Eandem doctrinam clarè probauerunt PP. Congregationis indictæ à Sanctiſſimo D. N. Vrbano VIII, pro ſolutione dubitationum propoſitarum circa cambia à Sereniſſima Rep. Genuenſi, vt oſtendi infra nu.

52 Sed audio dicentem, hæc manifeſta ſunt, quomodo ergo potuit propagari abuſus adeo manifeſtus? Reſpondeo, campſores malos pedetentim in ſuis ſubtilitatibus propagandis procedere ſolere, tegendo eas qualitates, quibus cognitis, animaduertunt, Theologos inſignes, & pios eſſe detecturos impoſturas ſuas: Inſuper campſores ex conceſſis, adeo efficaciter concluſiones deducunt, vt paucorum hominum ſit, eos confundere: Primò loco propoſuerunt hanc ſolutionem, ex pecunijs campſoris faciendam quò ad inſtitorem, & reſponſalem, eamq; inducta diuerſarum perſonarum repræſentatione, ſic veriſimilem reddere ſtuduerunt, vt meris Theologis valde difficile eſſet, latentia vitia eius detegere: Hac autem admiſſa dixerunt, apud campſores exploratum eſſe, vt ſolutio cambiorum, quæ recipi poteſt in pecunia numerata, perfici poſſit ſcribendo in libro cambiorum ſe debitorem ob exactionem huiuſmodi cambij; cur ergo dixerunt, id non poterit fieri in hoc caſu? Itaq; in aliquibus ciuitatibus ij, qui medullam huius negotij non penetrabant (quod plerunq; accidere in hac materia, perſcrutatis diligentiſſime ſcriptis circa eam euulgatis, manifeſtè intellexi) admittere hanc rationem cæperunt, quod deinde ſic propagatū fuit, vt in plurimis regionibus paſſim vſu reciperetur hic modus ſoluendi; etiam ſi enim eum multi impugnarent, attamen nullus ex ſcriptoribus cambiorum ſic detexit eius vitia, vt confunderētur rationes campſorum: Hoc verò abuſu recepto, ij campſores, qui ad nundinas ibant, ceperunt ſic ratiocinari; non ne poſſumus ſcribere noſmet ipſos debitores cambiorum pari facilitate, ac faciunt inſtitores, & reſponſales noſtri? cur ergo mercedem, quam habere poſſumus nos, alijs concedimus? Aliquo verò eorum dicente, vis ne ſcribere in libro cambiorum, te eſſe tui ipſius debitorem? cæperunt cogitare de remedio: & tandem deliberauerunt introducere diſtinctionem Petri *di Genoua*, & Petri *di Fiera*; & occultare ſolutionem factā ſibi ipſis per illa verba *in me cambiati*; per quam remota turpi huius rei ſpecie, cæperunt per ſe perficere in nundinis ea, quę per inſtitorem, vel reſponſalem facere ſolebant; Euulgato autem hoc nouo inuento, cæperunt docti viri ipsū examinare: callidi autē cāpſores propoſuerunt caſū in cāpſore, ex proprijs pecunijs ſibi ſoluēte cābiū, quia res erat facilior pro ipſis; Ex quo intelliges, cur ſcriptores huius quæſtionis proponāt caſū in cābio ſoluto ex pecunijs campſoris, etiam ſi nunquam id fuerit in vſu: quia ſcilicet mali campſores volebant, rem in his terminis diſputari: Pro campſoribus autem allegagabatur, per hoc non grauari debitorem cambij magis, quam fieret eo in caſu, in quo ſoluebatur cambium ex pecunijs campſoris per inſtitorem, vel reſponſalem; Quodq; repræſentatio perſonæ debitoris pari facilitate habebat locum in creditore, qua admittitur in eius inſtitore, ac reſponſali; Multi autem ex ijs, qui & ſi idonei non eſſent examinandis ſubtilitatibus campſorum, volebant tamen vacare ipſis explicādis, quod etiam hodie accidit, neſcientes ſe extricare à campſorum argumentis, has ſolutiones admittere cæperunt; Et ſi verò eas docti viri ſuis ſcriptis editis, euertere tunc ſtuduerint, parem tamen, eadem ex cauſa, ſortiti fuerunt ſortunam cum ijs, qui repudiabāt ſolutiones factas ex pecunijs campſoris ab inſtitore, eiuſue reſponſali: Admiſſo autem hoc modo ſoluendi, illico campſores dixerunt, ſi idē eſt ſoluere ex pecunijs campſoris per ipſum, vel per reſponſalem, inſtitoremq;, id, quod in ipſis admittitur, non poteſt in ipſomet campſore repudiari: In ijs autem habetur pro numeratione, quod ſcripſerint ſe debitores cambij exacti, ergo in ipſomet campſore idem admitti debet; Hic eſt progreſſus abuſus adeo manifeſti, quē ſi quis proponeret viris doctis huius praxis cambiendi ignaris, quærendo ab ipſis, an credant, poſſibile eſſe, vt recipiatur hic ſoluendi modus in regionibus abundantibus Theologis, ac I. C. doctiſſimis, ac pijs, pro uera ſolutione, nemo extiturus eſt, qui id affirmauerit, adeo eſt manifeſtum eius uitium.

53 Oſtendimus hucuſq;, cambia vſitata *cō la ricorſa* ea mente iniri, ne ſequatur numeratio pecuniæ

in nun-

in nundinis, & ſolutiones, quæ in nundinis ſequuntur, eſſe ſolutiones ſimulatas. Oſtendamus nunc, ea apertè facere fraudem conſtitutioni Pij V: Antequam autem id exponam, operę precium erit, recenſere ea, quæ in propoſito ſcribit Homobonus de examine Eccleſiatico p. 2. tract. 9. q. 54. in ſuppoſitis col. 2. dum ait. *eo tempore, quo Sanctiſſimus ac prudentiſſimus Pontifex Pius V. conſtitutionē circa hanc cambiorum materiam edidit, quidam Genuenſes mercatores poſt illam lectam hæc verba protulerũt, ſi Papa dolos, fraudes, ac technas, quæ in cambiorum commercijs comittuntur, ac Theologorum oculos latent, detegere volebat, nos prius vocare, & interrogare debebat.* Vt autē id appareat, præmitto, tunc fieri fraudem legibus, cum, ſaluis legis verbis, offendimus mentem legiſlatoris l. non dubium C. de legibus; mens autem fuit Pij V. curare, ne ſub ſpecie cambiorum vſuraria prauitas exerceatur, vt legitur in proemio conſtitutionis; vſuraria verò prauitas cōſiſtit in re, nō autem in verbis: & proinde non poſſunt ſeparari ij contractus cambiorum, qui in re conueniunt, etiam ſi quò ad verba diſcrepent: ſic autem ſancit Sanctiſſimus Pontifex, *damnamus ea omnia cambia, quæ ſicca nominantur, & ita confinguntur, vt contrahentes ad certas nundinas ſeu ad alia loca cambia celebrare ſimulent, ad quæ loca ij, qui pecuniam recipiunt, litteras quidem ſuas tradunt, ſed non mittuntur; vel ita mittuntur, vt tranſacto tempore, eò, vnde proceſſerant, inanes reuertantur, aut etiam nullis huiuſmodi litteris traditis, pecunia ibi cum intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus: nam inter dātes, & recipientes vſq; à principio ita conuenerat, vel certè talis intentio erat; nec quiſquam eſt, qui in nundinis, vel locis ſupraſcriptis, huiuſmodi literis receptis, ſolutionem faciat*: Si euidens erit, cambia, de quibus agimus, plus grauare, quam cambia reprobata in hac conſtitutione, quis inficiaturus eſt, ſatius fuiſſe, Pium V. hanc non edidiſſe conſtitutionem, ſi admittimus huiuſmodi cambia velut cōformia eius menti? Si literæ non mittuntur ad nundinas, non erit opus inire recambium, & conſequenter cambiens liberabitur à ſolutione vectigalis, quod ſoluitur pro cābijs, & ab ea mercede, quæ ſoluitur pro recābio, appellaturq; *la prouiſione*; & conſequenter minori ſumptu contrahentur cambia, ſi literæ eorum non tranſmittentur ad nūdinas, quia ſoluent debitores acceſſiones ſolas primorū cambiorum abſq; vectigalis, & mercedis ſolutione: adeo autem acerbè exigunt campſores huiuſmodi mercedem, vt concurrat ad augēdam ſummam recambij: hoc eſt, cambiens non ſolum ſoluit dictam mercedem, verum etiam eiuſmodi mercedis acceſſiones à recambio inductas, per hoc ſoluere cogitur.

54 Dum Pius V. reprobat cambia, quando literæ redire inanes, ea ne ſic reprobat, vt in poteſtate campſorum ſit, facere iuſta ea cambia, quæ per hoc reprobantur, nulla introducta quò ad rem, diuerſitate? nequaquam; quia nunquam ſic leges bonas exponimus, vt poſſit ipſis fieri fraus, vt intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 23. c. 12. nu. 14. cum ſeq. c. ſeq. n. 2: Ponamus campſorem fœneratorem, ineuntem apertè cambia reprobata in hac conſtitutione, velle euadere eius ſeueritatē, & loco cambiorum, quorum literæ non mittuntur ad nundinas, incipere inire cambia *con la ricorſa*; quis poterit eum redarguere, cum inter eum, & accipientes pecunias ſuas ſine teſtibus conueniatur de ineundo apparenter huiuſmodi cambio? dices, tunc iniri cambium diuerſum, & per hoc oriri diuerſum effectum: verum à te quæro, an hęc diuerſitas diminuat vtilitatem campſoris, & damnum cambientis? negabis vtiq;: ergo pari alacritate vtrunq; genus cambiorum fœnerator exercebit, & conſequenter nihil ei oberit hæc conſtitutio; Dices rurſus, neceſſe eſſe, habere in nundinis perſonam, quæ accipiat literas cambij, & contrahat recambium, quod non omnibus contingit: nugaris, quia expedit fœneratoribus mittere ſuos inſtitores ad nundinas cambiorum, quia mercedes recambiorum largè eis ſuppeditant ſumptum neceſſarium, & largam mercedem: quod ſi adeo tenuis ſit campſor, vt non expediat ei mittere inſtitorem, non deerunt vnquam campſores, vel inſtitores aliorum campſorum in nundinis, qui ſuſcipient onus acceptandi litteras cambij, & ineundi recambium, vt habeant vſitatam recambiorum mercedem: Ergo manifeſtum eſt, hanc cōſtitutionem ſic exponi, vt ſuperuacanea ſit, ſi admittimus hæc cambia: Hæc autem confirmant ea, quæ ſcripſi circa locum nundinarum.

55 Dum Pius V. redarguit cambia, ſi nullus erit in nundinis qui litteris cambij receptis, earum ſolutionem ſit facturus, poteſt ne ſic intelligi, vt facillimum ſit fœneratoribus, efficere, vt ipſis non poſſit opponi hæc ſanctio? non vtiq;; quia inanis eſſet hæc conſtitutio: Cum verò inſtitores campſorum, & quicunq; alius, ad quem mittent litteras cambij *con la ricorſa*, ſit dubio procul earum ſolutionem facturus iuxta modum vſitatum, vtiq; eſt in poteſtate campſorum, ne ipſis noceat hæc ſanctio; dubio inquam procul, nam ipſis non poteſt nocere, ſibi ipſis ſoluiſſe cambium, & recambium perfeciſſe, cum id faciant mandato campſoris, qui actione mandati tenetur eos liberare ab omni damno, quod eis poſſit obuenire ex actu, iuxta ſuum mandatum facto vt ſupra, expoſuimus nu. 32, & 33: Dum deniq; Pius V. damnat intentionem campſorum ſic ineuntium cambia, ne ſoluantur in loco deſtinatæ ſolutionis, quia eius mētis fuerunt vt *pecunia ibi cum intereſſe repoſcatur, vbi contractus fuerat celebratus*; vtiq; voluit, eā poſſe puniri pœnis cōſtitutis in ſua cōſtitutione: ergo voluit, eā probari per eas pręſūptiones, quarū capax eſt ſubiecta materia: hæ autē pendent ex eo, quod plerunq; accidit in huiuſmodi cambijs, & ex conſuetudine campſorum, de quibus agitur, iuxta l. in obſcuris 115. de reg. iuris: Cum itaq; adeo vſitatum ſit, pecuniam ſolutam pro his cambijs repoſci in loco initi contractus, vt rariſſimè accidat contrarium, ſequitur, hoc ſufficere ad id probādū. Ex quibus intelligis, Raphaelem apertè nimis inſeruire patrocinio horum cambiorum, dum diſput. 3. q. 11. nu. 3. verſ. prout nihil, dixit, erroneum eſſe trahere ad cambia iuxta ſtylum campſorum multiplicata hanc conſtitutionem.

56 Poſtrema cōſideratio ſpectat ad comparationē improbi illius fœnoris, quod Impp. gentiles infamiæ notæ ſubiecerunt l. improbum C. ex quib. cauſ. infam. irrogetur, cum cambijs *con la ricorſa*; incredibile enim videbitur, quod tamen verum eſſe patebit, hæc cambia longè magis grauia eſſe

huiu-

huiuſmodi fœnore, ita vt plerumq; magis expediret ei, qui accipit pecuniam ſub cambio *con la ricorſa*, eam accipere ſub fœnore improbo; & proinde abſurdum eſt, affirmare, minorem inæqualitatem exiſtere in hoc cambio, quam per ſe exiſtat in improbo fœnore; quia vbi eſt minor inæqualitas, ibi eſt minus damnum ex parte eius, cui non ſeruatur æqualitas propria contractus initi per ſe. Primò autem loco occurrit, quod preciũ cambiorum in nundinis texatur à campſoribus, hoc eſt ab ijs, de quorum vtilitate agitur; & proinde ij, qui ineunt hæc cambia peioris conditionis ſunt illis, qui mutuas pecunias accipiebant ſub fœnore improbo, quia ipſi prius conueniebant de quantitate huiuſmodi fœnoris, & conſequenter poterant deliberare, expediret ne conuentionem inire: In quantitate etiam plerumq; acceſſiones cambiorum excedunt fœnus huiuſmodi improbum: non erat etiam ita breue tempus aſſignatum reſtitutioni pecuniarum cum improbo fœnore mutuatarum, quia liberum erat, ipſum definire; e contra verò ſolutio recambij eſt facienda *ne'ritorni di fiera*, qui tempora habent determinata: dices, nouum poſſe tunc iniri cambium, verum id pendebit ex voluntate campſoris, qui multis ex cauſis poteſt id recuſare.

58 In fœnore improbo, finito tempore mutui, ſi renouatum fuerit, id fit nulla ſoluta mercede fœneratori, cui ſatis eſt, habere fœnus conuentum: in cambijs autem, de quibus agimus, recambium inducit obligationem ſoluendi mercedem, quæ appellatur *la prouiſione*; quæ directè, vel indirectè tendit ad vtilitatem campſoris; ſi enim remanet apud eius inſtitorem, cedit loco mercedis, quam ei aliàs ſoluere deberet de ſuo: Cum autem recambiũ integrè cedat in vtilitatẽ campſoris, quo colore petit mercedem contractus, quem init principaliter ob ſuum commodum? Illud inſuper accedit, quod in conflanda quantitate recambij concurrit huiuſmodi merces, & lucrum prioris cambij, quæ non poſſunt concurrere in augenda ſorte mutui vſurarij l. vt nullo C. de vſur.

59 Poſtremò conſiderandum eſt priuilegium proceſſus executiui, qui conceditur pro cambijs, quę in nundinis contrahuntur, eſſe adeo rigidum, vt ſuperet virtutem aliarum obligationum, vt intelliges ex Scaccia de cambijs §.7. gloſſa 5. vbi recẽſentur hæc verba ſtatuti Genuenſis *facere debent præceptum debitori, quod ſoluat intra horas 24. quibus tranſactis, teneantur licentiam expeditam concedere*.

60 Sed audio vnum ex ijs, qui rugis, & ſupercilio homines decipiunt, me æquiuocare, quia ineo comparationem inter contractum iuſtum, & conuentionem fœneratitium: quid ais, improbe? nonne animaduertis, te petere principium; quid enim aliud quærimus, niſi an hæc cambia ſint fœneratitia? Alius eiuſdem farinæ homo dicet, eam exiſtere inter has conuentiones differentiã, quod in cambio interueniunt titulus iuſtus, ſolutio realis, & renouatio cambij, quæ omnia pariunt effectus ſupra conſideratos: circa fœnus autem improbum, mutuum interuenit ſolum, & promiſſio ſoluendi fœnus conuentum: Verùm te animaduertere oportet, ex inæqualitate oriri vitia contractuum, vt explicant omnes cum Ariſt. lib. 5. Ethicorum c. 1. & 5, & proinde eo maius eſt vitiũ contractus, quò maiorem continet inæqualitatẽ: vbi verò magis expedit per ſe, hunc iniri, quam illum contractum vitioſum, euidens eſt demonſtratio maioris inequalitatis, cũ contineat repugnantiam, contractum qui per ſe minorem continet inæqualitatem, per ſe eſſe magis damnoſum. Cũ itaq; hoc cambium per ſe, magis lædat, quam cõuentio ſoluendi fœnus improbum, euidens eſt, naturam huius cambij, ſolutionem ſecutam in nundinis, & recambium nõ adimere eius vitium; & conſequenter non poſſunt reddere hanc conuentionem cõgruentem regulis iuſtitiæ commutatiuæ, quę mediante æqualitate aritmetica moderatur conuentiones; remanente autem vitio in hoc contractu cambij, manifeſtè ſequitur, peiorẽ eum eſſe, quam ſit conuentio de ſoluendo fœnore improbo, cum magis lædat eum, qui ipſum iniuit, quam mutuum initum cum promiſſione ſoluendi fœnus improbum.

61 Dicet autem aliquis acutus I. C. hinc ſequi, cãbium hoc eſſe contractum iniuſtum, non tamen ſequi, ipſum eſſe vſurarium contractum: Verum reſpondeo, ſatis eſſe ad explodendum hoc cambium, quod magis iniuſtum ſit, quam improbum fœnus, cui pœna infamiæ irrogatur: Deinde animaduertendum eſt, hoc cambium nõ admittere ſubſtantiam permutationis, emptionis, ac venditionis, vel alterius contractus iuſti, ſed merum mutuum continere, iuxta ſcripta in c. anteced. n. 1. cum multis ſeq. & proinde ex eius vitio adeo grandi ſequitur manifeſtum fœnus, cum non poſſit contractus mutui cõtinere notabilem inæqualitatem abſq; labe vſuraria.

62 Hæc ergo ſit concluſio, fieri non poſſe, vt contractus iuſtus, per ſe, magis lædat, quam contractus vitioſus, quia iuſtitia contractus excludit inæqualitatem, ſine qua non datur læſio, per ſe, in contractibus: ergo manifeſtum eſt, nimis, iterumq; nimis vitioſum eſſe hoc cambium, cum, per ſe magis lædat, quam faciat illud fœnus, quod legislatores gentiles velut improbũ damnauerunt: non eſt ergo, quod defenſores horum cambiorum quærant ſuis, liberè dicam, cauillationibus, hoc cambium defendere, quaſi quod ſit contractus fauore dignus, cũ abſonum ſit, inter Chriſtianos à Chriſtianis exerceri liberè, contractum magis graue eo fœnore, quod legislatores gentiles, velut improbum, infamiæ ſordibus notauerunt; quæ erit inter Catholicos, & hæreticos in materia fœnoris differentia, ſi contractus admittimus ijs grauiores, quos in hæreticis, velut vſurarios damnamus? Huc ſpectant verba D. N. quæ dixit glorioſiſſimæ Sanctæ Matri Tereſiæ, vt ipſamet recenſet in ſua vita c. 40: *I miei fedeli, ò figliuola, hanno da far hora più che mai, al contrario di quello, che gl'heretici fanno*: Conſiderent cordati, ac pij viri, quantum deroget decori S. M. E. poſſe hæreticos, hinc arripere occaſionem exprobrandi nobis, quod fœnus verbis quidem damnemus, re autem ipſa exerceamus fœnus magis acerbũ, quam illud ſit, quod gentiles velut improbum damnauerunt infamię nota: facillimos autem eſſe hæreticos in arripiendis occaſionibus calumniandi Catholicos, quis ignorat?

63 Dices deniq; ſæpiſſimè accidere, vt magis expediat, per vſuras comparare pecuniam, quam

querimus,

quærimus, quam per contractum licitum. Nugaris; nonne ei magis expediuiſſet, per ſe, ex mutuo iuſto eam habere pecuniam, quam ex mutuo vſurario? Ne verò hac in re hæreas, aduertendũ eſt, duas eſſe quæſtiones diuerſas, an expediat magis, pecuniam quærere à fœneratore, aut ab emptore, vel conductore rerũ ſuarum, vt cæteros præterea licitos contractus, conflandæ huiuſmodi pecuniæ idoneos: An verò expediat magis, confugere ad modum acquirendi pecuniam alienam licitum, an ad illicitum, ſi non contingit, re ipſa, diuerſitas circa obligationem eam reſtituendi? Prima quæſtio pendet ex circunſtantijs, per quas fieri poteſt, vt expediat Petro id, quod obeſſet Seio: Secunda verò dependet ex ſubſtantia negotij geſti, cum ex vtroq; eadem oriatur prorſus obligatio: Cum itaq; ſemper, his terminis terentis, expediat magis, inire eum contractum, in quo magis conſeruatur æqualitas, quam eum, in quo minus conſeruatur, quia hic magis lædit, quam ille; impoſſibile eſt, vt in his terminis, per ſe, magis expediat, inire conuentionem fœneratitiam, quam eam, quæ iuſta eſt; quia illa ſemper offendit æqualitatem, & per hoc ſemper lædit; cum tamen conuentio iuſta, per ſe, non lędat, cum æqualitatem conſeruet, ſi non abſolutè, ſaltem intra latitudinem iuſti precij.

64 Hæc autem applicando caſui noſtro, ſi campſor, conſtituto certo fœnore, latenti tamen, mutuauerit eam pecuniam, quam ſub cambij nomine dare volebat, cum promiſſione reſtituendi ipſam eo met tempore, quo recambium eſſet ſoluendum; nulla vtiq; diuerſitas, re ipſa, exiſtit ex parte mutuatarij; quia acceptari litteras, ſoluiq; in nundinis cambium, nulla ex parte m leuiorem reddit ſuam conditionem, & conſequenter eſt clarũ, quod ſi fœnus illud erit ęquale ea acceſſioni pecuniæ, quæ adijcitur ex cambio, & recambio, pecuniæ, quam à campſore accepit, per ſe, erit omnino vtilius ei, contrahere mutuum fœneratitium, quam cambium; quia tantundem ſoluit pro fœnore, liberatur autem ab obligatione ſoluendi mercedem, quam appellant *la prouiſione*, & à rigidiſſimo modo cogendi debitores ex cauſa cambiorum; poteritq; conſtituere tempus reſtituendæ pecuniæ acceptę, ſibi magis opportunum, quod in cambijs non accidit, cum habeant eorum ſolutiones tempora determinata.

65 Ne dicas autem, hinc ſequi, melius eſſe, permittere liberè vſuras moderatas, quam retinere vſum cambiorum: aliud enim eſt, quærere, quid conueniat ſingulis perſonis, per ſe conſideratis; & quid congruat decori, & puritati fidei Catholicæ, & populorum neceſſitatibus, in vniuerſum conſideratis.

66 Quoniam verò in hunc locum incidi, piaculũ eſſet, præterire modum euidentem, quo in ſingulis populis poſſent priuati habere commoditatem acquirendi pecunias, ſuis temporibus neceſſarias abſq; vlla prorſus ſuſpicione fœnoris. Singuli populi vtiq; habent conſilium proprium, niſi puſilli ſint, & alterius populi membra puſilla: ad conſiliũ publicũ verò ſpectat, curare ea, quæ vtilitatem populi reſpiciunt: Cum itaq; experientia doceat, multos pati magnam difficultatem in reperienda pecunia, quam deſiderant (Montes enim pietatis modicã tribuere ſolent pecuniam) vtiq; congruit muneri conſilij publici, obtenta a Præſide Prouinciæ, vel Principe licentia, eã comparare pecuniarum quantitatem, qua populus indiget, & ipſam diſtribuere inter indigentes, idoneis tamen interuenientibus cautionibus.

67 Huiuſmodi autem licẽtia vtiq; nõ denegabitur, ſi nulla interuenerit imprudẽtię, aut fœnoris nota: Hoc verò euidenter accidet, ſi conſilium publicũ officium conſtituerit cum authoritate vendendi annuos reditus conſtitutos ſuper reditibus publicis, qui nunquam deficiunt; vt pecuniam inde conflatam illis diſtribuat, qui ipſam poſtulauerint, oblatis idoneis fideiuſſoribus, cum obligatione ſoluendi prouentum annuum huiuſmodi cenſuum pro rata ſua, & aliquid amplius, hoc eſt ratam partem ſumptuum officij arbitrio boni viri determinatam: Cum enim officium nullam percipiat ex hinc vtilitatem, & munus ſuum ſit, conflare pecuniam neceſſariam vſibus populi, nihil eſt, quod redargui poſſit, cum nulla ei ſuperſit certior ratio nummos comparandi: certior inquam, quia depoſitas accipere pecunias, eodem ſumptu grauabit officium: (gratis enim non ſunt depoſituri pecuniarum quãtitatem neceſſariam vſibus populi) adimiturq; omnis occaſio fœnoris ex parte eorũ, qui pecuniam officio ſunt traditauri. Moderatiſſimus autem erit ſumptus accipientium pecuniam ab huiuſmodi officio, quia ciues libentius ab eo annuos reditus ement reddentes quinq; ſcutos in ſingula centena ſcutorum, quam à priuatis in ſumma multò maiori; ob facilitatem exigendi annuos prouentus, vendendiq; reditus ſuos pro eo precio, quo eos emerunt: Si autem dixeris id non eſſe in vſu, replicabo, non tam quærendum eſſe quid fuerit factum, quam, an id fieri debuerit; Hoc autem fuit introductum Florentiæ à Gloriſiſſimo Coſmo II. Magno Duce ſemper memorando ob mirãdas eius virtutes; perſuadente ipſi id celeberrimo, ac pijſſimo verbi Diuini concionatore P. Franciſco de Nigris Capuccino Genuẽſi, qui nõ minus pie, quã doctè ex ſuggeſtu damnabat cambia *con la ricorſa*, non autem cambia iuſta, licet nonnulli eum obliquo ſermone notauerint, quaſi quod damnaret indiſtinctè vſum cãbiorum.

68 Expendamus nunc ea, quæ Raphael ſcripſit in diſput. 1. quæſt. 13. num. 105. cum ſequentibus pro ſolutione argumenti, circa quod verſamur: Primò autem loco ait, vſuram vetitam eſſe iure diuino, cambium autem non eſſe vetitum, & proinde non poſſe argui ab vſura ad cambium *nec per neceſſe, ait ipſe, concludit arg. deductum in propoſito à rationibus allatis per Doctores, quibus aſſerunt prohibitam eſſe vſuram de quibus non habeo diſputare*: his verbis Raphael clarè ſignificat, ſe putare, vſuram vetitam eſſe iure Diuino poſitiuo, quod repugnat ſententiæ D. Thomæ 22. q. 78. artic. 1. in corpore, vbi euidenti ratione comprobat, vſuram malã eſſe per ſe, & cum eo concordant DD. frequentiſſimis calculis, vt liquet *ex deciſ. 301. nu. 39. & ſeq. p. 5. recent. Io. de Salas de vſuris dubio 3, Lupo in ſimili tract. com. 1. §. 5. nu. 20. cum ſeqq., Card. de Lugo de iuſt. & iure diſp. 25. ſect. 2, & 3, vbi acutiſſimè, de more, rem examinat, & ex alijs paſſim*: Cum verò iuſtitia commutatiua ſeruet æqualitatem per

aritme-

Digitized by Google

aritmeticam proportionem, vt docet Ariſt. lib. 5. æticorum c. 1. & 5. & cum eo omnes, natura mutui certè eſt, vt reſtituatur tantundem, non autem plus, quam acceperit; ergo ex natura contractus mutui deduci non poteſt, vt pro eo vſura ſoluatur: hacq; de cauſa iuris ciuilis authores pro vſuris non concesſerunt actionem ex mutuo, ſed certi condictionem, vt oſtendi ſupra lib. 13. c. 20. nu. 5, & ſeq.: Ergo opus eſt, vt ſpeciali conuentioni id tribuatur; & proinde videndum eſt, an exiſtat materia capax huius conuentionis (circumſcribimus enim donandi animum) quod autem mutuans concedat ei vſum ſuæ pecuniæ, non poteſt allegari, ſi conſideretur vſus poſt rem traditam, quia tranſlatio dominij ſecum trahit huiuſmodi vſum, vt euidenter probat D. Thomas.

69 Neceſſe ergo eſt, vt materia huius pactionis conſiſtat in compenſatione voluntatis mutuantis, priuandi ſe dominio ſuæ pecuniæ, vel rei, vt in mutuatariũ eã transferat: Cum verò hæc voluntas habeat pro ſine ipſamet traditionem pecuniæ, vel rei mutuatæ, vtiq; non poteſt plus mereri, quã ipſa traditio mereatur; propter quod enim vnum quodq; tale eſt, & illud magis: Cum itaq; traditio ipſa, ſecundum iuſtitię regulas non poſſit obligare ad reſtituendum pluſquam accepit; conſequens eſt, quod beneficentiæ conſideratio, quæ eum induxit ad traditionem, non poſſit eſſe materia capax maioris obligationis, quã ſit ipſamet traditio: propterea q; tollitur id, quod dicitur, poteram non mutuare, ergo deliberatio mutuandi meretur aliquam recompenſationem: nam deliberatio mutuandi non conſideratur propter ſe, ſed propter ipſam traditionem, & ideo nõ poteſt eſſe capax maioris obligationis, quam ſit ipſa traditio.

70 Et per hoc tollitur id, quod dicitur, priuare ſe, vt acquirat actionem ad tantundem recuperandum, eſſe quid, per ſe, æſtimabile; & proinde mereri poteſt compenſationem: nam traditio rei mutuatæ id inducit per ſe, & ideo non ſunt ſeparanda ea, quæ ſunt coniuncta: Vt verò planius id intelligas conſidera, mutuum ſimplex eſſe illud quod ſecum non trahit damnum, aut lucri amiſſionem (tunc enim admittimus, mutuantem poſſe plus accipere, quam dederit, vt ſcilicet indemnis conſeruetur, vt intelliges ex ijs, quæ ſcripſi ſupra lib. 13. c. 9. nu. 39. cum ſeqq.) & proinde male dicitur, plus valere rem, quam actionem ad tantundem conſequendum, quia ex retentione rei mutuatæ ſuum non fuiſſet auctum patrimoniũ, directè, aut indirectè: licet autem, per ſe, ſit æſtimabile precio, priuare ſe facultate exercendi pecuniam ſuam; per accidens verò non eſt tale; quando ſcilicet hæc facultas non erat deducenda ad actum: *Tanto vale il bene, che non gioua, quanto il male, che non noce*. Exemplũ verò eius, qui ſuum prædium incultum relinquit intuitu commodi alterius, habet diuerſam rationem, quia poteſt dare alteri ipſum colendum cum ſua vtilitate, etiam ſi ipſe non valeat ipſum colere: diſtinguendum ergo eſt inter eum, qui interim veriſimiliter uſurus eſt rę mutuata, & eum, qui non eſt ea interim uſurus: reſpectu primi eſt uerum, pluris ualere rem, quam actionem; at reſpectu ſecundi non eſt uerum, ſi nulla ſit dubitatio probabilis recuperã-

dę rei ſuæ ſuo tempore; quia commutatio huiuſmodi acquirit, cõſeruat, aut auget beneuolentiã mutuatarij abſq; damno, vel lucri amiſſione; quæ digna eſt, vt aliquo incommodo, ſortaſſe euentuto in recuperatione rei mutuatæ perquitatur: Dicamus ergo, ſocietas humana ſic comparata eſt, vt mutuis officijs homines inuicem ſe coniungant, vtq; alter alterius onera ſubeat: ergo neceſſe fuit, inuenire aliquos modos, quibus, abſq; diminutione patrimonij, conſuleremus ex rebus noſtris eorum temporibus, quos putamus expedire, habere beneuolos; hi autem fuerunt commodatum, precarium, & mutuum: quod ergo dixit D. N. mutuum date, nihil inde ſperantes, deduxit ex ea cauſa, ob quam mutuum fuit inuentum: & proinde ſtipulari vſuram corrumpit finem, ob quem fuit inductum mutuum, & conſequenter iniuſte fit, quia eſſentia actuum moraliũ pendet ex proprio eorum fine, vt oſtendi ſupra lib. 3. c. 1. nu. 1. cum ſeq.; hocq; accidere videmus in commodato, quod deſinit eſſe tale, ſi aliquid detur velut debitum à commodatario, & per hoc tranſit in contractum locationis; quia fuit introductum, vt liberaliter vſum rerum noſtrarum amicis concedamus l. 5. §. nunc videndum ff. com. mod.: idem accidit depoſito vt in l. 1. §. ſi quis ſeruum ff. depoſiti iuncto §. anteced., in mandato l. 1. ff. mandati.

71 Non poteſt autem tranſire in caſu noſtro conuentio in alium contractum, quia res tradita pleno iure tranſit in mutuatarium, & proinde circa vſum eius, prout in commodato accidit, non poteſt interuenire obligatio ſoluendi mercedem, vt probat D. Thomas: numeratio autem, vel traditio rei nõ continet eam operarum pręſtationem, quæ digna ſit mercede, & per hoc non poteſt tranſire in contractum locationis, vt accidit depoſito, & mandato interueniente mercede: & conſequenter omnino remanet mutuum, quod impedit valere promiſſionem ſoluendi vſuras, cũ eius fini id repugnet: ſicut enim merces impedit introduci commodatum, depoſitum, ac mandatum, quia fuerunt introducta officij præſtandi gratia, ita mutuum impedit introduci obligationem ſoluẽdi aliquid vltra ſortem pro vſu pecuniæ mutuatæ, quoniam fuit introductũ, vt per ipſum exerceamus beneficentiam: remanet ergo promiſſio vſurarum abſq; materia capace obligationis, & conſequenter non eſt apta, veram introducere obligationem.

72. Secundò reſpondet Raphael nu. 110. mutuantem ſub vſuris habere pro fine lucrum, & conſequenter damnum mutuatarij, quia lucrum naſcitur ex damno illius: cum itaq; nulla alia rationabilis vtilitas compenſet huiuſmodi damnum, merito, inquit, vetitum eſt dare mutuum ſub vſuris: *diſſimulatur autem, & permittitur in cambio, quia ex huiuſmodi contractu emanant illæ vtilitates, quas vidimus in quæſtione tertia*: ſunt verba Raphaelis, quæ ſignificant clare eius ſententiam, quod cambia, de quibus agimus, indigeant diſſimulatione; quia nempe ſunt, per ſe, mala: Cum verò mercaturæ ſatisfiat pleniſſimè per cambia libera; quibus nã vſibus publicis deſeruiunt cambia *con la ricorſa*? quæ omnes fatentur, eſſe aptiſſima ijs operiendis mutuis vſurarijs, quæ minus grauia eſſent, ſi reuelata

lata facie exercerentur; gratis ergo dicitur, vtilia eſſe hæc cambia, cum ſint per ſe damnoſa, licet per accidens vtilitatem afferre poſſint, quod etiã accidit venenis, & cæteris rebus malis: non eſt tamen prætereundum, quod Nauarrus in fine conſ. 32. tit. de vſuris ſic ſcribit: *Non ſatis ſcitur, quare campſores dicantur relinquere artem mercaturæ propter artem campſoriam, neq; quo fine, & qua ratione, vel qua neceſſitate publica, vel particulari vtilitate proximi id faciant, vt cenſeantur mereri intereſſe lucri ceſſantis*, adeas eundem Raphaelem in locis allegatis in c. anteced. nu. 75: & diſp. 3. q. 11. nu. 40. vbi de hoc ſuo contractu hæc ſcribit; *Vt enim valde timeo, ne cum Magnatibus non modo, & viris Principibus, ſed etiam cum reliquis, & etiam mercatoribus ipſis* PLERVNQVE *prætextu cambij iniquiſſimos contractus celebrari, & omni reprehenſione digniſſimos*.

73 Tertia reſponſio proponitur à Raphaele n. 111. cum ſeq. quod ideo vſura damnatur, quia ex re ſterili, prout eſt pecunia, quęritur fructus: E contra autem in cambio fit queſtus, *quia lucrum reſultat ex ipſo corpore ſcuti marcharum, in quo ſcuto non eſt ſeparabilis ſors à lucro, quod tunc apparet, cum ſcutus marcharũ præuia illa conuentione quodammodo parit*: hæc autem eſſe mera verba, oſtendi in c. antecedenti n. 78. & ſeq.: in propoſito autem quæro ab eo, quomodo fieri poſſit, vt allegatus partus ſcutorum *di marche* ſit conueniens iuſtitiæ regulis, ſi partus ſcutorum argenteorum, ac aureorum, etiã ſi interuenerit conuentio, ſit illegitimus, & minorem contineat iniuſtitiam, quia minus lædit debitorem? hoc eſt illud, quod explicandum eſt eis qui ſoluere velit arg. de quo agimus, quod non præſtitit Raphael, aut alius; in poſterum præſtiturus eſt.

74 Cum autem defenſores cambij *con la ricorſa* potiſſimum fundamentum conſtituant in capitulis Bononienſibus approbatis à Pio V. opus eſt diligenter oſtendere, id fieri non poſſe: Hoc autem vt facere poſſim facile, exponam huius cambij originem, quam recenſet Scaccia de cambijs §. 1. q. 5. nu. 85. §. 6. gloſſa 1. nu. 69; inuentum ſcilicet fuiſſe hoc cambium ad occurrendum difficultati, quæ præter intentionem occurriſſet ei, qui ſcripſit litteras cambij ſoluendi in nundinis; vt ſcilicet campſor cui nocet, omitti ſolutionem cambij, poſſit facilius ſibi conſulere per hoc cambium: Rem declaro, Lugdunum olim erat emporium ampliſſimum, illuc mercatores merces ſuas mittebant: cum verò ſæpius maiorem pecuniarum ſummã in mercibus emendis erogauiſſent, quam congrueret ſuæ negotiationi, indigebant pecunia numerata pro tranſmittendis ipſis ad Ciuitate Lugdunenſem: adibant ergo campſorem, cui erant noti, eiq; dicebat, quis multas habeo merces, quas mitto Lugdunum, ibi eas venditurus, ſi tu velles commutare centũ aureos ex ijs, quos præſentes habes, cum centũ, puta, & quinq; eorum aureorũ (hoc exemplo vtor ad euitandas æquiuocationes) quos Lugduni conflaturus ſum ex venditione mearum mercium, hunc contractum tecum inibo: Ille autem ſciens, Lugduni non eſſe defuturam occaſionem exercendi tunc tẽporis per ſimilẽ contractũ pecuniã, ei aſſentitur, perficitq; contractum: Veniente autem tempore ſolutionis, ſi mercator non ſoluebat cambium, quia non potuit vendere merces, vel quia putauit, ſibi magis expedire pecuniã erogare in emptionem mercium; vtriq; neceſſe erat, rem componere cum campſore, vel eius inſtitore: ille autẽ oſtendebat, eſſe occaſionẽ paratã permutandi cum queſtu huiuſmodi pecuniam cum alia exiſtenti in propria patria: Mercator autem ei replicabat, accipias pecuniam ſub cambijs pro Ciuitate N. ad quam meas mitto merces, ego autẽ curabo, ne aliquid detrimenti inde ſentias: hoc autem facto, vtriq; conſulebatur; nam mercatori magis id expediebat, quam parare Lugduni pecuniam: Cum verò interdum accideret, campſorem habere pecunias deſtinatas alijs cambijs, ſic alloquebatur mercatorem, non ne facilius eſt, me conuertere in hanc cauſam pecuniam, quam deſtinaueram conuertere in hunc vel illum vſum, ſi tu promittas mihi, eam cum queſtu, quem facturus eram, ſoluere in hoc vel illo loco? Mercatoe autem, re conſiderata, cum nullum, per hoc ſentiret damnum, ei aſſentiebat, cæpitq; appellari hoc genus commercij cambium *con la ricorſa*, quia ſcilicet campſor poterat confugere ad proprias pecunias; vt ſupleret defectum ſolutionis cambij.

75 Hactenus hoc commercium expers vitij erat; cæperunt deinde mali campſores cogitare, in ſua poteſtate eſſe, dicere mercatori, ſe habere paratas occaſiones exercendi ſuas pecunias in illis negocijs, quæ verè paratæ non erant: de hoc antè mercatores non erant ſolliciti, quia campſores ſic rẽ proponebant, vt non eſſet ipſis id damnoſum: cæperunt ergo indiſtinctè mali campſores, deficientibus ſolutionibus cambiorum, ad proprias pecunias confugere; vt defectum huiuſmodi ſuplerent: Scriptores autem de hoc cambio agentes, etiam ſi animaduerterent, mendacia interuenire, eà tamen tollerabant, quia non redundabant in damnum mercatorum, quibus nihil referebat, hoc vel illo modo ſatisfacere campſoribus, dummodo idem effectus otiretur: quod imprudenter, & contra iuris principia fuit admiſſum, cùm in materia vſurarum mala ſit ratiocinatio, hoc non nocet debitori, ergo poteſt deduci in conuentionem: ad introducendam enim vſuram formalem, ſatis eſt, per modum debiti aliquid vltra ſortem expectare, etiam ſi non lædatur altera pars, vt intelliges ex receptis doctrinis, de quibus ſuprà lib. 9. c. 13. nu. 37. & 38.

76 Cum autem abyſſus abyſſum inuocet in vocem catharactarum ſuarum, mali campſores ſic cæperunt ratiocinari; ſi campſori licet ex proprijs pecunijs ſoluere ſibi cambium illud, quod cambiens tenebatur ſoluere ex ſuis pecunijs, cur non licebit mihi, mandare meo inſtitori, vt ſibi ipſi ſoluat, etiam ſi non interueniat pecunia, illud cambium, quod mihi ſoluendum eſſet ex pecunia cambientis? hoc certè eius non refert, cum non ſit magis ei damnoſum, ſic ſatisfieri litteris cambij, quam eſſet, me ob defectum ſolutionis, accipere pecunias per cambia ab alio campſore: cumq; non deeſſent qui hanc admitterent ratiocinationem, campſores inuenerunt eam cambiendi rationem in nundinis, quæ hodie vſitata eſt, & grauior eſt ea, quam Pius V. damnauit in ſua conſtitutione, vt intelli-

Dante mãda la ſudetta lettera in Milano ad vn ſuo amico, ò Agente, quale in virtù d'ordine, che li dà con ſua lettera, ò procura rapreſenta la ſua medeſima perſona, tanto per compire la lettera di Pietro diretta ad eſſo quante. Danto per ſcuodere egli ſteſſo da ſe medeſimo li ſcuti mille, che hà d'hauere in virtù d'eſſa lettera. Et perche detto Agente non hà altri danari, ne credito di pigliarli à cambio in Piazza per pagare à ſe ſteſſo, ſi ſerue della rimeſſa ſpettante al medeſimo Dante. Venuto il termine del pagamento l'Agente, che rapreſenta la perſona di Dante, forma la ſcrittura, e fà debitore Pietro di Fera di lire 7500. valuta di ſcuti mille, e creditore d'eſſi Dante ſudetto. Poi eſtingue il conto di Pietro con farli tratta nella ſeguente Fera d'Agoſto de ſcuti 1020. cambiati, che vagliono le medeſime lire 7500. è ne da debito à Dante, al quale gli rimette per lettera di cambio.

80 Congregatio autem poſt longas diſputationes ſic reſpondit. *Maturè conſiderato primo caſu expoſito in memoriali exhibito Sanctiſſimo D. N. nomine Reip. Genuæ in materia cambiorum; Domini cenſuerunt, non ſubſiſtere, vt exponitur*; propriiſſimè autem PP. dixerunt, hoc cambium non ſubſiſtere; quia in eo non reperitur ſubſtantia cambij, & conſequenter non poteſt ſubſiſtere velut cambiũ: in eo enim omnia militant, quæ propoſui contra cambia *con la ricorſa*: Non dubitauit tamen Raphael in prolegomenis dictę tertiæ diſputationis nu. 34. & ſeq. de deciſione huius caſus à Congregatione edita hæc ſcribere: *Per reſponſum ad primum modum, non ſubſiſtere vt ponitur, damnari quidẽ frequentiſſimum, & à doctiſſimis, & religioſiſſimis viris approbatum cambiandi modum, ſed non doceri, qua ex parte labes proueniat, vt adhibito ſalutari remedio, adeo neceſſarius contractus, quo iura ipſa Regnorum cõſeruantur, licitè poſſit exerceri, & tamen hoc ipſum poſtulabant petitiones primo loco Sanctitati ſuæ porrectæ*: Quantum affectus ſit Raphael vſitatis cambiendi modis, vt intelligant probabilium opinionum venatores, per partes eſt hæc examinãda querela. Primò dicit, hoc cambium eſſe frequentiſſimum; hinc autem intelligant docti, ac pij viri, quantum vſui confidendum ſit, cum hic cambiendi modus apertiſſimè carens fundamentis neceſſarijs ad cõſtituenda cambia realia, frequentiſſimo vſu receptus fuerit. Secundò dicit, hunc modum cambiendi fuiſſe approbatum à doctiſſimis, & religioſiſſimis viris; cur autem nulla facta fuerit ab eo mentio, eos tot, ac tantos habuiſſe contradictores, vt valde dubium eſſet, an tuti eſſent apud Deum, nullam video cauſam, præter ardens eius deſiderium occultandi ea, quæ dubia reddebant cambia vſitata: audi Sereniſſima Collegia Sereniſſimæ Reip. Genuenſis Populum admonentia in ea ſcriptura, per quam euulgauit declarationes dictæ Congregationis, quam habeo Genuæ impreſſam.

81 *Hauendo li anni paſſati ſentito i Sereniſſimi Collegij le molte controuerſie, che ſi faceuano intorno alla materia de cambij, anche frà perſone Religioſe, & di bontà, & di dottrina, & in ſcritto, & per mezzo della Stampa ne parlauano diuerſiſſimamente; e conoſcendo l'importanza del negotio, per tra[illegible] particolarmente del ſeruitio di Dio, & della quiet[illegible] conſcienze in vn genere di negotiatione tanto vſita[illegible] Città, hebbero perciò per bene, per mezzo di perſone [illegible] far proporre alla Santità di N. S. Papa Vrbano VIII. li caſi infraſcritti il quale anche col mezzo d'vna Congregatione de Prelati, & perſone Religioſe, doppo longo eſame, hauendo fatto la reſolutione d'eſſi caſi, come in appreſſo; Però li prefati Sereniſſimi Collegij, affine che le predette coſe venghino à notitia di tutti, & ciaſcheduno poſſa regolarſi nella celebratione de' contratti conforme la dottrina infallibile della S. Chieſa Cattolica, Apoſtolica Romana, hanno ordinato, che ſiano dati detti ordini publicamente alla ſtampa*: Cur autẽ neſciamus ſententiarũ varietatem, à viris doctis in huiuſmodi diſputationibus allatarũ, accepto ferre debemus inſtituto Raphaelis non perquirendi diligenter, quid docti viri ante eum in propoſitis ſenſerint dubitationibus, vt profitetur in 3. diſput. q. 14. nu. 7. in fine.

82 Conqueritur tertiò loco Raphael, à PP. Congregationis *non doceri, qua ex parte labes proueniat, vt adhibito ſalutari remedio, adeo neceſſarius contractus licitè poſſit exerceri*: verùm facillimum erat cuicunq; viro docto, qui tamen affectatè non verſaretur in hac materia, cognoſcere, non eſſe hunc cambiendi modum capacẽ medelæ, cũ eius vitia deſtruant ſubſtantiam veri cambij, vt large oſtendi ſupra; vt non immerito PP. Congregationis exiſtimauerint, eum deduci nullo modo poſſe intra claſſem cambiorum realium, quod ſignificantiſſimè expreſſerunt per illa verba *non ſubſiſtere, vt exponitur*.

83 Quartò Raphael dicit, hunc modum cambiendi eſſe contractum neceſſarium, cum tamen de eo pauciſſimi nominatim meminerint ex plurimis ſcriptoribus huius materiæ; quod vtiq; non accidiſſet, ſi hic præciſus modus cambiendi valde vſitatus fuiſſet: Quintò ait Raphael, per hunc cambiendi modum conſeruari iura Regnorum; quæ tamen in re vereor, ne callide verſetur, cum cambia, quæ ineuntur cum S. M. pro comparanda pecunia ad exercitus tranſmittenda, diuerſo modo ſoleant iniri.

84 Non eſt autem prætereundum; quod retentis terminis dicti modi cambiendi, propoſita fuit hæc dubitatio SS. *ſopra il cambio ſudetto ſenza variar forma, ne ſuſtanza s'è introdotto d'aſſicurare con nouo contratto, ò ſia limitare l'intereſſe, che da vna Fera all'altra non poſſa il danno eccedere vn tanto per cento, con conditione però, che ſe il cambio reſpondeſſe meno, ſia ſolamente quello che hauerà riſpoſto*; cui Congregatio ſic reſpondit: *Domini pariter cenſuerunt, non ſubſiſtere, cum innitatur primo.*

85 De hac autem reſponſione ſic conqueritur Raphael nu. 35. *ne attingere quidem quæſtionem propoſitam, non poſitam in eo, quod continebatur in prima (quod fruſtra fuiſſet) ſed collineatam in taxatione intereſſe, de qua ibi, quæ taxatio videbatur aliquibus repugnare litteris Pij V. de quibus ſupra*: Verum debebat animaduertére Raphael, exactionem intereſſe ſupponere exiſtentiam earum circunſtantiarũ, quæ ſunt neceſſariæ, ne vſura exerceatur ſub nomine intereſſe, de quibus largè diſputaui lib. 9. c. 13, & in propoſito dixi in capite ſequenti; de quibus circunſtantijs nulla prorſus fit mentio in huiuſmodi facti ſpecie; & proinde quæſtio conſiſtebat, an determinatio acceſſionis pro cambio venturæ, poſſet reddere cambium illud iuſtum, quod per ſe eſt iniuſtum, ſi diminuerit acceſſionem huiuſmodi infra modum vſitatum in eiſdem nundinis, quò

Digitized by Google

ad ſimilia cambia: optimè autem PP. Congregationis negauerunt, quia vſuræ ſubſtantia non dependet ex quantitate, ſed ex eo, quod ſperetur aliquid ex mutuo per modum debiti, nulla verò erat probabilis dubitatio, an id eſſet contra conſtitutionem Pij V. quę agit de determinanda quãtitate, alias incerta; in hoc autem pacto agitur de diminuenda quantitate queſtus cambij, qui aliàs certam habiturus erat ex decretis nundinarũ determinationem; & proinde cauẽdum eſt à Duardo §. 1. q. 42. nu. 14. cum ſeqq., qui hæc non diſtinxit; quę tamen inter ſe apertiſſimè diſcrepant: adeas Card. de Lugo diſput. 28. ſect. 8. nu. 110. In hac autem ſpecie euidens erat animus continuandi cambium, vt patet ex illis verbis, *che da vna fiera all'altra non poſſa il denaro &c.* quod omnino deſtruit ſubſtantiã cambij, & introducit manifeſtum mutuum, vt oſtendi in c. antecedenti nu. 7. & ſeqq.

86 Exponamus nunc quartum caſum, mandato eiuſdem Sereniſſimæ Reipub. propoſitum S. D. N. Vrbano Octauo, qui his verbis expreſſus fuit. *Gioanni in Fiera dà ſcudi mille à Pietro per Milano, & conuengono inſieme, che Pietro ne faccia la tratta ad Antonio, perſona diſtinta, e di negocio, e di credito in detta Città di Milano, al quale anche Gio: ne fà la rimeſſa. Antonio paſſa in Milano la ſcrittura di quella partita in debito di Pietro, e credito di Gioanni, & non eſtinguendo Pietro tal debito con altra rimeſſa, ò pagamento come potrebbe fare, riſtette nella Fiera ſeguente il ſuo credito à Gioanni, & il debito à Pietro, & in eſſa Fiera s'eſtingue la negotiatione. S'aggiunge vna circonſtanza, che Gioanni promette à Pietro, che Antonio in Milano compirà la ſua tratta. Se n'aggiunge vn'altra, che Gioanni promette à Pietro, che nella tratta ch'eſſo fà à Milano come ſopra, l'intereſſe non eccederà vn tanto per cento, con conditione però, che ſe il cambio reſpondeſſe meno, ſia ſolamente quello, che haurà riſpoſto;* Eadem autem Cõgregatio circa hunc cambiendi modũ ſic reſpondit, *nihil in prædictis caſu, & circunſtantijs contineri, quò minus licitè praticari poſſit;* Admiſerunt PP. Congregationis capacitatem iuſtitiæ in modo cambiendi, & huiuſmodi circunſtantijs: circa actum verò nihil determinauerunt, quia id deducendum eſt ex ſingularum ſpecierum circunſtantijs.

87 Expendamus ergo per partes hunc cambiendi modum: Primò occurrit locus ſolutionis, ſcilicet Mediolanum, quod, ſuapte natura, tribuit occaſiones campſoribus exercendi pecuniam numeratam, quam ibi habeant; & proinde poteſt credi, in dubio, campſorem habuiſſe animum, vt ibi ſolueretur cambium; in dubio inquam, quia ſecus eſſet, ſi concurrerent eæ circunſtantiæ, quæ exiſtunt in primo caſu, quæ clarè ſignificant, actũ fuiſſe, vt ſequeretur recambium; quia ſcilicet fuit actum vt contraheretur recambium, & non fuit ſignificata debitori perſona, cui ſolutio cãbij erat facienda; de hoc enim non fit mentio in facti ſpecie. Non eſt ergo hoc applicandum illis cambijs, quæ ſoluenda ſunt in iis nundinis, in quibus raræ admodum ſunt occaſiones exercendi pecuniam numeratam: potentia enim huiuſmodi raro ſuum habens effectum non eſt alleganda ad conſtituendam regulam l. 5. cum ſeq. de legib. l. in obſcuris de reg. iur. cum alijs, de quibus ſupra lib. 16. c. 6. n. 6.

88 Secũda circunſtantia deducitur ex illis verbis, *& non eſtinguendo Pietro tal debito con altra rimeſſa ò pagamento, come potrebbe,* quę ſignificant, Petrum, qui accipit mille ſcutos per cãbiũ, habuiſſe *credito in fiera:* qui enim eo carent, non poſſunt facere *rimeſſe*. Hæc autem circunſtantia ponit fundamentum opinionis in campſore, quod cambium ſit ſoluendum Mediolani, quod remouetur, dum campſor ſcit, cambientem non habere *credito* in loco deſtinato ſolutioni cambij, niſi ex ſpecialibus circunſtantijs apparuerit, extitiſſe idoneam cauſam ex parte campſoris, credendi, cambientẽ facile habiturum eſſe in loco deſtinatæ ſolutionis pecuniam neceſſariam ſoluendo cambio: In his ergo terminis exiſtere poteſt fundamentum iuſti cambij: an verò exiſtat in caſibus, quos pre manibus habes, ex eorum deducas circunſtantijs: quod ſi ipſæ perſuaſerint, cambium ſic initum fuiſſe, vt ſolueretur in loco deſtinatæ ſolutionis, rectè affirmabis, ex ſentẽtia horum PP., cambium huiuſmodi habere fundamentum cambiorum realium: ſin autem circunſtantiæ aliud ſuaſerint, ne id affirmes, quia reſponſum Congregationis, vt admonui, agit de capacitate iuſti cambij, non autẽ de exiſtẽtia iuſti cãbij, ob defectũ ſcilicet voluntatis cambia ineuntium, vt autẽ leuiſſimè hanc circunſtantiam accipiamus, ſupponit, adfuiſſe occaſionem veriſimilem credendis campſarium habuiſſe ſpem *di far rimeſſa* ad Ciuitatem Mediolani pecuniæ neceſſariæ ſolutioni cambij.

89 Tertia circunſtantia deducitur ex illis verbis, *Gioanni* (hic eſt campſor) *promette à Pietro, che Antonio in Milano compirà la ſua tratta:* de hoc fruſtra actum fuiſſet, ſi ex pecunijs campſoris ſolutio facienda eſſet, aut per eum modum ſoluendi cambia, qui non ſubijcit vlli periculo inſtitorem, aut reſponſalem ſibi ipſi ſoluentem cambium, de quo dixi ſupra nu. 22, & 33; quia huiuſmodi modus periculo vacuus, non deſiderat ſpecialem promiſſionem, quod is, cui iniungitur ſolutio cambij, ſit ſoluturus ipſum: ergo agebatur de ſolutione ſic facienda ab Antonio, vt vera eſſet ſolutio: quod, per ſe, ſufficit pro fundamento iuſti cambij l. ſoluendo ff. de negotijs geſtis: huiuſmodi autem promiſſionem ideo campſarius deſiderauit, ne Antonius ſuas reijceret literas, quia dedecus id affert negotiatoribus: Duobus modis autem campſor poteſt efficere, vt Antonius approbet literas cambij, per ſe, ac per alium: in primo caſu, approbatis literis cambij ab Antonio, ſi campſor poſtulauerit ab eo ſummam in ipſis deſcriptam, poterit ab eo repelli per exceptionem, dolo petis, quod actione mãdati mihi ſtatim reſtituturus es; & proinde campſor nullã capit vtilitatẽ ex approbatione huiuſmodi literarum; & conſequenter non poteſt per ipſam introduci vera ſolutio, cum per eam melior per ſe, non reddatur cõditio creditoris; ſecũdo autẽ modo poteſt id fieri per aliũ; ſi ſcilicet cãpſor rogauerit aliquẽ, vt mandet Antonio, quod approbet literas cambij: tunc enim campſor poterit agere contra Antonium, eoq; ſoluente cambium, per ſe [illegible] tio vtilis erit campſori, licet Antonio ag[illegible] contra mandantem, campſor teneatur acti[illegible] mandati, conſeruare ſine damno eum, [illegible] mandauit ſibi, vt approbaret literas cambij; quia hoc non efficit, quin

ſolu-

Digitized by Google

ſolutio camb ij ab Antonio facta, per ſe, nõ fuerit vtilis campſo ri: Dum autem PP. Congregationis dixerunt, poſſe licite iniri cambium ſecundũ hanc circunſtantiam, reſpexerunt, vt admonui, capacitatem iuſtitiæ; & proinde nõ debes ex huiuſmodi reſponſo colligere, indiſtinctè eſſe admittendũ cambium, in quo campſor effecerit, vt is, ad quem diriguntur literæ cambij, eas approbet, ſed eo demum caſu, quo id factum fuerit iuxta ſuam capacitatem, hoc eſt ſecundum modum, quem expoſui.

90 Explicatis fundamẽtis ſententiæ à Doctoribus huius materiæ approbatæ, examinanda ſunt diligentiſſimè illa, quæ nonnulli recentes ſcriptores aduersùs eam propoſuere, vt pij, ac prudentes viri intelligant, quam negligenter, abſit verbo inuidia, in re tanti momenti ſe ſe geſſerint; prudentes inquam viri, & pij; eos enim qui in conſtituenda probabili opinione nihil aliud quærunt, quam an eam aliqui Doctores ſequantur ex ijs recentibus ſcriptoribus, qui verſantur per manus Doctorum virorum, non alloquor; quia cæci ſunt, & duces cæcorũ, & merito ſuſpecti ſimulatæ pietatis: qua fronte enim audes appellare probabilem eam ſententiam, quam ignotas, ſic ſuos defendere aſſertores, ut digni ſint, quos docti, ac pij viri ſequantur? ignorant autem, dubio procul, ſi non fuerint perſcrutati ea, quæ receptæ ſententiæ ſenſores pro ipſa afferunt, & quibus rationibus Doctores ei aduerſantes, ſuam firment ſententiam, contrarijſq; ſatisfaciãt rationibus. Quod verò aliquis ſcriptor appellet eam probabilem, apud prudentes, ac pios viros ſufficere non debet, niſi appareat, eum diligenter verſatum fuiſſe in expendendis authoritatibus, ac rationibus vtriuſq; ſententiæ; quis enim ignorat, eos, qui ſuis lucubrationibus ſtudent, exiſtimationem acquirere grandẽ, ſolere, facile id obtinere approbando plerunq; benignas, vt ipſi appellant, opiniones? & per hoc faciles ſunt in pronunciando ſuper probabilitate opinionũ benignarũ, et ſi in ipſis expendendis negligenter verſati fuerint, vt eorũ ſcripta demonſtrat.

91 Primo loco examinabo id, quod ſcribit Scaccia §. 6. nu. 25: In eo autem totus eſt, vt oſtendat, per fictionem introductum fuiſſe, vt creditor repræſentet debitorem, dum ſoluit ſibi ipſi cambiũ: Verum labitur manifeſtè; cum enim debitor mãdet creditori, vt ſibi ipſi ſoluat, non eſt opus confugere ad fictionem, cum nulla adſit repugnantia, vt creditor poſſit aliquid facere, veluti procurator ſui debitoris, etiam ſi id ſibi proficuum ſit; æquiuocauit ergo manifeſtè Scaccia, confundendo defectum materiæ neceſſariæ veræ ſolutioni, & defectum perſonarum, quæ neceſſariæ ſunt ad perficiendam ſolutionem: in eundem errorem incidit Gaitus de credito c. 2. tit. 7. num. 1392. & ſeqq. num. 1448. & ſeqq. cum de more, ſequatur veſtigia Scacciæ.

92 Notandum autem eſt valde id, quod ſcripſit Scaccia nu. 26. *dum ait, ſicut huius chimerici contractus baſes, ſeu fundamenta ſunt ficta, ita neceſſarium eſt vt omnia, quæ ſuper ædificantur, ſint etiam ficta: nã ſuper fictis ſtare ponderoſa nequirent:* nihil enim ſignificantius afferri poterat ad exprimendã ad viuum ingentem hanc machinam cambij *con la ricorſa*.

93 Raphael diſput. 3. q. 7. n. 19. cum ſeqq. valde laborat, vt probet, interuenire poſſe veram ſolutionem cambij, dum fit ab ipſomet campſore, vel inſtitore ex eius pecunia, omiſſa tamen mentione, quod id repugnet ſenſui ſcriptorum huius materiæ, vt nempe facilius ſuas poſſet perſuadere opiniones aperte recedentes à receptis doctrinis ſumma autem eius doctrinę hęc eſt, quod finguntur duæ perſonæ in perſona eiuſdem campſoris, alia eſt illa, quæ exiſtebat Genuæ dum contraxit cambium, alia eſt, quæ in nundinis contrahit recambium; hocq; inductum fuiſſe exemplo illius iuris, quod legimus in l. habebat 13. de inſtit. act.; de inſtitore ſcilicet duabus negociationibus prępoſito, qui pro duplici perſona ſuſcipitur, ne geſtum contemplatione vnius negotiationis, dicatur geſtum reſpectu alterius: quod nihil habet fictionis, dũ .n. eadem perſona plura exercet munera, naturaliter, & ſimpliciter re accepta, inducitur diſtinctio actuum; quia exprimendo, vel tacite agendo aliquid quò ad vnam negotiationem, euidenter excluditur conſideratio alterius negotiationis, cũ materiæ ſint ſeparabiles; perſona .n. conſideratur ſecundum munus, quod gerit, non autem abſolutè: & conſequenter non conuenit noſtro caſui, in quo Petrus *di Genua* conſideratur in nundinis ſub eadem formalitate, hoc eſt tanquam dominus eiuſdem negotiationis; & proinde male dicitur, eſſe negotia diſtincta, cum cambium Genuę initũ fuerit, vt in nundinis ſolueretur; & conſequenter illud ius, quod habebat Genuę, in nundinis retinet ſub ea dum formalitate, quia nulla contigit nouatio circa ipſum: & per hoc diſtinguitur hic caſus ab eo, in quo quis conſideratur vti ſocius aliquid faciens circa res proprias; tunc enim mutatur conſideratio formalitatis, & per hoc effectus; quod nullo modo contingit in caſu noſtro, cum ideo eat ad nundinas, vt ad ſuam deducat perfectionem ea cambia, quæ iniuit Genuæ.

94 Expendamus nunc ſcripta Michaelis Salon de iuſtit. & iure tit. de cambijs quæſt. 4. artic. 2. contr. 12. ex profeſſo hoc examinantis: is autem nu. 4. incipit exponere ſuam ſententiam dicendo, *mallem, doctiorem audire, quã propriam proferre ſententiam: optarem etiam, quod mercatores ſecurius agerent, & ab hoc genere cambij abſtinerent*: Ex quo inteligent ij, qui adeo facile approbant hoc cambium, an temerarij ſint; tantæ enim doctrinæ, & ſubtilitatis Doctor fuit Salon, vt perpauci ſint commerciorum explanatores, qui cum eo, hoc nomine, poſſint comparari; deinde ait. *Cæterum quia hic cambiendi modus adeo inoleuit, nec mei muneris eſt, aut mearum virium ſit, illud, & ſi maximè periculoſum iudicem, vel prohibere, vel mercatorum animos ab illo auertere, quid de illo ſentiam, explicare non grauabor:* Itaque poſſumus ex eius ſententia dicere, qui amat periculum peribit in eo, ſed ille, qui perſeuerat in exercendo hoc cambio, amat comercium, per ſe maxime periculoſum, ergo amat periculum; ergo peribit in ipſo: poſſumus, etiã ſic argumentari, Pius V. in ſua conſtitutione profitetur, ſe ſe adimere, quantum potuit occaſiones fœnerandi ſub colore cambiorum; ergo ſuſtulit hoc genus cambij, quia offert maximam occaſionem fœnerandi; hinc enim oritur eius periculum.

95 Senten-

95 Sententiam autem ſuam ſic exponit, *Illum igitur ſatis periculoſum eſſe, & occaſionem maximam fænerandi offerre, neminem exiſtimo dubitare: abſolutè tamen, & omnimo damnandum (ſicut aliquos video facere) non cenſeo, ſaltem ego non ita facilè auderem, maximè ſi non exerceatur cum paupere, aut viro à negotijs omnino alieno, ſed cum alijs mercatoribus, & negotiatoribus, qui licet non habeant pecunias, vel creditum in loco illi cambio deſtinato, habent tamen in alijs locis, ad quæ poteſt illius ſolutio deinde cõmodè remitti:* Cum verò Salon adeo limitate ſuam propoſuerit approbationem huius cambij, cur proponis eum ſimpliciter, velut approbatorem huiuſmodi cambij?

96 Exponit deinde cauſam ſuæ opinionis: *Huiuſmodi nanque cambium, videtur, vt plurimum ad bonum commune pertinere, cum experientia teſte, innumera negotia, & commercia, Reip. maximè neceſſaria, hoc genere cambiendi ſublato, ceſſarent omnino. Non quod propter bonum commune ſit aliquis contractus iniquus admittendus, ſed quia in re dubia, & quæ probabiliter poteſt defendi, maxima ſit boni com. & Rep. habenda ratio:* Verum eum deceperunt campſores, realia enim cambia omnibus negotijs expediendis ſufficere, præteritorum ſæculorum experientia oſtẽdit, hoc namq; genus cambij eſſe valde recens teſtatur ipſe met Salon num. 4. verſ. hoc genus cambij. Imo dico, hoc genus cambij nulli generi cõmercij deſeruire, quia virtute horum cambiorum vix vnquam ſoluitur pecunia numerata in loco deſtinatæ ſolutionis, & ideo per ipſum nou augetur, vel diminuitur abundantia pecuniæ.

97 Ait deinde Salon, *mihi ergo ſatis probabilis videtur ſententia eorum, qui hunc modum cambiendi verum modum cenſent. Primò propter rationem, cui nituntur, etenim ſi poteſt campſor literas dare ad proprium factorem, quibus ex pecunia ſua, vel alterius factor ille cambium ab ipſo campſore collatum perſoluat, cur non licebit eidem campſori efficere, vt ex ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur?* Verum rationem diuerſitatis claris verbis proponit idem Salon in controuerſia anteced. col. 3. in reſponſ. ad primũ arg. dum ait, ad *confirmationem dico, nullum eſſe incommodum, vt campſor, qui pecuniã Valentiæ confert, offerat ſe ipſum quaſi fideiuſſorem factori ſuo exiſtenti Metinæ: ſi quidem offeret ſe in fideiuſſorem ſibi ipſi, & pecuniæ, quam idem Valentiæ confert; eſſet profectò figmentum; nullus enim ſibi ipſi debitor, vel fideiuſſor conſtitui poteſt: at in hoc genere contractus ſolum conſtituit ſe ipſum in fideiuſſorem, ex quo factor ipſius ſoluet Metinæ pro campſuario:* Hoc eſt enim illud, quod docent receptæ ſententiæ authores; deficere ſcilicet materiam ſolutionis, cum ex pecunia propria campſoris vera ſolutio, ipſius fauore, fieri non poſſit, vt benè explicat Salon in expoſitione primi fundamenti ſententiæ receptæ: cui conſiderationi nullam affert reſponſionem, dum proponit fundamenta ſuæ opinionis ex ſententia aliorum, & ſua; etiam ſi enim col. 10. latiſſimè verſetur in explicanda ratione, qua inſtitor campſoris duas repræſentet perſonas, ſcilicet debitoris, & creditoris, diſſimulat tamẽ difficultatis fundamentum, in eo poſitum, quod mandato campſoris ſibi ſoluit tanquàm eius procuratori pecunias, ipſiuſmet campſoris: quod eſt illud, quod explicandum eſt, cum impediat, veram fieri ſolutionem, quia idem eſt, ſic ſi ipſemet creditor ſibi ſolueret ex pecunijs pleno iure ad ſe ſpectantibus: & proinde huiuſmodi ſententiæ authores deludunt nos, dum proponunt velut quid exploratũ, non mutari naturam contractus ex eo, quod ſolutio fiat *ex eiuſdem campſoris bonis, modo verè fiat illa ſolutio*; hoc eſt enim quod nos negamus, & ipſi nec conati quidem fuerunt oſtendere, quomodo vera ſolutio fieri poſſit per numerationem pecuniarum pleno iure ad ſe ſpectantium ſecutam ſuo mandato pro ſolutione cambij, cum per ipſam nihil amplius acquirat, quam ante eam haberet:

98 Secundum fundamentum ſuum Salon his exponit verbis: *regula eſt Syluestri, quam omnes ferè amplectuntur; verum & iuſtum cambium eſſe illud, in quo nec aliquid ſumitur ratione temporis, nec campſarius, arbitrio peritorum, in aliquo grauatur; non grauari autem campſarium per hoc genus ſolutionis amplius quam grauaretur ſi ex pecunia alterius ſolueretur cambium, certum eſt:* Verum deficit euidenter probatio minoris, quia non probauit, hoc in caſu non ſummi aliquid ratione temporis; quod tamen neceſſe eſt dicere, niſi oſtendatur, adeſſe titulum iuſtum, cuius virtute poſſimus, vltra id quod dedimus, aliquid ab eo expectare, qui noſtram pecuniam accipit: Regula ergo Syluestri pertinet ad quæſtionem, quale ſit cambium, non autem ad quæſtionem, an adſit verum cambium in caſu, de quo agitur, quod eſt illud, de quo nos agimus.

99 Cum verò acutiſſimi viri ingenium non quieſceret coactus expoſuit veram cauſam, cur hoc cambium defenderet his verbis, me in hanc ſententiam potiſſimè induxiſſe, quod hæc cãbia palã exercentur in Italia, & aliis Regionibus Catholicis, nec tamen expreſsè fuerunt reprobata: imo Pium V. in ſua conſtitutione ea nõ reprobauiſſe, etiam ſi ſciret, hæc cambia eſſe vſitata: Verum eũ meminiſſe oportebat, campſores poſt conſtitutionem Pii V. inueniſſe magiſtros prurientes auribus ſuis, qui approbarunt cambia peiora illis, quæ in ea damnantur, vt oſtendi ſupra nu. 53. cum ſeq.; ex quibus vnum eſt illud, quod præ manibus habemus; vtilius enim eſt debitori cambii, non mitti literas cambii ad nundinas, quia non grauaretur eo ſumptu, quem vocant *la prouiſione*: Prudenter itaq; putauerunt Eccleſiæ Paſtores, medelam huius deſperati morbi eſſe expectandã à miſericordia Diuina: quod ſi expediret, tibi allegarem duo exempla valde inſignia, quæ in hac ipſa materia acciderunt: Paucis rem expediam, nobis non eſſe pugnandum cum obſcuritate intellectus defenſorum cambiorum; ſed cum peruerſa eorum voluntate, qui magnum expectant vtilitatis, & exiſtimationis augmentum ex acri cambiorum illecitorum defenſione: Eos, qui errore intellectus labuntur, hæc diſputatio, niſi vehementer fallor, Deo fauente, ad rectam reuocabit ſemitam:

100 Illis autẽ qui ſpreta cõſciẽtia ea defẽdũt, opinionis probabilis prætextus magnum interim præbet robur, interim inquam; ſi enim DEVS vitam, ac vires dederit, mox perfecturus ſum comentarium de opinione eligenda in ambiguitatibus fori interni, & externi, ex quo patebit, quam multos induxerit errores pernicioſiſſimos, opinionis probabilis allegatio; Si autẽ miſericordia Diuina mihi da-

hi dabit, talem eum edere, qualem mente concepi, non dubito, doctos, ac pios viros affirmaturos eſſe, in materijs moralibus edi non potuiſſe opus, hoc tempore magis neceſſarium: Ne quis autem dicat, me egredi limites meæ artis, efficiũt multi Iuris Canonici loci, qui clarè docent, in iis, quæ ſpectant ad vitam æternam, tutiorem partem eſſe eligendum.

101 Non debebat autem Salon, vt ad eum reuertamur, dicere, Pium V. non damnauiſſe hæc cambia in ſua conſtitutione: nam clariſſime id fecit vt oſtendi ſupra num. 53. cum ſeq.: de declaratione autem Congregationis Cardinalium edita tempore Gregorii XIII., quàm pro hac ſententia allegat Salon, non eſt, quod aliquid ſcribam, cum verſaretur circa eum caſum, in quo ſolutio cambii fiebat ex propriis pecuniis inſtitoris, vel reſponſalis, vt intelliges ex Iuſtin. de contin. cambiorũ quæſt. 2. nu. 4, & melius ex eius tenore relato à Duardo §. 1. quæſt. 40. nu. 26.

102 Cum autem Salon pro explorato haberet, omne cambium reale pondere pro cõſtanti campſorem putauiſſe, ſecuturã eſſe numerationẽ in loco deſtinatæ ſolutionis, vt intelliges ex iis, quæ ſcribit eodẽ tit. artic. 2. controu. 7. nu. 3. verſ. ſequitur, controuerſ. 9. num. 5. controu. 10. nu. 3, controu. 14. nu. 19, ſequitur, eum ſupponere, in hoc cambio idem eſſe neceſſarium, quod ſignificauit, dum reſtrinxit ſuam ſententiam ad cambia inita cũ negotiatoribus.

103 Expendamus nunc ea, quæ ſcribit Filiucius in quæſt. moralibus tract. 35. p. 2. de cenſibus, & cãbio n. 436. & ſeqq.: is autem ponit hanc concluſionem. *Cambium, in quo campſarius ſoluit per miniſtrum campſoris, non videtur condemnatum per bullam Pij V., nec continet euidentem vſuram, aut iniuſtitiam*: Quod nõ damnetur per d. conſtitutionẽ dupliciter probat, primo ex capitulis Bononiẽſibus, & deciſione Archiepiſcopi Panormitani, quibus ſupra ſatisfecimus num. 74. & ſeq. Secundò probat conſiderando cambia reprobata à Pio V. inter quæ hoc non adeſt: verum reſpondeo, eum omiſiſſe eam partem, quæ clarè hoc cambium cõpræhendit, vt intelliges ex iis, quæ ſcripſi in hoc capite nu. 53. cum ſeq.; nec membra conſtitutionis, quæ proponit, ſufficienter expendit, vt largè eo loci oſtendi.

104 Alteram partem ſuæ doctrinæ ſic probat Filiuccius: nam *potiſſimæ rationes duæ ſunt. prima, quod idem gerat duas perſonas, ſecunda, quod campſarius vendat pecuniam illi commodatam ab emptore, vel permutet eandem. At hæ ſoluuntur, ſaltem probabiliter ab authoribus contrariæ ſententiæ, & in ſpecie ab authore conſ. 31. de vſuris, à Leſſio, & Salas loc. cit.; Cum ergo horum ſententia ſit probabilis, non continebit iniuſtitiam euidentem contractus, qui probabiliter iuſtus eſt*: Verũ animaduertendum eſt, eum omiſiſſe potiſſimum fundamentum receptæ ſententiæ, quod campſor in hoc cambio putet, debitorem non eſſe numeraturum pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis, vt latiſſimè oſtendi nu. 1. cũ ſeqq. huius capitis, quòd reddit cambium vſurarium iuxta receptiſſimam, & veriſſimam ſententiam, de qua in cap. anteced. nu. 42. & ſeq.; quam ipſe etiam ſequitur in d. tractatu 35. p. 2. num. 445. in fine, vbi hæc ſcripſit. *quando is, qui recipit litteras Piſis, non eſt eius conditionis, vt poſſit ſoluere pecuniam tranſmiſſam, vel numerato, vel credito, non eſt licitum cambium; ratio eſt, quia ſignum eſt, tunc nomine tantum eſſe cambium, nõ reale, in quo exigitur, vt qui recipit literas, verè, & realiter ſoluat*: non eſt etiam verum, authores allegatos oſtendiſſe probabiliter, ſolutionem veram ſequi poſſe ex pecunijs creditoris, cum nec tentauerint quidem id facere.

105 Scribit deinde Filiuccius nu. 437. hæc verba: *Secundò, quia ſaltem continet vſuram mentalem ob prauam intentionem cambientium accipientium pecuniam, vt reddant in eodem loco, & campſorum dantium iis, quos ſciunt, non habere, nec habituros in loco, vbi ſoluenda eſt; & ideo redituros per recambia ad primum locum, aliter, niſi ſcirent, ita facturos non darent ad cambium*: Cum itaq; vſura mentalis obliget ad reſtitutionem, ſi mente intendatur ad lucrum, non ex beneuolentia, ſed quaſi debitum, vt precium mutui, vt idem author docet tract. 34. p. 2. c. 1. nu. 19. cum ſeqq., ſequitur, eum reſtringere ſuam doctrinam ad eos, quos campſor ſcit, habere *credito in Fiera*, prout etiam fecit Salon, vt oſtendi ſupra nu. 95.: De iis enim, qui hac carent qualitate non poteſt veriſimiliter ſperari, quod pecuniam numeraturi ſint in nundinis.

106 Poſtremò ait Filuccius nu. 438. *Interim dum nõ prohibetur, diſſuadendum eſt, præſertim ſi fiat modo expreſſo in tertia concluſione propter periculum palliandi vſuras; intentio enim ita cambientium alia non videtur eſſe, quàm dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco, reſtituatur. Cætera non agi ſeriò; ſed ſolum cauſa tegendi mutuum vt docent multi ex Doctoribus citatis in tertia ſententia, & omnes, qui ſunt in prima. Poſt factum tamen non facilè condemnandi, præſertim ſi bona fide communem vſum ſequentes tale cambium celebrauerint*. Prima pars huius doctrinæ, quæ veriſſima eſt, confirmat id, quod in c. ſequẽti ſcripſi, hoc cambium, vt leniter rem accipiamus, continere ſcandalum puſillorum, & per hoc non poſſe permitti, cum nulla ratio idonea adſit adimendi ipſum, ob difficultates, vt leuiſſimè dicam, iuſtificandi hoc cambium apud puſillos: Dum verò Filiuccius requirit, vt poſt factum non reprobentur, bona mente exercita fuiſſe hæc cambia, hoc eſt, conſiderando vſum communem citra ſpecialem applicationem mentis ad eius qualitates, reſtringit ſuam doctrinam ad mulieres rudes, & viros populares ignorãtes praxim huius cambij: vix enim in ipſis campſoribus, imo ne vix quidem eſt, vt id contingat.

107 Expendamus nunc ea, quæ aduerſus receptã ſententiam ſcripſit Bartholomæus à S. Fauſto in Speculo confeſſ. p. 2. diſp. 9. de cambijs q. 20; is autem proponit fundamentum receptæ doctrinæ, *quia perinde hoc cambium ſe habet, ac ſi Romæ dares mutuo centum Caio, vt ibidem ſolueret totidem cum lucro, quæ ſibi ex mutuo debebat*: verum non eſt hoc explicare vim argumenti pro recepta ſententia allati, ſed effectum practicum eius exponere; Is autem reſpondet, ſolutionẽ non fieri in loco initi cambij, ſed virtute recambij, nam *finitur in loco, vbi eſt facienda ſolutio*: & proinde petit principiũ, quia negamus, fieri ſolutionem veram, cum fiat ex pecunijs ad creditorem ſpectantibus pleno iure: Deinde petit rationem diuerſitatis inter eum caſum, in quo fit ſolutio ex proprijs pecunijs inſtitoris,

ſtitoris, vel reſponſalis cum caſu noſtro, omnes authores receptæ ſententiæ afferunt, quia creditor nihil acquirit, dum ſibi ſoluitur pecunia ad ſe pleno iure ſpectans; quod enim meum eſt pleno iure, amplius meum effici non poteſt, vt ſupra oſtendi. Tertiò affert deciſionem caſus propoſiti ab Archiepiſcopo Panormitano, qui verſatur in alijs terminis, vt intelliges ex ſcriptis ſupra nu. 102. Cum verò hic author doceat eadem diſp. 9. quæſt. vlt., omne cambium iuſtum deſiderare, vt tempore initi cambij campſor putet, numerationem eſſe ſecuturam in nundinis, ſequitur, eum id requirere in hoc quoque cambio.

108 Expendere nunc oportet ſcripta P. Dianæ, qui ex profeſſo defendit hunc ſoluendi cambij modum; tomo primo tract. 8. de contract. reſolut. prima. Cum verò videam multos, opiniones, quas hic auctor dicit, eſſe probabiles, auidè ſequi velut ſecuras; hoc eſt non perſcrutatis authoribus contrariarum opinionum, opus gratiſſimum, dubio procul, Deo erit, me oſtendere diligenter, qua ratione ſe geſſerit in approbando vt probabilē eam opinionem, quæ largiſſimam aperit viam fœnori improbiſſimo: hinc .n. intelligetur, qua fide, diligentia, prudētiaq; verſari ſoleat in pronunciando ſuper probabilitate opinionum: Si enim in quæſtione celeberrima, quotidiana, & pericoloſiſſima clariſſimè in multis lapſum eũ fuiſſe intelliges, quomodo poteris, clauſis oculis ei aſſentiri velut ſcriptori valde docto, & diligenti? Equidem rationem non video.

109 Recenſet primo loco, parce tamen, receptiſſimæ ſententiæ authores, inter quos, cur non allegauerit Bernardum Iuſtinianum ſuæ Religionis acutiſſimum cambiorum explanatorem, qui has ſolutiones adeo largè, & efficaciter impugnauit in 2, & 3. quæſt. ſui tract. de continuat. cambiorũ, vt nemo largius, aut melius ante eum id fecerit, prudentibus viris deliberandum relinquo: Eum autem Lectori hunc tractatum occultare voluiſſe, illud ſignificat, quod in hac ipſa reſolutione, alia tamen ex cauſa, eum allegauit, omiſſa operis mētione, aduerſus ſuum, & aliorum morem; De quo ne dubites elicit doctrina, quam proponit reſolut. 2. & 5. approbans continuationes cambiorũ, nulla facta mentione, quod Iuſtinianus eas impugnauerit in dicto tractatu efficaciſſimè

110 Recens, & deinde duo fundamenta receptæ ſententiæ, quorum primum eſt, quia ſolutio vera ſequi non poteſt ex pecunia ipſiuſmet creditoris, ſicut non poteſt ſequi vera commutatio, vel emptio in re propria; Secundum eſt, quia inſtitor perſonam domini repræſentat, & proinde idem eſt, ac ſi campſor ſibimet ſolueret cambium: Cũ autem Sotus, & alij, quos allegat, huius ſententiæ defenſores adducant pro fundamento potiſſimo, quod in hoc caſu ſcit campſor, non eſſe ſecuturā numerationem in nundinis cur omiſit rationem huiuſmodi, cum ſit præcipua.

111 Refert deinde aliam opinionem hoc cambium approbātem cum ſuis authoribus, & primo *Azorium p. 3. dub. 10. c. 9. quæſt. 2, dum non audet eam damnare: eam verò expreſsè ſequētes recenset Megalam 22. lib. 2. c. 16. q. 3. a nu. 33. ad nu. 44. Naldum in verbo cambium nu. 6. incertum authorem apud Nauarrum conſ. 31. tit. de vſuris, Hombonũ de exam. Eccleſiaſtico p. 2. c. 8. tractatu 9. quæſt. 56. Salutatorum de cambijs p. 3. nu. 5, Filuccium in qq. moralib. tom. 2. tract. 35. p. 2. c. 8. nu. 436, Bartholom. a S. Fausto in Speculo confeſſ. diſput. 16. q. 22. nu. 2. Mich. Salon. controuerſ. 12. de cambijs, Boninſegn. de cambijs c. 7. nu. 7, 8, & 9, Scortiam ad conſtit. Pontificum epitome 107. theor. 291, innominatum editum Mediolani anno 1623;*

112 Quid de his authoritatibus ſit cenſendum, inferius examinabo; prius enim fundamēta à Diana allegata expendere conſtitui: Primò loco adducit decantatam conſtitutionem Pij V. confirmantem capitula campſorum Bononienſium, cui ſatisfeci nu. 74. & ſeq. Secundo adducit reſponſum redditum tempore Gregorij 13. Archiepiſcopo Panormitano: Verum ab hoc fundamento videtur recedere, quia Iuſtinianus, & alij dicunt, in his terminis non verſari; cum verò Scortia ab eo allegatus ſuper conſtitut. Pontiſ. theor. 291. recenſeat tenorem caſus, ſuper quo edita fuit reſponſio huiuſmodi, qui clarè verſatur in ea ſpecie, in qua ſolutio ſequitur ex pecunijs inſtitoris, vel reſponſalis, cur id omiſit?

113 Inquit deinde, *ſolutio pecuniæ non fit in loco, vbi recepta eſt, virtute primi cambij. quod re vera finitur in loco vbi facienda erat ſolutio, ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco, ad quem fuerunt miſſæ litteræ*; non animaduertendo, ſe petere principium; non poteſt enim finiri primum cambium, & iniri recambium, niſi ſequatur ſolutio vera, vel æquipollēter primi cambij, quæ an ſequi poſſit, dum inſtitor ſoluit cambium ex pecunijs campſoris, nunc quærimus, & probandum eſt priuſquām tractetur de fine primi cambij:

114 Sed audiamus eius ſecundam ratiocinationē; *ſi campſor mittat litteras ad proprium factorem, quibus mediantibus ex pecunia ſua, vel aliena ille cambium, ab ipſo campſore collatum perſolueret, debito illo, per alias litteras ad eundem rurſus remiſſo, cur non licebit eidem campſori, vt ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur?* Verum diuerſitas eſt euidentiſſima, quia campſor in hoc caſu acquirit eam pecuniam, quām non habebat; in altero verò caſu non acquirit aliquam pecuniam, quia ea, quæ ſibi numeratur, pleno iure ſua eſt, iuxta regulam l. 3. §. ex pluribus de acquir. poſſeſ.; in quam ſententiam Iuſtinianus multa acutè proponit, quę erant refellenda à Diana, ſi volebat vti hoc argumento? abſq; nota diſſimulationis in re pericoloſiſſima.

115 Eiuſdem farinæ eſt tertium fundamentum, quod his verbis proponit. *In hoc cambio nullum intereſſe contingit campſario, quemadmodum ſi cambiũ ſolueretur ex pecunijs alterius tertiæ perſonæ. Ergo cũ campſarius non magis grauetur, ſed potius obtineat facilitatem in habenda pecunia, & liberatur ab onere querendi alium, qui ſoluat cambium, hoc non videtur iniquum.* Hæc ratio argumentandi plurimum dilatauit arti campſoriæ habenas: cum enim ſubtilitates campſorum ſint admirabiles, cauendum eſt Doctoribus eorum negotia examinantibus, ne aliquid pro verò ſuſcipiant, quòd à regulis iuris diſcedat ſub prætextu æquitatis; quia inde deducent mali campſores iniquiſſimas rationes negotiandi, prout accidit huic argumento; ex eo enim collegerunt eas continuationes cambiorum, quæ miſerime multorum deuorant diuitias, qui per

cambia

Digitized by Google

cambia accipiunt eorum pecunias. Admiſſa enim pro vera hac ſoluendi cambij ratione, fit locus extinctioni primi cambij, quo extincto, clarum eſt, licitè contrahi recambium: Eo autem nõ ſoluto, nouum initur cambium conuerſis in ſortem acceſſionibus, cuius literis ad nundinas miſſis, pari modo ſoluitur ex pecunijs campſoris, & recambium contrahitur, quo non ſoluto, nouum initur cambium, ſicq; res procedit quouſque duplicatur, triplicatur, quatruplicaturq; debitũ adeo breui tempore, vt hæc negotiatio ſit euidenter abhominabilis: videat ergo Diana, quantum à ſcopo receſſerit, dum dixit, non lædi per hoc debitores cambij: Conſequentia etiam continet fallaciam; nam ita demum vera eſt, ſi per legitimum modũ id contigerit, alioquin ſequeretur, vſuras eſſe licitas, quando minus damnum eſſet, pecunias ſub ipſis comparare, quam per venditionem rerum ſuarum, aut annuorum cenſuum, quod nemo Catholicus affirmaturus eſt: Hæc ergo conſeqnẽtia ſupponit, hunc ſoluendi modum congruere regulis Iuriſprudentiæ, quòd eſt illud, de quo diſputamus: ergo hæc conſequentia petit principium.

116 His expoſitis, Diana ſe conuertit ad reſpõſionem argumentorum, quæ pro recepta ſententia adduxit, in quo parem nactus fuit fœlicitatem: Primò ait, *in noſtro caſu reſpondentem campſoris duplex officium præſtare, ipſiuſmet campſoris, quatenus acceptat ſolutionem, & campſuarij quatenus pecuniam ſoluit; nihil enim refert ad iuſtitiam contractus, vt vna perſona gerat vices duarum perſonarum*: Poſſe aliquem ſuſtinere vices plurium perſonarum, nõ eſt dubium: verum animaduertendum eſt, quod formalitates coarctant actus perſonæ, in qua reperiuntur, iuxta virtutem eius, cuius perſonam referunt, quia ab ea accipiunt virtutẽ operandi, vt in inſtit. per quas perſonas nobis agere licet in principio, & c. qui per alium de reg. iur. lib. 6.: Dum ergo dicis, inſtitorem campſoris gerere perſonã debitoris cambij in ſolutione facienda, à te quæro, an poſſit debitor ſoluere debitum ex proprijs pecunijs creditoris? Si autem id ipſe facere non poteſt, quomodo poterit id fieri ab inſtitore campſoris ſub perſona debitoris cambij? Propoſitiones iuriſprudentiæ facile decipiunt eos Theologos, qui eas intelligunt ruditer: ſolent enim iuriſperiti in ſuis doctrinis multa ſupponere velut nota iis, qui iura norunt, quę ijs ignota ſunt, qui nõ ſunt iuriſperiti.

117 Proſequitur ſuam ratiocinationem Disna, dicendo, *ſic in noſtro caſu non intereſt, an dictæ perſonæ ſint diuerſæ, vel eædem, modo arbitrio eius, cuius intereſt, relinquatur: ſic in mutuo poteſt mutuans eſſe fideiuſſor, ſeu aſſecurator conſentiente mutuatario*: In æquipollentibus liberum eſt partibus, eligere quid velint; non poſſunt tamen id facere in ijs, quæ repugnant eſſentiæ actus, qui geritur §. conſtituitur inſtit. de vſufructu, l. ius publicum, ff. de pactis: rurſus ergo petit principium Diana; quid enim aliud diſputamus, quam an ſubſtantiæ ſolutionis debiti repugnet, fieri ex proprijs pecunijs creditoris? Exemplum autem mutui valde dubiũ eſt in ſe, quia nemo poteſt ſibi ipſi eſſe obligatus ex cauſa fideiuſſionis, vt intelliges ex l. ſi quis pro eo 57. ff de fideiuſſoribus; & nemo poteſt ſuum proprium aſſecurare, vt intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 20. c. 53.: Ne tamen ſuperuacaneas ad miſceam quæſtiones, dicam, ita demum id admitti in mutuo, ſi nihil fiat contra ſubſtantiam mutui; & proinde idem erit in caſu noſtro obſeruandum: poſt hæc.

118 Reſpondet Diana ijs, qui dicunt, hãc ſolutionem eſſe fictam, & literas redire inanes, negando, id contingere, *quia poſtquàm correſpondens campſoris ſoluit pecunias in loco nundinarum; non mittit eaſdẽ literas, ſed finitur illud primum cambium, & fiunt nouæ literæ campſuario, conficiendo ſecundum cambium, per quod ſoluuntur pecuniæ in eodem loco, in quo primum ſolutæ ſunt*: Petit Diana iterum principium; hæc enim fieri ſcimus, & fatemur, ſed dicimus, hæc eſſe comenta inuenta ad faciendam fraudem conſtitutioni Pij V., vt largè expoſui ſupra nu. 53. cum ſeq.; rationemq; reddimus, quia ſolutio facta ex pecuniis cãpſoris nullam ei affert vtilitatem, cum ex ea pecunia facta fuerit, quæ pleno iure erat ipſius: Ex quo ſequitur, quod fingitur ſolutio cambij, vbi nõ adeſt vera eius ſolutio, ea de cauſa, vt recambium cõtrahi poſſit: & proinde verum eſt, quò ad effectum, literas prioris cambii inanes redire sd locum, vbi fuit cõtractũ, vt ibi ſequatur vera ſolutio pecuniæ: hocq; cõtingit ſemper vbi ſolutio cambij fit in nũdinis ex pecunia cãpſoris: Circa hæc autem nihil dixit Diana, & tamẽ hoc proponitur ab omnibus ſequacibus receptę ſententiæ:

119. Sequitur Diana: *Hæc opinio, vt dixi, mihi videtur probabilis, nam potiſſimæ rationes oppoſitæ ſententiæ, duæ ſunt; prima, quod idem gerat duas perſonas; ſecunda, quod campſarius vendat illi pecuniam commodatam ab emptore, vel permutet eandem. Sed hæc argumenta, ſaltem probabiliter, ſoluuntur ab authoribus ſecundæ ſententiæ, & in ſpecie ab authore conſilij 31. Nauarri de vſuris: ergo hæc ſententia erit probabilis*: Non poſſumus eum à craſſa defendere negligentia, dum ait, potiſſima hæc eſſe argumenta huius opinionis, cum præcipuum ſit, quod aſſignare pecunias campſoris pro ſoluendo cambio in nũdinis, eſt ſignum euidens, quod campſor putat, non eſſe ſecuturam in nũdinis numerationem ex pecunijs debitoris, quod deſtruit, vt admonui, fundamentum omnium cambiorum iuſtorum; Secundo deficit in recenſendo eo argumento, qđ proponunt ſequaces noſtræ ſentẽtiæ circa repræſentationem plurium perſonarum; non enim ſic proponunt, vt negent, quem poſſe plures perſonas repræſentare, ſed reſtrictè ad eum caſum, de quo agimus; & ideo opus erat, ſic proponere hoc argumentũ, vt Lectores poſſent eius vim aſſequi: Hinc autem intelliges, quam periculoſum ſit, ex ſola lectione huius authoris deducere velle cognitionẽ fundamentorum partis contrariæ, vt poſſit ei credi, de probabilitate ſententiæ teſtanti. Not. eſt autem, eũ nihil prorſus afferre pro reſponſione argumenti ex eo ducti, quod non poſſit perfici ſolutio ex pecunijs proprijs, ſicut non poteſt ſequi emptio rei ſuæ, aut permutatio cum propria re: & tamen hoc eſt illud, quod clarè detegit ſimulationem ſolutionis.

120 Cum verò ipſe ſe remittat pro ſolutione fundamentorum noſtræ ſententiæ, ad authorem cõſ. 31. Nauarri in tit. de vſuris, eius dicta expendamus: Is contra cambium, quod defendit, propo-

Digitized by Google

nit tertium arg. quod ſit ſiccum, quia accipiẽs pecunias per cambium, non habet pecunias in loco deſtinatæ ſolutionis; ipſe autem dùm reſpondit huic arg., admittendo veritatem facti, quod ſcilicet debitor nõ habet, vnde ſoluat cambium, quod etiã ponit pro ſuppoſito dubitationis in facti ſpecie, non quærit, an ſit neceſſarium pro veritate cãbij, quod putet campſor, debitorem poſſe numerare pecuniam in loco ſolutionis, ſed ſolum nititur probare, non fuiſſe reprobatum à Pio V. in ſua conſtitutione, (ſed fruſtra vt oſtendi ſupra nu. 53. cum ſeqq.) imo ait, fuiſſe approbatum ab ipſo hoc cambium in confirmatione capitulorum Bononienſium, quæ, data opera fuerunt exhibita ei confirmanda, vt adimeretur occaſio dubitandi ijs, qui putabant, hoc cambium fuiſſe reprobatum in dicta conſtitutione, ſed malè vt oſtendi ſupra num. 74. cum ſeqq.: Confirmatio huiuſmodi emanauit anno quarto Pij V., conſtitutio autem circa cambia edita fuit anno ſexto eius Pontificatus: aſtutè ergo ſe ſe geſſit author huius reſponſi, cum diſſimulauerit fontem, ex quo oritur inſanabile vitium huius cambij, cum veriſſimum ſit, & receptiſſimum, quod cambium ſit ſiccum, vbi putat campſor, campſatium non habiturum eſſe ſuo tempore vnde fiat numeratio pecuniæ debitæ: Cum enim hoc intelligeret, aſtutè declinauit examen huius fundamenti: ſumma antẽ eius doctrinæ hæc eſt, quod in loco deſtinatæ ſolutionis habiturus ſit pecuniam, mediante mutuo, quod initurus eſt ſecum reſponſalis campſoris virtute fide iuſſionis, quàm pro eo facit campſor: ſic explicitè docet in reſponſione ad primum arg.; Hoc autem egreditur terminos noſtræ quæſtionis, in qua agimus de ſolutione faciẽda ex proprijs pecunijs campſoris: & in clauſula objicet aliquis in verſic. nec eſt ſecundus defectus clarè reſtringit cambia tunc vſitata apud Florentinos ad ea, in quibus ſolutio fiebat ex pecunijs reſponſalis, licet idem admittat ex dum einſdem campſoris pecunia ſit ex ratione ſupra confutata, quod id accidat cum minori damno debitoris cãbij, non animaduertens tunc obſtare rationes ſupra ab eo propoſitas, quas ex eo euitauit, quia ſolutio fit ex pecunia, quam reſponſalis campſoris debitori cambij mutuauit, non autem ex pecunia ipſius campſoris; vt non immerito ſubeat grauem incauti ſcriptoris, in hac parte, notam.

121 Vt verò intelligas, non poſſe interuenire allegatum mutuum reſponſalis, conſidera, quod mutui eſſentia conſiſtit in tranſlatione rei mutuatæ in mutuatarium, l. 2. §. appellatio ff. ſi certum petatur: eſt enim ex contractibus, qui re perficiatur: hic autem nulla adeſt tranſlatio dominij pecuniæ, quia hoc reſpectu reſponſalis nec tetigit quidem vllum ex ſuis numm is: introducere autem traditionem breui manu factam, non poſſumus, quia certa corpora numorum ſunt neceſſaria ad conflandum mutuũ, & ex alijs cauſis, de quibus ſupra nu. 46.

122 Poſtremò Diana, vt ad eum reuertamur, ſic admonet campſores, vt *caueant, ne in his cambijs habeant peruerſam intentionem lucrandi ex dilatione ſolutionis, quia hæc intentio erit vſura mentalis*: Ego autem ab eo quęro, vnde deduci debeat bona intentio, cum hac mente ineatur cambium, vt pecunia ſoluatur in loco, in quo fuit initum, & plerunq; eò maius ſit lucrum eius, quo longius erit tempus ſoluendi recambij? Scripturas enim quæ fiunt in nundinis, ſciunt, non parere vllum effectum realẽ, ſed eas adhiberi, vt ſatisfaciant, verbis tamen, cõſtitutioni Pij V.: audi Iuſtinianum de continuat. cambiorum quæſt. 2. nu. 11, dum ait, *baſti è la pratica, è il teſtimonio de' Cambiſti iſteſſi, che conoſcẽdo chiaro, come cotai lettere, ſunt res de ſolo titulo, che non hanno da ſeruir ad altro, ſolo perche ſappia il procuratore, come hà da notar nel libro le partite, il che potendoſi fare aque bene, nello ſtudio, ò ſcagno di Caio, perciò molti negotianti aſtenendoſi dall'inutil fatica di quelle lettere, danno compimento à tutto in Genoua nella lor ſtanza. Tutto ciò m'hanno confeſſato molti di loro, frà quali mi dicea vno à dì paſſati; com'egli conoſcea beneſſimo, eſſer queſte lettere inutili è vane, è cotal cambio eſſer finto, e non reale, in vera non ſi fare vero pagamento (intendaſi ſempre nelle continuationi, che nel cambio reale la coſa è molto differente) nõ patir alcun danno il Cambiſta, ne ſoggiacere ad alcun pericolo, tutto che il procuratore, l'amico, ò il recorrente, che fà queſto negotio fallica, & che egli perciò ben è ſpeſſo non mandaua le lettere, e ſi burlaua di quei, che le mandauano*: Cum enim abſolute verum ſit, nullum effectum realem oriri ex ſolutione per calamum facta in cambijs *con la ricorſa* in nundinis, fauore debitoris, aut creditoris (re enim ipſa, quò ad vtrunque idem eſt, eam fieri, vel non fieri; ſolui recambium virtute ſecũdarum literarum, vel virtute ſimplicis conuentionis, prout accidit, quando literæ cambij remanſerunt apud campſorem) intellectus negotiatorum non poteſt ſuperare ſenſatam hanc cognitionem per eas formalitates, melius dixerim cauillationes, quæ à regulis iuris recedunt apertiſſimè, & in nullo alio negotio admittuntur; & cõſequenter ſubtiles intellectus campſorum non poſſunt, nõ intelligere, re vera, quæſtum cambiorum pendere ex longitudine temporis, quo pecuniam retenturus eſt debitor cambij, & continuationes cambiorum non fundari ſuper cambia, quæ renouantur, ſed ſuper dilatione debitoris in ſoluendo cambio cum ſuis acceſſionibus: non debuit ergo Diana admonere campſores, vt bona mente cambia exerceant, ſed debebat conſiderare, non poſſe probabiliter ſperari, vt campſores habeãt bonam mentem in hoc genere cambij: ſunt ergo admonendi confeſſarij, vt diligenter perſcrutentur mentem eorum campſorum, quorũ ſacras audiunt cõfeſſiones; Si enim hoc fecerint, facile intelligent, perrarò accidere, eos non habere mentem, re ipſa, deprauatã: vel adeo inquietam ob ſuggeſtiones diaboli, vt oporteat, adimere eis occaſionem proximam tentionis adeo periculoſæ: Hanc autem difficultatem agnouit ipſemet Diana; nõ fuit .n. auſus admonere exercentes hæc cambia, vt non habeant intentionem capiendi vtilitatem ex dilatione conceſſa debitori cambij ad reſtituendam pecuniam, ſed ex permutatione, ſeu emptione ſcutorum *di Marche*; verùm eos monuit, eius mentis eſſe, vt queſtũ faciant iuxta modũ, quo vtũtur boni mercatores; animaduertebat ſcilicet, quemlibet, qui conſiderauerit, nullum effectum realem oriri ex ſolutione facienda ex pecunia campſoris mandato ipſius, non poſſe intelligere, quomodo dici poſſit vera

ſolutio:

ſolutio: & conſequenter non poteſt credere, hoc in caſu verè interuenire permutationem, vel emptionem pecuniæ exiſtentis in nundinis, quo dēpto, omnino credere eum oportet, lucrum ex ſola temporis dilatione pendere: Itaq; Diana ab hac diſtincta negotiationis conſideratione alienare curauit eos, qui exercent hæc cambia, conuertendo ipſos ad cogitationē confuſā; quod rudibus mulieribus, & craſſi ingenij viris cōtingere quidem poteſt, vlli autē ex cāpſoribus vix vnquā euenturum eſt; imo ne vix quidem. Non eſt autem omittendum, Dianam velut exploratum potuiſſe in reſolut. 14. cambium eſſe vſurarium, ſi campſor putauerit, debitorem cambij non habere, vnde numeret pecuniam, ideoq; idem ſupponit in cambio *con la ricorſa*.

123 Sed accedamus ad authoritates ab eo allegatas, ex quarum examine intelliges, quam periculoſum ſit, admittere pro defenſoribus opinionū, quas proponit velut probabiles, eos, quos allegat, velut ſequaces ipſarū, eorū ſcriptis nō perſcrutatis. Primò dicit, quod Azorius p. 3. lib. 10. tit. de cambijs c. 9. quæſt. 2. verſ. cæterum quia, non fuit auſus hoc cambium damnare: Ait autem Azorius, *cæterum quia eſt aliquorum opinio, prædictum cambium cum lucro licitum eſſe per ſe, eò quod ſolutio pecuniæ non fit in loco, vbi recepta eſt, virtute primi cambij, quod re vera finitur in loco, ad quem litteræ mittuntur, ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco, ad quem miſſæ ſunt litteræ, ideo, quamuis conſilium non darem huiuſmodi cambio exercendo, non condemnarem tamen poſt factum*: Cum autem in antecedentibus clauſulis clarè probauerit, non poſſe in nundinis nouum initi cambium, cū ſolutio fit ex nummis campſoris, cur ſupponit in his verbis, nouum initi cambium, cum nihil reſponderit rationibus, quas ſupra adduxit? cum vero Azorius in c. ſeq. quæſt. 31. clarè docuerit, eſſe cambium fœneratitium illud, in quo campſor ſcit, vel credidit, non eſſe cambium ſoluendum in loco deſtinato in pecunia numerata, quomodo dixit, ſe non eſſe damnaturum cambium, de quo agimus, in quo euidens eſt campſori, quod debitor cambij non eſt eā numeraturus in loco deſtinatæ ſolutionis? ſi enim id crederet, non mandaret, cambium ſolui ex ſuis proprijs pecunijs? Si Azorius in c. ſexto verſ. obijcies, docuerat, cambium eſſentialiter eſſe permutationem pecuniæ præſentis cum pecunia quam quis habet, vel ab alio poteſt habere in alio loco; quomodo potuit exiſtimare, in hoc caſu adeſſe ſubſtantiam cambij, in quo pecunia nō aderat actu, vel potentia in nundinis, idq; clarè intelligebat campſor, dum videbat, opus eſſe, ut mandaret, cambium ſolui ex ſuis proprijs pecunijs? ſupponit enim Azorius, quod debitor cambij rogauerit campſorem, mandare ſuo inſtitori, ut ſoluat cambium ex proprijs pecunijs, vt declarat in quæſt. 2. Opus eſſe, vt campſor probabiliter credat, eam pecuniam numerandam eſſe in loco deſtinatæ ſolutionis, idem author docet in c. 11. in 7. quæſt. quomodo excuſat cambium, in quo id clarè deficit? Inſuper animaduertendum eſt, Azorium in quæſt. eiuſdem capitis non agere de cambio *con la ricorſa*; ipſum verò differre à cambio, de quo egit in dictis verbis, dixit in clauſula deinde; quia ſcilicet in cambio *con la ricorſa* debitor cambij, virtute pacti, mandat inſtitori, ſeu reſponſali campſoris, vt ſoluat cambium; in priori verò cambio id fit ex mera voluntate debitoris cambij: Cum itaque noſtra quæſtio verſetur circa cambium *con la ricorſa*, ſententia Azorij quò ad noſtrā quæſtionem eſt deducenda ex eius doctrina circa huiuſmodi cābium: ipſe autem d. quæſt. 5. ſic ſcribit, *Quæres an Titius nummularius, qui Genuæ dat pecunias, poſſit alterum ſibi obligare ad ſcribendum & mittendum litteras Lugdunum ad ſuum famulum, vel procuratorem, vt is, ob pecunias, quas Lugduni ſoluit, curet ſuas literas Genuam mitti, vt ibi ſoluantur. Arbitror, hoc cambium minime licitum eſſe, quia Titius ſicut Genuæ pecunias dat, vult, vt ſibi Genuæ ſoluantur, quod vt minimum, vſuræ ſpeciem habet, eo quod, vbi pecuniæ dantur, ſoluuntur ex pacto, & obligatione*: hic eſt enim noſter caſus præciſus, quia campſor ideo vult, in nundinis ſolui cambium ex ſuis pecunijs, ut litteræ recambij ſoluātur Genuæ, *ne i ritorni di Fiera*.

124 Perpendamus nunc authoritates, quas adducit Diana velut affirmantes clarè, ſolutiones, quas damnat recepta ſententia, eſſe legitimas: exordiemur autem à Boninſegnio de cambijs c. 7. nu. 7, 8, & 9: Vt verò appareat, eum noſtram ſententiam non obſcurè ſequi, ſciendum eſt, quod loco allegato ſoluit dubitationem, quām propoſuit in c. 5. nu. 6. his verbis. *In queſto modo di cābiare pare, che non vi ſi poſſa ſaluare ne forma, nè eſſenza di cambio alcuno. Che da tutti ſi diffiniſce, permuta di dennaro con denaro, quando ſi sborſa in vn luogo per hauerlo in vn'altro; il che non ſi vede nel cambio figurato di ſopra, poſciache le dieci marche ſi danno in Firenze, le quali medeſimamente in Firenze nel ritorno delle lettere ſi riceuano con accoſtamento di guadagno, & tanto più queſto ſi ſcorge, quando colui, che dà, numerà à ſe ſteſſa, & trahe per sè, al qual diede à cambio, che all'hora più euidentemente ſi dichiara, che l'iſteſſo, che dà, dal medeſmo, è nello iſteſſo luogo riceue; il che certo ripugna alla giuſtita del cambio*: Huic autem obiectioni reſpondet Boninſegn. d. c. 7. nu. 7. his verbis. *Tutto queſto ſi fà, che farebbe vn terzo, ne guaſta la natura del cambio, perche con tal modo ſi vietano le ſpeſe de ſenſali, che ſono mediatori frà quelli che cambiano*. Cū verò animaduertiſſet, nos verſari circa quæſtionem quid ſit; reſponſionem verò ſpectare ad quæſtionem quale ſit; mouet hāc dubitationem. *Alcuni vituperano quelli, i quali alli poueri danno à cambio con tutto ciò, che non habbino il modo di pagare in Lione. Si come ſe vno compraſſe fintamente da vn pouero ruſtico i boui, che nō hà, e glieli affitta, il che è coſa empia, & vſuraria*: Huic autem obiectioni reſpōdet, *non è tenuto il compratore ſapere, ſe'l venditore poſſeda quella coſa ſenza intereſſe, ò nò, mentre, che la poſſeda lecitamente, e non è ſimile, dice il Silueſtro de' boui. Perciò che quel ruſtico non hà gli buoui, ne li può hauere, mà colui, che riceue il cambio, e vende, può hauere in Lione li denari, che egli ui vende, auenga che ſottogiaccia à ſpeſe, & intereſſe, delle quali coſe penſi lui, che queſto non ſi de' imputare à colui, che dà à cambio ſecondo gli prezzi correnti*: Si Boninſignius conſideraret potentiam abſolutam, nulla vtiq; eſſet differentia inter eum, qui quærit pecuniā per cambium, & d. ruſticum, cum & ipſe habeat huiuſmodi potentiam acquirendi boues: Ergo intelligit de potentia, quæ fa-

cile ſortiri poſsit ſuum effectum, & conſequenter requirit, quod debitor cambij poſſit veriſimiliter habere Lugduni pecuniam numeratam neceſſariã pro ſolutione cambij: Dum verò dicit, ſatis eſſe, debitorẽ cambij poſſe habere Lugduni huiuſmodi pecuniam, *auenga che ſottogiaccia à ſpeſe, & intereſſe*, clarè excludit eum caſum, de quo nos agimus, quia nullus prorſus ſumptus debitoris cambij interuenit, quod ex pecunijs creditoris fiat ſolutio, quia recambium tunc eodem prorſus modo fieret, ſi ex alterius pecunijs ſolueretur cambiũ: ergo ſupponit, cambium ſoluendum eſſe ex pecunijs alterius, quàm campſoris:

125 Nõ eſt ẽt allegandus Homobonus in examine Eccleſ. p. 2. tract. 9. q. 56. col. 5. in clauſula qua ratione: quia non explicat, ſe intelligere de eo cambio, in quo ſolutio ſit facienda à procuratore cãpſoris (ad hunc enim caſum ſe reſtringit) ex pecunijs proprijs campſoris; imo contrarium inſinuat, dum limitat ſuam doctrinam, *dum vt dixi debitis conditionibus veſtiatur, & realiter exerceatur*. Explicans enim dictas conditiones in quæſt. antecedenti in ſuppoſitis hæc ſcripſit. *Tertia conditio eſt, vt campſor, qui pecunias mandat alicui ſoluendas, probabiliter ſciat, campſarium illas habere, vel fidem, & ſatisfaciendi volũtatem in illo præſumat, ita vt actu, vel virtute ibi nũmos habeat, quos reddat; & quod ille, qui pecuniam præſentem ſoluit, velit illam abſentem.*

126 Male ẽt allegauit Naldũ in ſumma in verbo cãbiũ n. 6. quia ſupponit, cãbium de quo agit, non differre ab eo cambio in quo ſoluitur cambium in nundinis ab inſtitore campſoris, non tamen ex eius pecunia, vt liquet ex clauſula tandem hæc eadem: Item ſupponit, ſolutionem factam ab inſtitore tollere primam cambij obligationem, ita vt ſit eius debitor liberatus, ac abſolutus ab eius obligatione vna cum ſuo fideiuſſore, & extinctione hyppotecæ contractæ in primo cambio, vt liquet ex clauſula, & quia hoc cambiũ; quod nec in ſomnijs quidem admitterent campſores in ſolutione, de qua agimus in hac quæſtione.

127 Non rectè etiam allegauit pro ſua ſententia Megalium de contract. b. lib. 2. c. 16. quæſt. 3. à nu. 33. ad num. 44; quia vere nobiſcum ſentit; Dicit nu. 37, in hoc cambio requiri ea, quæ recenſuit n. 26: eo loci autem ſic ſcribit; *ſecundum, vt ille, qui promittit ſoluere pecuniam abſentem, habeat illam in loco ſolutionis, ſaltem virtualiter, ideſt ſub credito, ita vt certo ſciat, aut probabiliter credat, illam tradendam eſſe ei, cui litteræ dicunt tradendã eſſe*: quomodo autem hoc poteſt credere, ſi campſarius nullam habet eo loci pecuniam actu, vel potentia, niſi ipſe mandet, ſolutionem fieri ex ſuis proprijs pecunijs? addit deindè tertium requiſitum, *vt ille, qui dat pecuniam præſentem, ſciat, aut probabiliter credat, eum, cui dat pecuniam, poſſe ſoluere vbi promittitur*: quomodo autem hoc credere poteſt, dum videt, eum nullam habere rationem conflandi pecuniam neceſſariam ſolutioni, niſi ipſe ſuo mandato curauerit, vt ſequatur ſolutio cambij?

128 Explicans autem Megalius nu. 37, quomodo debitor cambij habeat pecuniam in nundinis, ait, *verè & realiter accipiens in hoc caſu cambium habet pecuniam illam ſub credito procuratoris campſoris, & vere ſcit, & probabiliter credit, ſolutionem futuram eſſe*: ſi eatenus procurator campſoris ſoluturus ſit cambium, quatenus ei mandatum fuerit à campſore, vnde deducitur, eum verè ſcire, ſolutionẽ eſſe ſecuturam, cum ex arbitrio eius pendeat, id ei mandare, vel non mandare? Nota inſuper illa verba, *habet pecuniam illam ſub credito procuratoris*, & intelliges, eum ſupponere, procuratorem nomine proprio ſumere pecuniam campſoris, eius tamen mandato, & deinde ipſam erogare in ſoluendo cambio: ſi enim id ſequeretur dum pecunia remanet in dominio campſoris, cũ id fiat eius mandato, non poſſet dici, debitorem cambij habere pecuniam ſub credito procuratoris cãpſoris, quia procurator id agit nomine domini, non autem ſuo, vt in inſtit. per quos agere poſſ. in principio. Et hoc eſt id, quod ſignificauit n. 38, dum dixit, impertinens eſſe, procuratorem campſoris habere tale creditum ab ipſo; quia ſuppoſito, quod ſoluat cambium proprio nomine, nihil refert, qua ex cauſa campſor ſolutionem eius approbet, dũmodo verè eam approbauerit: Et per hoc intelligimus rationem, cur incontinenti ſic ſcripſerit. *Quibus ſic ſtantibus adeſt etiam tertium requiſitum; nam cum dans cambium mittat litteras, & præſtet aſſecurationem, probabiliter etiam credere poteſt, ſolutionem faciendam eſſe*: Cum enim debeat ſolutio fieri nomine procuratoris, non poteſt eſſe certus campſor, id eſſe ſecuturum, ſed ſolum poteſt credere probabiliter, *cum præſtet ei aſſecurationem*: De hac autem aſſecuratione non fit mentio explicita in epiſtola, quàm campſor mittit ad ſuũ procuratorem, ſed venit ex ſtylo campſorum, apud quos pro explorato eſt, eum ſatisfeciſſe ſuæ obligationi, ſi per ſcripturam negotium cambij compleuerit, & deinde literas recambij ſcripſerit, eas mittendo ad campſorem.

129 Inquit deinde Megalius: *habetur pro reali ſolutione illa virtualis ſolutio, quàm procurator facit ſcribendo in ſuis libris accipientem cambium ſuum debitorem, & dantem ſuum creditorem, licet in illa non numeretur pecunia: nam eundem effectum parit, & nihil refert. quid de æquipollentibus fieri*: Hoc autẽ non poteſt eſſe verum, niſi penitus extinguantur obligationes contractæ per cambium, eo modo, quo contingeret ſecuta numeratione, quod clarè docet nu. 40, & 42; Hoc autem campſores non admittunt, nec poſſunt admittere ſine magno periculo: Prout etiam non admittunt id, quod dicit Megalius nu. 40, poſſe mitti literas recambij ad alium, quàm campſorem: non admittent etiam, cambium eſſe iniuſtum, niſi campſor eius mentis ſit, vt *remiſſio illius ex libera voluntate procuratoris dependeat*. Quod vtiq; ſequitur ex præmiſſis, quia ſoluto debito cambij, nihil aliud quærere debet campſor, quàm vt ſibi reſtituatur à ſuo procuratore id quod accepit: liberum autem debitori eſt, ſoluere debitum per hunc, vel per illum, dummodo plena ſolutio ſit.

130 Veram etiam ſolutionem interuenire, & per hoc extingui primã obligationẽ, ſupponit Scortia Epitome 107. theor. 291, vt patet ex ijs, quæ ſcribit col. vlt. dum ait, iam de ſuis, non de campſoris pecunijs ſatisfacit priori debito, vnde etiam in foro exteriori ſemper cenſebitur facta vera ſolutio, nõ ſecus ſi ſolutio facta fuiſſet de pecunia ad cãbiũ accepta à Martino, & extinguit primũ debitum.

131 Do-

131 Doctrinam, quàm impugnamus defendit ex profeſſo Trullenchius ſuper Decalogo tom. 2. lib. 7. c. 22. dubio 5. nu. 3. qui largè circa eam verſatur, non tamen aliquid affert vt probet, quomodo fieri poſſit, vt ex proprijs pecunijs creditoris fiat vera ſolutio, ait deinde Trullenchius *demum ſupponit hæc ſententia, omnia ſeriò, & verè agi, ita vt ſi factor campſoris, qui debet reſpondere pro campſario, fugeret, vel decoqueret, campſor non ſit habiturus rationem in campſarium.* Hucuſq; ſe res bene habet, quia ſolutio vera liberat debitorem abſolutè; ſolutione enim eius, quod debetur, omnis tollitur obligatio, vt in inſt. quibus modis tollitur obligatio in fine: Verum declarando hoc dictum, addidit illico hæc verba; *Nam campſarius ſolum ſe obligauit ad intereſſe cambij, ſuppoſito, quod ille vere reſponderet, ad ſortem autem ſe obligauit quocunque euentu ſoluendam:* Intereſſe nomine, æquiuocando tamen, intelligit recambium; & proinde docet, quod debitor cambij nō tenetur hoc in caſu ex cauſa recambij, quia eius obligatio habet limitationem, ſi is, qui ſoluit cābium, tranſmitteret ad ſe recambij literas: & quò ad hoc bene ſentit; dum verò dicit, eum obligatum eſſe campſori quò ad ſortem, quia ſe obligauit ad eam reſtituendam, ſuam clarè euertit ſententiam: ſi enim veram ſolutionem induxit inſtitor, ſeu reſponſalis, dum ſcripſit in libro cambiorum, ſibi ipſi ſoluiſſe ſcutos *di marche* ſcriptos in literis cābij iuxta morem campſorū, per neceſſe ſequitur liberatio debitoris cambij ab obligatione contracta per cambium, quia bona fides non patitur, vt bis idem exigatur l. bona fides non patitur de reg. iuris. Aut ait, inſtitorem ſoluentem cambium habere obligatum debitorem cambij ob huiuſmodi ſolutionem, aut negat: Si affirmat, inducit abſurdiſſimam ſententiam, quod ſine cauſa obligetur huiuſmodi inſtitori; Cur enim ei obligatur, ſi per ſuam ſolutionem non diminuit obligationem illius cambij, cuius ſolutionem ipſi mandauit? Si verò negat, eum obligari inſtitori, ſequitur, eum non ſatisfeciſſe mandato ſoluendi, quod ipſi iniunxit; clari enim iuris eſt, quod adimpleto mandato, naſcitur actio procuratori cōtra mandantem l. 1. ff. mandati; Hoc autem poſito, ſequitur neceſſariò, nō induci veram ſolutionem per huiuſmodi ſcripturā; poſita enim vera ſolutione, ſequitur implementum mandati: Hæc lumine naturæ patentia ſunt, cur ergo ea Trullenchius non vidit? diſſimulauit ne, vt non detegeret falſitatem opinionis, quàm adminiculare volebat? aliorum iudicium erit: Illud ſcio, campſores pro comperto habere, non obeſſe ſibi vlla ex parte fraudem huiuſmodi inſtitoris, vel reſponſalis, vt teſtatur Iuſtin. de contin. cambiorum quæſt. 3. nu. 28, & 29, quæſt. 4. num. 5. in fine, quod ſtare poſſe cum vera ſolutione cambij nullus huc uſque oſtendit, nec probabiliter oſtendi poteſt, cum poſita vera ſolutione, ponatur neceſſariò extinctio debiti ſoluti, dum facta fuit iuxta voluntatem creditoris habentis liberam rerum ſuarum adminiſtrationem:

132 Sed quæſo examinemus dicta ipſius ſingillatim: ſic ponit caſum, *campſarius non habet correſpondentem, nec aliquem, qui pro eo ſoluat in illo loco, nec campſor habet ibi amicum, qui ex pecunijs nō campſoris pro campſario ſoluat, ſed tantum habet ibi famulū &c.* Proponit ergo caſum, in quo non poterat debitor cambij ſoluere in pecunia numerata in loco deſtinatæ ſolutionis, & id erat notum campſori: Hoc autem in caſu cambium verum contrahi non poſſe, docet idem author dubio 6. nu. 9. eiuſdem c. 22: Hæc eſt doctrina trita in hac materia, cur ergo eam non animaduertit, cum authores receptæ ſententiæ hinc ſuum potiſſimum ducant fundamentum? Propoſito autem caſu quæſtionis, dicit, hoc cābium reprobari à Soto, & alijs, quos recenſet Salon, qui perpauci ſunt: Cum autem tot authores ex profeſſo tractantes de cambijs ipſum reprobauerint, alterū ſequitur neceſſariò, vel eos non fuiſſe lectos à Trullenchio, vel diſſimulatos: qui recenſet deinde ſequaces ſuæ ſententiæ, & primo Fabianum de cambijs c. 7, puto ſcripſiſſe 6, cum ad ſeptimum non peruenerit: Fabianus autem clarè nobiſcum ſentit; cum enim pagina 76. verſ. alia verò difficultas, excitauiſſet dubitationem contra cambia ſoluenda in nundinis, *quia ſæpæ contingit, quod capientes ad cambium non habeant pecunias ibi exiſtentes, neq; etiam habeant ibi Agētes pro eis, imo quandoq; neq; etiam habeant modum ibidem habendi huiuſmodi pecunias, aut ſaltem non niſi cum magna difficultate inuenire poſſunt, quò fit, vt ipſi quandoq; rogare cogantur eoſdem met campſores, à quibus pecunias ad cambium acceperunt, vt ſuis proprijs ſatisfieri litteris curent &c.* Huic difficultati ſatisfaciendo pagina 81. primò dicit, *quod ſi campſor ſciret, aut probabiliter crederet, quod dando ad cambiū pro Lugduno, aut Benzenzono, ſuas pecunias daret pauperi, qui nullatenus poſſet illas conſignare aut conſignari facere, vſurarius eſſet cenſendus:* Nullatenus autē intelligas moraliter; & proinde nullatenus intelligetur, ſi non poterat mittere pecunias huiuſmodi ad locum deſtinatum, aut obtinere ab alio ibi ſolui tanta facilitate, vt ſibi magis noxium ſit, id perficere, quam omittere: (tunc enim) putare debemus eum id non eſſe facturum: Secundò dicit, *ſi probabiliter crederet, quod capiens ad cambium poſſet ſcutos illos de marcha deinde Lugdum conſignare, & ita in rei veritate (quamuis cum difficultate) id conſignare poſſet, ipſe campſor rectè poſſit ei ſuas pecunias dare ad cambium:* Cum itaq; magis lædatur debitor cambij tranſmittendo pecunias ad nundinas, vel curando, vt numerentur campſori ij ſcuti *di marche*, quos ſuæ exprimunt litteræ, non poteſt probabiliter credi, id eſſe eum facturum: Hoc autem res ipſa comprobat, nam vix vnquam id contingit, niſi interdum in magnis campſoribus.

133 Tertiò Fabianus ait. *Similiter ſi in contractu cambij bona fide rectè iam contracti, campſor deinde ad inſtantiam capientis ad cambium, (potentis tamen ſoluere) ſuis litteris ordinet, quod illi ſcuti* de marcha *qui ſibi Lugduni conſignandi ſunt, nomine illius, qui ab eo pecunias accepit ad cambium, ſibi ſoluantur, propter hoc culpandus non eſſet, quia id non facit primaria intentione lucri acquirendi, ſed vt dictum eſt ad inſtantiam capientis ad cambium, & potentis.* Clarè ergo Fabianus deſtruit ſententiam Trullenchij, cum proponat caſum in eo, qui non poteſt ſoluere in nundinis cambium, & in eo campſore, qui primaria intentione, per hoc lucrandi, contraxerit cambium, de quo agimus; vt enim ſepius diximus, hæc cambia non contraherentur, ſi campſores

putarent,

Digitized by Google

putarent, in nundinis eſſe ſecuturã numerationem pecuniæ.

134 Dicit deinde Trullenchius, Syluestrum in verbo vſura 4. q. 9. dicto 6, ſuam inſinuare ſententiam, qui tamen clarè noſtram confirmat, dum ſic ſcribit. *Pecunia datur Mediolani recipienda Lugduni; ſi hoc fiat, non quia Petrus habeat, aut habiturum ſe ſperet ſine ſimili intereſſe, tempore reſtitutionis, pecuniã Lugduni, quam vult per cambium habere Mediolani, ſed ideo fiat, quia Petrus indiget Mediolani pecunia, quam gratis habere non poteſt, ſed ſolum ſub ſpe lucri per cambia, ſecundum aliquos, ſi hoc conſtat campſori, aut credit probabiliter; vel eſt paratus facere etiam ſi ſciret, eſt vſura nomine cambij palliata, quia fit in fraudem vſurarum, ſicut dum à pauperibus emuntur boues, nec eſt ibi venditio, aut permutatio, cum nõ ſit res venalis, aut permutabilis. Si verò probabiliter dubitat, tenetur ceſſare à contractu, donec certificetur, alioquin ſe exponeret diſcrimini:* Hæc enim dubio procul, interueniunt in caſu propoſito à Trullenchio, quia ſupponit, debitorem cambij non habere in loco diſtinatæ ſolutionis, vnde ſoluatur cambium ſuo tempore, & id noſci à campſore: Ex ſequenti verò clauſula deduxit Trullenchius ſuam allegationem, dum Syluester ſic ſcripſit. *Notanter dicitur, ſine conſimili intereſſe, quia ſi Petrus haberet Lugduni aliquem mutuantem pecuniam gratis licet oporteret eum ſoluere aliquid ei, qui laborem ſumeret accipiendi pecuniam, & reſpondendi campſori, non eſſet illicitum, quia illa pecunia habetur in fide amici:* Conſiderat deinde Syluester reſtrictionem huius doctrinæ, ſi modo gratis habiturus ſit Lugduni d. pecuniam, & in hoc eam reprobat his verbis: *quia emptori, & permutanti ſufficit emere, vel permutare iuſtè idem ſecundum æqualitatem abſolutam iuſtitiæ, nec tenetur quærere, an habeat rem emptam, vel permutatam ſine intereſſe, modo licitè habeat:* Cum itaq; in hoc caſu vere non habeat debitor cambij pecunias, cum nec eas habeat campſor eo loci, nec ei liceat eas attingere, Syluester clarè ſentit nobiſcum: addit deinde, *nec eſt ſimile de emente boues à paupere, quia ille non habet, nec eſt habiturus boues, iſte eſt habiturus pecunias:* Hoc enim non accidit in noſtro caſu.

135 Allegat deinde velut claros aſſertores ſuę ſententiæ Nauarrum conſ. 31. tit. de vſuris, & in manuali c. 17. nu. 289, & 301, Boninſegnum c. 7. de cambijs: Quod autem ſpectat ad d. conſ. 31. ſupra admonui, non eſſe conſilium Nauarri, ſed incerti authoris, eiuſq; dicta examinaui n. 120. cum ſeqq.: Nunc addo, Nauarrum in d. conſ. exponere ſuam ſententiam nu. 4, vbi inter alia requirit, *quod campſor, qui dat pecunias ſoluendas ſciat, vel probabiliter credat, quod perſona, cui eas dat, habeat pecuniam, vel fidem ſeu creditum, & voluntatem ſatisfaciendi literis in locis, vbi ſunt ſoluendæ:* & n. 8. ſuum concludens reſponſum ſic ait, *caueat item ne deſit vllum duorum primorum, quę requiruntur ad iuſtitiam cambij liciti per literas vt prædictum eſt:* ex ijs enim eſt requiſitum huiuſmodi: Videat modo Trullenchius, quid egerit allegando Nauarrum in d. conſilio pro ſua ſententia, cum ſupponat in ſpecie facti deficere huiuſmodi requiſitum, tam quo ad opinionem cãpſoris, quam reſpectu voluntatis debitoris, quia in his cambijs rariſſimè cogitant debitores cambij de eo ſoluendo in loco deſtinatæ ſolutionis.

136 Vtile autem erit, alia dicta Nauarri expendere aduerſantia ſententiæ Trullenchij n. 5. hæc habet, *quia eſt cambium reale per literas, per quas realiter datur pecunia, & realiter ſoluitur.* Et non multò poſt ait. *Per quam ſolutionem tollitur obligatio, qua Franciſcus pro Petro tenebatur, illa ſoluere Antonio. Tum quod prædictus modus cambiendi non extenditur vltra primas nundinas;* quę duo ſunt valdè not, quia Trullenchius vult, durare obligationem debitoris cambij quò ad ſortem, non obſtante ſolutione, de qua agitur, & aduerſatur ijs qui putant, eam habere locum in continuationibus cambiorum: fauet etiam clarè noſtræ ſententiæ idem Nauarrus in allegatis nu. 289, & 301. capitis 17. Manualis; nam inquit *Tertiò requiritur, quod campſor, qui dat pecunias ſoluendas in alijs locis, ſciat, vel probabiliter credat, quod perſona, cui eas dat, habeat pecunias, vel fidem, & voluntatem ſatisfaciendi litteris, quas de ſoluendis illis ſibi tradit, alioquin vſuram iniquam admittit:* Vtrunq; enim clarè deficit in themate, quod propoſuit Trullenchius: In allegato autem n. 30, nihil adeſt, quod noſtræ congruat dubitationi in ſecundò, & tertiò notabili: in alio autem ſcribit, oportere, *quod campſor ſciat, vel probabiliter credat, eum cui dat pecunias, poſſe ſoluere, vbi promittit:* licet autem in not. 6. admittat, ſatis eſſe vt per alium id facere poſſit, reſtrictè tamen loquitur ad amicum, vel cognatum debitoris cambij; & proinde nõ poteſt trahi ad pecunias ipſius campſoris, quia tunc ille nõ habet pecuniam formaliter, vel virtualiter in loco deſtinatæ ſolutionis, quam poſſit commutare cum pecunia præſenti campſoris, vel ei vendere, quod ponit Nauarrus pro fundamento iuſti cambij: puerile enim eſt, dicere, debitorem cambij vendere campſori, vel cum eo permutare propriam ipſius campſoris pecuniam.

137 De Boninſegnio, pro ſua ſententia allegato à Trullenchio, non eſt quod hic aliquid ſcribam, cũ ſupra nu. 124. oſtenderim, eum pariter nobiſcum ſentire: ideoq; me confero ad Leſſium, quem Trullenchius allegat lib. 2. c. 23. nu. 71. velut atteſtantem, ſententiam, quam defendit, non eſſe improbabilem: Circa quod not. eſt, Leſſium loco allegato hæc ſcribere, *tamen omnino diſſuadenda, nec omnino permittenda,* quod omiſit Trullenchius: Secundò inquit Leſſius, *ſuppono autem ſeriò agi; ita vt ſi factor campſoris, qui reſpondet pro campſario, fugeret, vel decoqueret, tamen non ſit habiturus directã, & ſuo nomine actionem in campſarium; nam hoc ipſo, quod eſt acceptata obligatio reſpondentis liberatur campſarius: ita vt campſor in illum, ſaltem ſuo nomine agere non poſſit:* Hoc autem aduerſatur doctrinæ Trullenchij docentis, obligationem debitoris cambij durare quò ad ſortem. Nota etiam illa verba *hoc ipſo, quod eſt acceptata obligatio reſpondentis,* quæ reſtringunt doctrinam Leſſij ad caſum, in quo reſpondens ex propria perſona ſoluit cambium: ſi enim id faceret mãdato campſoris, & ex pecunia campſoris, nulla poſſet conſiderari eius obligatio, & proinde extra noſtros terminos clarè verſatur Leſſius, licet in fortioribus terminis aduerſetur contrariæ ſententiæ.

138 Malè etiam Trullenchius allegat pro ſua ſententia Emanuelem Sa in aphoriſmis confeſſariorũ in verbo cambium num. 8, quia ſolum approbat cambium *con la ricorſa* iuxta capitula Bononienſia ap-

ſia approbata à Pio V. quod non habet quid commune cum re noſtra, vt oſtendi ſupra n. 74. cũ ſeq. Adducit deinde Io. de Salas de cambijs dubio 17. qui, vt ipſe ait, ſoluit argumenta contrariæ ſententiæ doctiſſimè: Salas autem nu. 4. inquit. *Vt autẽ explicem quid ſentio, ſit prima concluſio. Si is, qui petit à campſore, non ſit habiturus alibi pecuniam actu, vel potentia, ſeu in credito; idq; campſor norit, contra iuſtitiam peccat cum onere reſtitutionis, ſi illi ad illum locum cambiat:* Hæc autem doctrina ex diametro aduerſatur doctrinæ Trullenchij, quippe qui proponit caſum, vt oſtendi num. 130. in eo, qui non habeat pecuniam in loco deſtinatæ ſolutionis nec actu, nec potentia: proponit deinde Salas num. 7. quartam concluſionem his verbis. *Si is, qui petit à campſore, non poſſit habere alium, qui ipſius nomine ſatisfaciat in loco condicto, quam ipſum correſponſalem, vel ſocium campſoris, & ex pecunia campſoris, vel ſocietatis, probabile eſt, eſſe contra iuſtitiam, ſed oppoſitum eſt probabilius:* Noſtræ ſententię videtur his apertè aduerſari Salas, verum re vera, clare nobiſcũ ſentit: explicando enim modum, quo hæc ſolutio fiat inquit: *nomine enim campſarij habentis fidẽ, ſeu creditum campſoris, ſoluit ipſi campſori primum cambium; & vt ſoluat ſumit ad cambium ex commiſſione campſarij ſoluendum ab eodem campſario: confirmat num. 8. dum ait, ad ſecundam reſpondeo, in cambio duas monetas diuerſorum dominorum reperiri; vnam, quæ hic datur campſario: aliam, quam alibi dat campſarius per ſuum factorem, qui eam ſumit ad cambium, vt ſoluat pecuniam receptam in hoc loco, & prius ſit ipſius, quam alibi ſoluat campſarius per ſuum factorem; vnde ibi reperitur duplex moneta, & diuerſorum dominorum, & ſic fit cambium reale, & diluitur confirmatio expoſita in clauſula ſeqq., & in clauſula vnde facile:* Hec autem doctrina clarè deſtruit praxim campſorum; ipſis enim eſt ſatis ad inducendam hanc ſolutionem, poſt acceptatas litteras ſcribere in libro cambiorum, ſe ſibi ſoluiſſe ſcutos *di marche* deſcriptos in litteris cambij, ſe conſtituendo debitores eiuſdem ſummę, & creditorem ipſum campſorem: Adducit deinde Bonacinam de contr. diſp. 3. q. 3. puncto vnico nu. 11, qui id admittit iuxta requiſitum, quod propoſuit nu. 9; quod ſcilicet putet campſor, debitorem cambij habere facultatem ſoluendi cambium ſuo tempore, quod in ſuo caſu deficere ſupponit.

139 Deinde tranſit Trullenchius ad probandam veritatem ſuæ doctrinæ; *Si enim poteſt camp[illegible]r dare litteras ſuo factori, vt ex pecunijs factoris, vel alterius ſoluat cambium pro campſore, cur non licebit campſori efficere, vt ex ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur?* quod agumentum euidenter fragile eſt, vt oſtendi ſupra num. 40, & 41; ex quo patet, malum eſſe argumentum ab eo ductum qui emit rem infimo precio, quam eidem vendit rigoroſo precio: aduerſus quod bene etiam diſputat Iuſtin. de contin. cambiorum quæſt. 4. nu. 6; & re verâ hoc argumentum ducitur ab eo contractu, qui [illegible]bet euidentem ſpeciem mali, & rariſſimè caret magna iniuſtitia: Non congruit autem exemplũ cambij, cuius litteras mercator ſubſcripſit, quia ſubſcribens ſic ſuam obligat perſonam huiuſmodi cambio, vt nihil differat ab eo caſu, in quo ſolus contraheret cambium, & conſequenter adeſt diuerſitas clara quò ad perſonam, & res inter dantem, & accipientem, quæ eo caſu deficit, quo creditor accipit ſuas proprias pecunias pro ſolutione cambij.

140 Dum verò ait Trullenchius, fieri veram ſolutionem ex pecunijs ipſius campſoris, & per hoc litteras cambij non redire inanes. Quæro, an per hanc ſolutionem habeat plus campſor, quam habuiſſet, ſi ipſa non fuiſſet ſecuta? neceſſe autem eſt, vt id neget; quia nullam vtilitatem ei affert accipere pro ſolutione cambij ſuas proprias pecunias, cum eas habeat poſt ſolutionem eo modo, quo ante habeat, & nullum ius acquirit contra eum, qui eas ſoluit, quia mandato ipſius id fecit: Si ergo nullam ex hoc vtilitatem ſentit campſor, euidens eſt, nihil differre, ſolutionem hanc perficere, vel omittere: Si verò omiſſa fuiſſet, litteræ cambij rediſſent inanes, ergo idem accidit, etiam ſi ſecuta fuerit hæc ſolutio, nulla habita ratione eius, quod nudo calamo factum fuit, quia leges imponuntur rebus, non autem nudis verbis l. 2. in fine C. com. de legatis, l. vt nullo C. de vſuris.

141 Ait deinde Trullenchius nu. 4. adeſſe in hoc cambio perſonas neceſſarias, quia inſtitor campſoris duas repreſentat perſonas, quod fieri poteſt, campſoris nempe, & debitoris cambij? Dum ſoluit pecunias proprias, vel alterius quam campſoris, hæc perſonarum diuerſitas eſt manifeſta: dum verò ſoluit pecunias campſoris, an idem accidat videamus: Dum authores huius ſententiæ dicunt, ſolutionem fieri ex pecunijs campſoris, vtiq; intelligunt de tempore ſolutionis; Si n. eo tempore non eſſent ipſius, ſed inſtitoris ſoluẽtis, imperitè nimis dixiſſent, ſolutionem fieri ex pecunijs campſoris: Hanc autem ſolutionem facere non poteſt tanquam procurator debitoris cambij, quia ridiculum eſſet, mandari ipſi, vt ex pecunia creditoris ſolueret cambiũ: Ex perſona ſua, hoc eſt tanquam inſtitor, id facere non poteſt quia huc ſe non extendit munus inſtitoris: Ergo id facit tanquam ſpecialis procurator campſoris; procurator autem repræſentat perſonam domini; ergo idem eſt, ac ſi idem campſor id faceret: Si autem ipſemet campſor id faceret, adeſſent ne duæ perſonæ, dantis ſcilicet, & accipientis? dices, eas adeſſe, quia ſoluit vti procurator debitoris, & accipit tanquam creditor cambij? Verum à te quæram, an ſine riſu poſſit debitor mandare creditori, vt ex pecunijs, quæ pleno iure ad ipſum ſpectant, ſibi ſoluat id, quod ſibi debetur? ſi ergo materia non eſt capax mandati, non poteſt dici, quod campſor ſoluat vti procurator debitoris cambij, & conſequenter non adeſt ca[illegible] diſtinctio inter dantem, & accipientem, ſine qua ſolutio vera non poteſt conſiderari.

142 Paucis rem abſoluam, ſic res expeditur; Inſtitor, ac reſponſalis non vult, aliquo modo obligari campſori ob hoc quod ſe ſcripſit debitorem ſummæ expreſſæ in litteris cambij, niſi ad expediendas litteras recambij, & mittendas ad ipſum: Nolunt etiam campſores, aliquo modo intelligi obligatum inſtitorem ſuum, vel reſponſalem ob exactum huiuſmodi cambium, quia adirent pericula magna: poſita enim vera obligatione fauore campſoris in perſona inſtitoris, vel reſponſalis ſcribentis, ſibi ſoluiſſe cambium, neceſſariò ſequi-

tur

tur liberatio debitoris cambij, quia campſor contentus fuit huiuſmodi ſolutione iuxta regulam l. 1. ff. qui ſatiſd. cogantur: Adirent inquam magna pericula, quia recedente à foro eo, per quem ſolutio huiuſmodi ſecura fuit, non poſſent agere cõtra debitorem cambij, & eius fideiuſſores ex propria perſona, ſed ex perſona eius, qui fecit ſolutionem; quo in caſu cedere deberẽt creditoribus habentibus obligata iura illius, nec poſſent impedire concurſum creditorum habentium ſolam actionem perſonalem; Et hæc eſt ratio, cur campſores patienter non poſſint audire eos, qui dicunt, liberari debitorem cambij ab obligatione contracta per ipſum, per ſolutionẽ de qua agitur; Remota autem hac liberatione, impoſſibile eſt, defendere, eam eſſe veram ſolutionem, quia vbi ſoluitur verè id, quod debetur, obligatio debitoris omnino tollitur quando agitur de creditore habente rerum ſuarum adminiſtrationem, vt in inſt. quibus modis toll. oblig. in fine; & hoc eſt id, quod explicare debent defenſores huius cambij; qua tamen in re adeo magnum ſilentiũ eſt, vt nullus ſit ex ipſis, quem ego ſciam, qui difficultatem benè excitauerit, nedum ſoluerit.

143 Inquit deinde Trullenchius. *Non tamen debet, nec poteſt campſarius cogi à campſore, vt debitum traijciat ipſius campſoris reſpondenti, ſed relinquendus eſt in ſua libertate; & quamuis id cogatur, non tamen à campſore, ſed à ſua cogitur neceſſitate, ideoq; hæc coactio non tollit libertatem in contractibus requiſitam*, deſtruit in primis cambia, quæ ineuntur cum ijs, qui habent *credito in Fiera*: nam de his certũ eſt, quod nõ mitterent litteras cambij ad campſorem, eiuſue inſtitorẽ, ac reſponſalem, niſi impedirentur at campſore: deinde laborat in æquiuoco manifeſtè, quia aliud eſt, quærere, an ſit contractus vi, vel metu factus; aliud an illud vitium contineat, quod debitor cambij paſſus non fuiſſet, niſi ſua eum neceſſitas adegiſſet ad conſentiendum iniuſto deſiderio campſoris: hoc autem nos quærimus in præſenti, non autem primum: ſi ergo verum eſt, quod *non debet, nec poteſt campſarius cogi à campſore, vt debitum traijciat ad ipſius campſoris reſpondentem*, vtiq; verum erit, campſorem vti neceſſitate debitoris cambij ad faciendum id, quod non debet, nec poteſt facere; hoc eſt ad eum adigendum, præ timore, ne abſtineat à cambio, ad traijciendum debitum ad ſuum inſtitorem, vel reſponſalem, cum verò non liberet campſorem à culpa, quod poterat debitor cambij abſtinere à cambio, cur dicit, neceſſitatem ipſius, non adimere cambio neceſſariam in contractibus libertatem?

144 Notandum eſt autem id, quod ait Trullenchius in illis verbis. *Nec inde inferas, Petrum cogi ad reddendam pecuniam cum auctario in eodem loco, vbi accepit illam, ſed in alio loco, vbi per procuratorem ſumit ad cambium, & ſoluit campſori: nec cogitur à campſore, ſumere eam ad cambium, ſed à ſua neceſſitate, quia non poteſt eam ſoluere, niſi medio ſuo actore, ſumendo eam ad cambium*: Supponit enim id, quod omnino abhorret ab vſu campſorum; neq; enim in hoc genere cambij is, qui ipſum ſoluere debet, quærit pecunias per cambium, vt illius ſolutionem perficiat, ſed nudo calamo totum hoc conficit negotium: ſcribendo ſcilicet ſe debitorem campſoris in libro ſuorum cambiorum, debitorem autem ſuum, cum, cuius nomine ſolutio facta eſt, hocq; agnoſcit ipſemet Trullenchius, dum paucis interiectis verbis inquit: *Concludit igitur hæc ſententia, huiuſmodi cambium eſſe licitum, cum re vera expediantur litteræ, & in loco diſtanti fiat vera ſolutio, etiam ſi chyrographaria, & per tranſcriptionem, ideoq; non redire litteras inanes, ac vacuas*.

145 Addit deinde Trullenchius nu. 1, hanc ſentẽtiam eſſe ſecuram in conſcientia, & proinde non eſſe temere damnandam, cum eam non damnauerit Pius V, in confirmatione capitulorum Bononienſium, quæ non facere ad hanc rem oſtendi: Addit, hanc ſententiam inniti authoritati grauiſſimorum Doctorum, & rationibus haud inualidis: Quò ad authoritates oſtendi, maiorem partem eorum, quos pro ipſa allegat, ipſi non obſcurè refragari: Quò ad rationes autem, eas quas allegant oſtendi, vitro fragiliores eſſe, cum tamen fundamenta ſententiæ apud ſcriptores huius materiæ receptæ adeo ſolida ſint, vt ea ſeriò aggredi nullus, quem ſciam, auſus fuerit: Poſtremò addit, hoc cambium eſſe receptum in plurimis regionibus Catholicis; *Valde ergo durum eſſet, abſq; vrgentiſſimis rationibus praxim ità publicè, & communiter receptam condemnare, cum contractus, qui communiter frequentatur, licet ſuſpectus ſit, non debeat fœneratitius iudicari, vt benè cum alijs Riccius in praxi aurea p. 2. reſol. 307. n. 2. hactenus Trullenchius*: Equidẽ ſi animaduerterem, probabiliter ſperari, campſores exercere poſſe hoc cambium abſq; intentione deprauata, in eo impugnando adeo ſtudioſè nõ fuiſſẽ verſatus; video .n. eius radices, per ſe fortiſſimas, adeo altas eſſe, vt non ſit ſperandum, poſſe medijs humanis ipſas euelli: Eò enim deuentum eſt, vt graues ſcriptores affirment conſtanter, conſtitutionem ſaluberimam *Pij* V. de cambijs, non obligare in ijs regionibus, in quibus campſores; hoc eſt ij, quorum abuſus compeſcit, ea neglecta, perſeuerauerunt in expediendis ſuo more cambijs: quaſi quod paucorum hominum corruptelæ, dum ſuis inſeruientis cupiditatibus, poſſint euertere conſtitutionem editam pro ſalute populi: Video etiam graues ſcriptores circa huiuſmodi conſtitutionẽ diſtinguere ea, quæ meri iuris naturalis ſunt, ab ijs, quæ Pius introduxit vltra ius naturale ad occurrendum fœneratorum fraudibus; quaſi quod ea indicari poſſint meri iuris poſitiui inuenta, quę adimunt Chriſti fidelibus occaſiones peccandi contra iuſtitiam, vel charitatem, qua in re video multos pernicioſiſſime errare, confundendo leges, adhærentes præſumptionibus, veluti ſuo fundamento adæquato; & eas leges, quæ editæ fuerunt ad adimendas occaſiones proximas peccandi, quæ, in fundamento non ſunt dicendæ humanæ, & conſequenter abſurdum eſt, dicere, eas non obligare in foro interno, aut poſſe tolli per deſuetudinem, cum abſolutè malum ſit, impedire eos, qui adimunt occaſiones peccandi intra limites poteſtatis ſuę. Et hæc eſt ratio, cur adeo exactè ſatisfaciã rationibus allegatis pro cãbijs illicitis, quia video, & præuideo, per eos, qui ſua, non quæ Dei ſunt, ſolent quærere, declinari eas illicitorum cambiorum declarationes, quas velut leges ſaluberrimas ſuſcipere deberent, ſub prætextu, quod

conti-

Digitized by Google

continent potius ius poſitiuum, quam declarationem iuris naturalis, vt per hoc poſſint tolli per non vſum: Ne autem admittant, ex iuris naturalis fontibus, eas omnino deriuatas fuiſſe, ipſis ſatis eſt, quod aliqui authores putauerint, ea eſſe cambia, per ſe licita, omiſſo examine rationum, quibus innituntur: Et per hoc abſtinere debebunt pij viri ab adminiculandis ijs cambijs, quæ putant, per ſe, eſſe illicita, quia hoc præſtiturum eſt magnum prætextum euertendi, ſub ſpecie non vſus, declarationes cambiorum illicitorum, ab ijs profectas, quorum ius eſt id declarare.

147 Perpendamus nunc allegatam Riccij doctrinam; quod nempè contractus in regione frequentati communiter, etiam ſi ſint ſuſpecti, non tamen debent iudicari fœneratitij, pro qua nihil aliud allegat præter Rouitum ſuper pragmatica de cenſibus nu. 130: Quod conſuetudo excuſare poſſit vitium vſuræ, nemo Catholicus affirmauerit, cum ſit prohibita à iure naturali, ac Diuino, iuxta regulam c. finalis de conſuetudine: Quod verò conſuetudo poſſit excludere illud mentis vitium, quod reddit fœneratitium eum contractum, qui alias eſſet licitus, fateor, qua communis vſus ſufficere poteſt, vt illi, qui ineunt huiuſmodi contractum, ſiſtant mentem in eo vſu, quem alij obſeruant, & hoc ſenſu accepta hæc doctrina bona eſt, & prouida: Cum enim non adſit ſpes extirpandi radices huiuſmodi contractus, ſatius eſt, ſinere populum perſeuerare in ſua bona fide, quam detecto vitio, tribuere hominibus rudibus occaſionem perſcrutandi, & per hoc vitandi animum, latebras contractus huiuſmodi, ſicq; docent noſtri DD. com. apud Surdum conſ. 327. nu. 51, & 52. Manticā de tacitis conuent. lib. 8. tit. 25. nu. 24. & ſeq.: Verum hoc non conuenit noſtræ quæſtioni, in qua agitur de arte campſoria, in qua exercenda ſubtiliſſimè verſari ſolent eius profeſſores; & de eo cambio agitur, quod campſores confitētur iniri intuitu recambij; quia eo remoto, damnoſum eſſet campſori, ipſum contrahere: agitur deniq; de ea ſolutione cambij, quæ nullum alium effectum habet preterquam parare viam recambio, cum euidens ſit, carere ea materia, quæ eſt neceſſaria veræ ſolutioni cambij, & nullum ex ijs effectibus parere, quos veræ gignunt ſolutiones debitarum alijs rerum; & proinde nulla prorſus remanet ſpes, quod campſores hæc omnia non intelligant planiſſime; quo poſito, impoſſibile eſt, vt non intelligant, ſolutiones huiuſmodi eſſe fictas, & cambium iniri intuitu recambij, & per hoc deficere voluntatem permutandi pecuniam præſentem cum abſenti, aut emendi pecuniā abſentē, quibus cognitis mala fides eorum eſt euidens.

148 Expendamus nunc ſcripta Em. Card. de Lugo, quæ his exaratis ad meas manus peruenerunt: Is autem tom. 2. de iuſt. & iure diſput. 28. ſect. 7. largè, & ſubtiliſſimè, de more, hanc quæſtionem examinauit: Primò autem conſiderandum eſt, nu. 78. & 79. eum docere, quod hoc cambium omnino requirit firmam opinionem in campſore, ſecuturam eſſe numerationem pecuniæ in nundinis: ſecundò not. eſt, num. 100. in fine, & nu. 101. eum docere ex profeſſo, per recambium ſic extingui obligationem contractam virtute primi cambij, vt extinctæ fuerint hypothecæ, & cautiones pro ipſa adhibitæ; hoc autem non admittunt campſores accidere recambijs, quibus vtuntur: & multò minus admittent id, quod deinde ſcribit, campſarium per recambium obligari tantum indirectè campſori; hoc eſt tanquam debitorem eius qui ſcripſit litteras recambij, non autem directè; hoc eſt velut debitorem campſoris independenter ab inſtitore, ſeu reſponſali; quia hac ratione anterioribus cederet hypothecis; & conſequenter tanti Doctoris authoritas nō eſt alleganda fauore cambiorum vſitatorum; quia concordi voto campſores negant, hoſce effectus oriri ex ſolutionibus, quæ fiunt in nundinis.

149 Hic autem opportunè quæritur, quid ſi campſarius promiſerit, inſtitorem, vel reſponſalem eſſe bona fide tractaturum negotium, & ipſi ſatiſfacturum, erit ne admittenda hæc cautio? ad eam autem ventum iri, vereor, cum animaduerterint campſores, non poſſe defendi vſitatas ſolutiones: Dico inprimis, per hoc declarari vſuraria infinita cambia, in quibus hic modus ſoluendi hucuſq; fuit receptus, non quidem bona fide, eorum enī ſimulationē optimè cognoſcunt, cognoueruntq; campſores, quia in omni omnino negotio vera ſolutio liberat debitorem: Secundò dico, finem permutantis eſſe, habere præciſè id, cum quo ſuā rem permutat l. 1. ff. de rer. permut.; cum itaq; cambium ſit vera, & propria permutatio pecuniæ cum pecunia iuxta opinionem veriſſimam, & receptiſſimam, vt oſtendi in capite antecedenti; conſequens eſt, quod vbi campſor obtinuit ſcutos *di marche*, cum quibus ſuam permutauit pecuniā, iuxta modum, quem deſiderauit, perfectionem ſuam vltimam adeptum fuiſſe contractum cambij, & conſequenter debent ceſſare eius obligationes, quia agens obtento fine quieſcit: obtinuit autem eos ſecundum modum deſideratum, quia ſolutio facta fuit ſecundum modum, quem ei ſignificauit, qui litteras cambij ſoluit.

150 Dices, eum addidiſſe in huiuſmodi litteris, vt litteras recābij ad ſe mitteret, & proinde nō obtinet ſuū finē, niſi litteræ huiuſmodi mittantur: Nihil agis duplici de cauſa; primò, quia non eſt ſatis, inſtitorem, vel reſponſalem mittere litteras recambij; ſed volunt conſequi pecunias in ipſis deſcriptas, ad quod aſſequendum non eſt ſatis, eas ad ſe miſſas fuiſſe. Secundò obſtat, quia hinc ſequitur, non fuiſſe initum cambium intuitu ſolutionis ſecuturæ in nundinis, ſed contemplatione pecuniæ ſoluendæ virtute recambij in loco initi cambij; & conſequenter eſt manifeſta ſimulatio, dum in litteris cambij dicitur, eos conueniſſe, vt cambium ſolueretur in nundinis: & hoc eſt illud cambium, quod Pius V. nominatim in ſua damnauit conſtitutione; quia redire inanes litteras à nundinis, ſignificat, in nundinis non ſequi eam ſolutionem, cuius intuitu fuit initum cambium.

151 Poſtremò ſcriptum eſt, in rebus nouis inducendis euidentem requiri vtilitatem l. 4. ff. de conſtit. Principum; ſumma ergo ratione Pius V. in ſua conſtitutione nos admonuit, vt adimamus occaſiones exercendi cambia vſuraria: Abſurdum ergo, eſt, admittere nouum modum negotiandi, quando poteſt præbere occaſionem exercendi fœnus ſub nomine cambiorum: Cum itaq; nouū prorſus ſit, vt debitor fideiubeat pro eo, qui ſolu-

cionem debiti recepturus eſt, quando eum elegit creditor, & ſolutio ſecuta fuit iuxta modum ei præſcriptum; ergo id non eſt admittendum, cum conſeruare poſſit vſum cambij *con la ricorſa*; quod omnes prædicant velut ſuſpectiſſimum fœnoris nomine: Intentio reſpiciens recambium, in quo vtilitas conſiſtit campſoris, ex omnium ferè ſententia reddit ipſum vſurarium, vt oſtendi ſupra latiſſimè nu. 2. cum multis ſequentibus: intentionem autem huiuſmodi quis ſperabit, ſeparare ſe poſſe à campſore cognoſcente, ſe non poſſe vtilitatem percipere ex cambio, quod init quæſtus faciendi gratia, ſi ſequatur numeratio pecuniæ in nundinis: adeas ſcripta ſupra lib. 16. c. 6. nu. 7. D. Thomam 22. q. 169. ad 4. Temeritatis ergo notam ſubibit, vt leuiter dicam, ille, qui auſus fuerit id ſuſcipere pro verò cambio: à prudentia n. abeſt, in rebus, quæ valde periculoſæ ſunt, authorem eſſe eius negotiandi vſus, quem anteacta ſęcula omiſerunt, & per hoc indignum indicarunt, qui in commercijs admitteretur l. minimè ff. de legibus, c. vbi periculum de elect. lib. 6.

152 Dùm verò agitur de eo caſu, qui paſſim accidit, quando inſtitor campſoris habet in ſua adminiſtratione nomina debitorum in nundinis exigenda, an ex ipſis poſſit fieri vera ſolutio cambij, & per hoc poſcit inire recambium: Dico, ſolere campſores, ſeu eorum inſtitores ſimpliciter ſcribere ſe debitores cambij, & deinde litteras recambij conficere: & proinde vſus campſorum non admittit, quod induatur nouum cambium pro ſolutione perficienda, cum ſola ſcriptura ſolutionis vices ſubeat, quod ſatis eſſet ad obligandum campſarium, niſi mandato campſoris id factum fuiſſet, vt oſtendi n. 35; Si autem nouè introduceretur, vt inſtitor, vel reſponſalis campſoris acciperet pecunias per cambium, & ex ipſis ſolueret cambium, quid erit dicendum? Cum finis cambientis ſit, acquirere per ipſum pecuniam, quomodo conſeruabitur in hoc caſu huiuſmodi finis, ſi loco pecuniæ accipiat nomen debitoris? Dices, ex voluntate eius id fieri: verum animaduertendum eſt, eius voluntatem eo reſpicere, vt ſatisfiat litteris cambij; cum autem id commodè fiat ſcribendo ſe debitorem pecuniæ debitæ ob cambium, cur non perſiſtunt in hac ratione ſoluendi cambij? dices, quia hæc eſt ſimulata ſolutio, ipſi autem volunt veram interuenire ſolutionem, vt recambium conſiſtat: Verum te oportet animaduertere, deſiderium campſorum continere contradictionem; nam volunt durare obligationes contractas pro primo cambio, & vtilitatem recambij ad ſe ſpectare: Si enim verè ſoluitur cambium, neceſſe eſt omnino, omnes eius obligationes tolli: Si autem verè inſtitor ex ſuo ſoluit cambium, aut reſponſalis, vera fuit contracta cum ipſis obligatio: ad eam autem diſſoluendam tendit recambium, ergo eius vtilitas ad ipſos debet ſpectare l. ſecundum naturam de reg. iuris: Nulla ergo ſupereſt ratio ſatisfaciendi campſoribus, quippe qui nolunt audire dicentes, quod ſolutio ſecuta in nundinis extinguat obligationes prioris cambij, & recambij vtilitatē ſpectare ad inſtitorem, vel reſponſalem: Omnes ergo Doctores docentes, tolli priorem obligationem, pro primo cambio contractam, clarè aduerſantur cambio *con la ricorſa* his temporibus vſitato: inter quos eſt etiam Molfeſius in ſecunda parte ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. nu. 46. vbi inquit, *Marcus ſic deſijt eſſe debitor Ioannis, & effectus eſt debitor ipſius Petri, qui ſibi ipſi tanquam procurator Ioannis ſolutionem fecit ex mandato Marci, & Ioã deſijt eſſe creditor Marci, & effectus eſt creditor Petri, qui nomine ſuo à ſemetipſo, fecit exactionem prædictã, & ſucceſſiue ſi recipiens efficeretur decoctus ad damnũ Ioannis ſuccederet*: cum quibus concordant ea, quę ſcribit idem author nu. 52.

153 Hactenus expoſui celeberrimam hanc diſputationem, ex qua primò colligo, quatuor modis impugnari cambium *con la ricorſa*. Primò quia campſor non credit, numerationem ſecuturam eſſe in nundinis. Secundò quia in nundinis non fit vera ſolutio cambij. Tertiò quia clarè facit fraudem conſtitutioni Pij V. Quartò quia grauiora ſunt hæc cambia fœnore improbo: Circa primum modum tres inuenio ex eius defenſoribus, qui de ipſo explicitè agant, Scacciam nempe, Gaitum, & Raphaelem. Illi admittunt, quod per hoc vitiatur cambium in foro interiori quidē non autem in exteriori; hic verò abſolute negat, opus eſſe cambijs iuſtis, vt campſor putet, ſecuturam eſſe numerationem in loco deſtinatę ſolutionis: Eos autem hæc docere contra receptiſſimas doctrinas, & leuiſſimis adhærere fundamentis, oſtendi in c. anteced. num. 42. cum ſeq.: Vbi ergo adſunt, & circunſtantiæ, quæ oſtendant, iuxta regulas iuris in foro externo, & iuxta regulas illius prudentiæ ſpiritualis, quam tenentur ſequi confeſſarij in foro interno, quas expoſui in c. antecedenti num. 86. cum multis ſequentibus nullus remanet propugnat prætextus allegandi probabilem opinionem pro huiuſmodi cambio, quia eius defenſores non ipſum in his terminis explicitè; implicitè autem ipſum reprobant in his terminis, cũ admittant pro vera negari receptiſſimã doctrinam (neq; enim id poteſt abſq; magna temeritatis nota) reprobantē velut fœnerantia ea cambia, quæ incuntur ab eo, qui ſuſpicatur, non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis, cuius authores recenſui in c. antecedenti nu. 42. vbi largè oſtendi eius veritatem manifeſtam.

154 Dices, praxim plurimarum regionum admittere hæc cambia, etiam ſi clarum ſit, campſores non eſſe ea inituros, ſi putarent, ſecuturam eſſe numerationem in nundinis: reſpondeo, ſcriptores, huius cambij mentionem facientes, clarè reſtringere eius iuſtitiam ad eum caſum, in quo cãpſor putauerit, ſecuturam eſſe numerationem in loco deſtinatæ ſolutionis; adeo vt nullum reperiam ſcriptorem, qui explicitè reuocauerit in dubium, hoc neceſſarium eſſe, vt verum cambium ineatur, ante Raphaelem in ſuo tractatu de cambijs edito anno 1641.: Ergo manifeſtum eſt, hanc praxim inualuiſſe per errorem: quomodo enim potuerunt admitti, abſq; errore, in foro interno, ac externo ea cambia, quæ ſic reprobantur à ſcriptoribus huius materiæ, vt nullum haberent ſcriptorem explicitè ea probantem? error autem venit ex eo, quod confeſſarij ignorabant veras circunſtantias huius cambij in primis annis huius corruptelæ, cum exercentes ipſa, eas non detegerent: In ſequentibus autem annis, ipſis iam pro-

pagatis;

pagatis; vſus publicus ipſius, & aliæ cauſæ, quas prudentes viri optimè norunt, occaſionem præbuerunt ſpiritui auaritiæ, rem deducendi ad eum ſtatum, quem docti, & pij viri lacthrymis proſequuntur amaris: Et ſi autem, vt dixi, ſcriptores huius materiæ, hoc cambium in his terminis reprobauerint, nullus tamen, quem ſciam, ipſum confutauit ea diligentia, & virium firmitate, qua erat opus ad confundendam eorum audaciam, qui campſoribus placere anxiè ſtudent.

155 Circa ſecundum modum verſati quidem fuerunt huius cambij defenſores: verum infœliciter res eis ſucceſſit, cum nec attigerint quidem difficultatis ſcopum: fundamentum enim receptæ ſententiæ in eo poſitum eſt, quod deficiat materia veræ ſolutionis, & per hoc ſit impoſſibile introducere veram ſolutionem huius cambij in deſtinato loco. Materia autem ſolutionis in propoſito eſt pecunia, quæ numeratur, vel obligatio eius, qui ſcripſit ſe debitorem ſummæ ex cauſa cambij debitę: Pecunia verò eſſe nō poteſt, cū non ſupponatur, eam eſſe pleno iure creditoris, vtiq; creditor nihil acquirit per ipſius numerationem; ſolutio autem vera ſemper inducit veram acquiſitionem: obligatio vero eius, qui ſcripſit ſe debitorem campſoris ob cambium à ſe exactum, eſt euidenter ſimulata, cum ſatis ſit ad eam extinguendam, quod ſcribat litteras recambij, & eas mittat ad campſorem, omiſſa conſideratione, an eis deinde ſatisfactum fuerit nec ne. Pro reſponſione aliqui dixerunt, Inſtitorem, ac reſponſalem accipere pecuniam per cambium, vel mutuum, ex qua ſoluit deinde cambium; quod abhorret ab vſu campſorum, & à terminis noſtræ quæſtionis, in qua quæritur de ſolutione facta ex pecunijs campſoris. Alij & frequentius dicunt, nihil repugnare, quò minus inſtitor, reſponſalis ac ipſe campſor repræſentent perſonam debitoris, & creditoris, quod non facit ad rem noſtram, in qua agitur de defectu materiæ ſolutionis, non autem de defectu perſonarum, quæ ſunt neceſſariæ ad inducendam veram ſolutionem. Nec etiam caſui noſtro poteſt conuenire ob reſiſtentiam materiæ, vt ſupra diſputaui aduerſus Trullenchiū num. 140. cum ſeq.

156 Circa tertium modum non nulli quidem attingerunt difficultatem, verum eam non explanauerunt, & per hoc nullatenus ei ſatisfecerunt; ea autem in hoc conſiſtit, quod per hoc cambiū introducitur facillimè illud genus cambij reprobatum à Pio V. in quo non mittuntur litteræ ad locum deſtinatæ ſolutionis, vel ſi mittuntur redeunt inanes, vt oſtendi nu. 53. cum ſeq. euidentiſſimè; quibus rationibus nihil exaduersò reſpondetur, cum nec propoſitæ quidem fuerint à defenſoribus huius cambij, nulluſq; prætextus remanet probabilis, id reuocandi in dubium; nam nulla prorſus ſupereſt ratio euitandi apparentem veritatem huius argumenti.

157 Quartus modus eſt probando, quod hoc cambium ſit grauius improbo fœnore: Cum verò nequeat veritas huius aſſertionis reuocari in dubium, vt oſtendi ſupra n. 56. cum ſeqq., neceſſe eſt, inuenire rationem, quæ poſſit oſtendere, quomodo id contingere poſſit saluis regulis iuris, quod tentauit anxiè quidem Raphael, verum fruſtra, vt oſtendi ſupra nu. 72. cum ſeqq.: Cum enim contractus iuſti, per ſe minus lædant, quam iniuſti, fieri non poteſt saluis iuſtitiæ regulis, vt fœnus improbum, per ſe, ſit minus graue, quam accidat huic cambio, ſi minus recederet à regulis iuſtitiæ, quam accidat fœnori improbo: Hoc autem adeo recedit a limitibus iuſtitiæ, vt nihil prorſus afferri poſſit apud Catholicos habens vllam ſpeciem probabilitatis ad id oſtendendum: Ex authoritate autem ſuorum defenſorum hoc cambium probabilitatem non acquiſiuit, cum ſic in eo defendendo verſati fuerint, vt notas graues manifeſtè mereantur, vt ſuis locis oſtendi.

De continuationibus cambiorū. De intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis in materia cambiorum. De officio Sacerdotum audientium ſacras confeſſiones campſorum. Cap. III.

1 EXplicato cambio *con la ricorſa*, agendum eſt de continuationibus cambiorum, quæ tribus modis fiunt; primò cum debitore cambij; ſecundò cum alijs campſoribus; tertiò cum ſe ipſo. Cū debitore cambij ſic ineuntur, *ne ritorni di fiera* perueniunt ad manus campſoris, vel ipſemet eas fert, litteræ recambij, eaſq; oſtendit, ſuo tempore debitori cambij, qui nolens, vel non valens ſoluere pecuniam in ipſis deſcriptam, compellat creditorem ad nouum cambium ineundum; ipſiſq; conuenientibus, nouum fit cambium omnino ſimile primò, preterquam in quantitate ſcutorum *di marche*: in hoc enim plures ſunt, quam in primo cābio fuerint: huiuſmodiq; litterę mittuntur ad nundinas, in ipſiſq; ſoluitur cambium, & perficitur recambium, eo modo, quo accidit primò: quod ſi debitor non ſoluerit pecuniam deſcriptam in litteris recambij, & conuenerint de nouo cambio perficiendo, nouum, ſecundum eundem modum, fit cambium; ſicq; progrediendo durat continuatio cambiorum quouſq; ſequatur numeratio pecuniæ deſcriptæ in vltimis litteris recambij.

2 Cum verò hæc continuatio conſtet ex pluribus cambijs *con la ricorſa*, vtiq; contra eam omnia militant, quæ vrgent contra cambia ſimplicia *con la ricorſa*; & inſuper ei obſtat euidens illa demonſtratio deficientis pecuniæ numerandæ in nundinis, quam oſtendit patientia debitoris ſinentis deuaſtari ſuum patrimonium ab acerbiſſima continuatione cambij, vt ſupra in c. ab hoc ſecūdò n. 117. Aduerſus has continuationes cambiorum largiſſimè, & ſolidiſſime diſputat Iuſtinianus in tractatu de ipſis edito quæſt. 2, 3, & 4, quas etiam reprobant Duardus de cambijs §. 1. q. 28. nu. 10, & 11. Romualdus Coli cap. 14. prope finem, docendo, non poſſe ſuſtineri cambia ſub prætextu lucri ceſſantis vltra primas nundinas.

3 Eas verò approbat Scortia ſuper conſtit. Pontificijs Epitome 107. num. 289, eo motus fundamento, quod noua cambia ſint eiuſdem generis prorſus, cuius fuit primum, & conſequenter eo modo, quo primum valuit, cætera valere debent, non animaduertens, quod renouatio cābij præbet ſignum grande, quod debitor non habet, vnde ſoluat recambium, vel nolle ſoluere ipſum; & proinde, eſto quod primum cambium vitio careret; hoc tamen patitur illud vitiū, quod

omnia euertit cambia, quod ſcilicet campſor putans, non eſſe ſecuturam numerationem in nundinis ipſum iniuerit: hanc verò doctrinam cum ſuo vitio ſecutus eſt ad vnguem Diana tom. 1. tract. 8. reſol. 5: Cum verò Bernardus Iuſtin. ſuę Religionis Theologus (cuius meminit in cathalogo recentium authorum, in principio illius voluminis deſcripto) ex profeſſò has continuationes, vt dixi impugnauerit largiſſimè, ac ſolidiſſimè, equidem non video, cur eius non meminerit, cum agatur de quæſtione frequentiſſima, & pericoloſiſſima; quippe quæ apertè nutrit fœnus pluſquam improbum. A ſcriptoris negligentiſſimi nota, vt modeſtè ſcribam, quomodo liberari Diana poſſit, bone lector mecum cogita; interim enim ratio idonea mihi non occurrit eum excuſandi; parem adhibuit diligentiam Trullenchius tom. 2. ſuper Decalogo lib. 7. c. 22. dubio 5. nu. 5. in approbanda huiuſmodi Scortiæ doctrina.

4 Concordat cum noſtra ſententia, re ipſa, Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſput. 28. ſectione 9. nu. 121: dum enim requirit pro fundamẽto recambij, quod cambium à quo dependet, ſic fuerit contractum, vt *campſarius verè habuerit modum ſoluendi in loco deſtinato abſq; eo, quod acciperet debitum ad recambium ab eodem campſore. Si enim aliter non poterat ibi ſoluere, primum cambium fuiſſet ſiccum, cum nullas alias haberet pecunias actu, vel virtute in eo loco, quibus ſatisfaceret campſori*: vtiq; damnat recambia, quæ ſequntur in continuationibus cambiorum, cum dependeant ex cambijs contractis in ijs caſibus, in quibus campſor valde dubitabat, vt leuiſſime dicam, ne campſarius haberet in nundinis aliam rationem ſatisfaciendi cambio, niſi contracto ſecum vel cum ſuo reſponſali, aut inſtitore recambio, vt oſtendi ſupra in c. ab hoc ſecundo nu. 101. cum ſeq.: Cum hac autem ratiocinatione conueniunt ſcriptores, quos recenſet, & ſequitur Io: de Salas de cambijs dubio 15, Card. de Lugo ſect. 7. n. 79.: teneri ſcilicet campſorem deſiſtere à cõtractu cambij ſtatim, ac probabiliter dubitat, campſarium non habere in nundinis rationem ſatisfaciẽdi cambio ſuo tempore: hoc enim, dubio procul, accidit in continuationibus cambiorum, vt largè oſtendi loco mox allegato.

5 De primo modo continuationum cambiorum ſatis: priuſquã autem alios capiamus, ſciendum eſt, campſores conuenire ſolere, vt in caſu morę liceat accipere per cambia pecuniam ſibi debitam, Raphael autem diſput. 1. quæſt. 15. num. 13. ait, id optima fide exerceri, addendo, quod ſi quis hunc *ſtilum in dubium reuocaret, cum ſanè inter mercatores nullo pacto reuocetur, eſſet ſubuertere omnem praxim cambiorum*: & in q. 23. in principo dicit, nihil eſſe frequentius in negotiatione cãbiorum: quodq; approbari, dicit, *à Nauarro tit. de vſuris conſ. 32. in principio, & verſ. inter omnia, Michaele Salon de cambijs controuerſ. 12. nu. 1, Azor. p. 3. lib. 10. c. 8. verſ. hæc conditio, Cauatio in præl ud. quæſt. 3, Scaccia §. 1. q. 5. nu. 83.*

6 Verum Nauarrus agit de re diuerſa nimis; hoc eſt, an procurator, cui mandauit dominus, vt accipiat pecuniam ſub cambijs, poſſit proprias pecunias erogare in eam cauſam, contracto ſecum eo cambio, quod contraxiſſet cum campſore: ex doctrina verò Nauarri in conſ. anteced. nu. 4. impugnatur efficaciter huiuſmodi vſus campſorum: Salon autem agit de cambio, verè inito cum cambiente, licet ſolutio ſit facienda ex pecunijs campſoris, recenſendo quidem eius praxim, nõ tamen eam, ibi approbando; de huiuſmodi autẽ cambiendi modo nu. 5. ſic ſcribit, *Illum igitur ſatis periculoſum eſſe, & occaſionem maximam fœnerãdi afferre, neminem exiſtimo dubitare; abſolutè tamẽ, & omnino damnandum (ſicut aliquos video facere) non cenſeo, ſaltem ego non ita facilè auderem, maximè ſi non exerceatur cum paupere, aut viro à negotijs omnino alieno, ſed cum alijs negotiatoribus, & mercatoribus, & negotiantibus, qui licet non habeant pecuniam, vel creditum in loco illi cambio deſtinato, habẽt tamen in alijs locis, ad quæ poteſt illius ſolutio deinde commodè remitti*: ex qua doctrina euertitur vſus, de quo agimus, cum hæc pacta aduerſus eos vſitata ſint, qui non poſſunt ſatisfacere litteris recãbiorum: Azorius autem d. c. 8. verſ. hæc conditio non ſcribit quidquam ad hoc ſpectans: Cauatius verò loco allegato recenſet ſolum praxim cambij *con la ricorſa*, ipſum non approbando, vel reprobando: eum autem reprobare vſum cãbiendi, de quo agitur, liquet ex ijs, quæ ſcribit tit. de loco q. 2, tit. de pactis q. 1, verſ. declarãtur, & quæſt. penult.: Scaccia verò d. q. 5. nu. 83. agit de cambio *con la ricorſa*, cuius ſolutio iniungitur ipſi met campſori, non autem de facultate ineundi ſecum contractum cambij.

7 Primò autem loco ponendum eſt pro conſtanti, hoc pactum adijci illis cambijs, in quibus campſarius, & campſor putant, non eſſe ſecuturam ſolutionem cambij ſuo tempore, vt res ipſa oſtendit, & admonet Raphael diſput. 3. quæſt. 11. in principio; & proinde hoc pactũ adiectum eſt cãbio fœneratitio, iuxta receptiſſimam ſententiã, de qua ſupra in c. ab hoc ſecundo nu. 42. cũ ſeq.; & conſequenter fœneratitium eſt, quatenus ex eo poteſt campſor vtilitatem ſentire, cum ſuas vires exerceat eo caſu, quo campſarius non reſtituerit pecuniam tempore conuento; ſic etiam cenſet Bonaccina de contractibus diſput. 3. q. 4. puncto vnico nu. 14. verſ. ſextò ab aliquibus verſ. hæc tamen intelligendo, & in fine iunctis ijs, quæ ſcribit nu. 9. verſ. ex quo ſequitur, nu. 1. verſ. ſiccum non eſt, nu. 24. verſ. ratio eſt.

8 Antequam ad alia progrediamur, operæ preciũ erit, expendere clauſulas huius pacti iuxta modum vſitatum concepti, de quo Raph. diſput. 2. q. 24. nu. 47, vt prudentes, ac pij viri intelligant, qua ratione campſores ſuam exerceant artem; Prima clauſula eſt, *illamq; cambiandi, & recambiandi ſemel, & pluries pro qualibet platea, ſeu mundi parte*. Cum hoc pactum exercendum ſit, quatenus opus erit ad euitãdum damnum imminens, vel ad conſequendũ lucrũ, quod ſibi eripit mora debitoris, cur abſolutè conceditur facultas ineundi cambia *pro qualibet mundi parte*, cum maxima exiſtat differentia accipere pecunias, per cambium reſtituendas in hoc, vel illo loco? Secunda eſt clauſula, *etiam in ſe ipſo precio, & precijs apponendis*: repugnare eſſentiæ cambij, *cambiare in ſe ſteſſo*, euidentiſſimè oſtendi infra nu. 11. cum ſeqq.: Cambia autem initi, cum maiori damno, quod afferre poſſint, quando ineuntur

ſecun-

ſecundum precium legitimum, eſt notoriũ apud campſores; cur ergo hoc pactum fuit initum, cum paſſim accidat, cambia cõtrahi precio minori legitimo? ſed quid ago de precio legitimo, cum hæc clauſula reſpiciat precia appoſita in huiuſmodi cambijs, omiſſa conſideratione eorum preciorũ, quæ tunc temporis vſitata fuerunt? hoc verò quis patienter ferat? Tertia eſt clauſula. *Intereſſe, expenſis, & damnis dicti debitoris, de quibus ſtari debeat ſimplici dicto, & iuramento d. A. creditoris; quod dictum cum iuramento ex nunc acceptat pro probatione probata, contra quàm nullo vnquàm tempore venire promiſit, etiam ſi de iure poſſet.* Vbi de ijs agimus, quæ difficile probari poſſunt, bono viro conuenit, ſibi proſpicere per conuentionem; in ijs verò, quæ ſunt in ſua poteſtate, inire conuentiones abhorrentes à ſenſu communi, quis negauerit, eſſe valde ſuſpectum? huius autem generis eſt, conuenire vt ſtetur ſuo ſimplici dicto, cum ex eius voluntate pendeat, ſuo dicto addere iuramentum. Vbi non eſt facile habere paratas probationes rerum geſtarum, vſitatum eſt conuenire, vt ſuo ſtetur dicto: In ijs autem, quæ facillimam admittunt probationem, prout ſunt precia, & expenſæ cambiorum, hanc inire conuentionem, res valde ſuſpecta eſt: ſcriptum enim eſt, qui male agit odit lucem. Conuenire cum debitore, vt ſuo ſtetur iuramento, ne executionem ſui crediti retardent difficultates probationum, ferri poteſt: quod verò debitor non poſſit probare contrarium, etiam ſi res verſetur in ijs caſibus, in quibus leges permittunt debitoribus probare contra iuramentum eius, cuius dicto ſtare promiſerunt, quid aliud eſt, quàm conuenire, vt debitor ſibi det eam ſummam pecuniarum, quàm ſuo ſimplici dicto aſſeruerit, ſibi eum debere? hæc verò quis non dãnauerit velut abhominabile negotiandi genus? Et proinde abſurdum eſt, exiſtimare, ſimilia pacta adijci mutuis grãdis ſummæ pecuniarum, quæ ob beneuolentiam magnam fecerint campſores aliquibus perſonis: Vbi ergo interuenerint tales conuentiones, dicas, mutuum factum fuiſſe intuitu huius pacti; vt ſcilicet lapſo breui ſpacio, adiecto reſtitutioni pecuniæ, ſub prætextu cambiorum vſuras exigat; de quo vide ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 23. c. 26.

9 Habet hoc pactum duas partes. Prima eſt, vt in caſu moræ poſſit accipere per cambia pecunias ab alijs campſoribus. Secunda eſt, vt poſſit *cambiare, & recambiare in ſe ſteſſo*: Illos, qui iuſtos contractus ineunt, poſſe ſibi conſulere per modos legitimos aduerſus moram ſuorum debitorum, iuſtum eſt, & æquum: in caſu autem noſtro pactum inualidum eſſe, euincit regula l. non dubium C. de legibus, ea ſcilicet pro non ſcriptis haberi, quæ fuerunt conuenta pro confirmatione contractuum reprobatorum: cum itaq; pacta huiuſmodi adijciantur cambijs fœneratitijs, hoc eſt ijs, in quibus campſor putat, non eſſe ſecuturam pecuniæ numerationẽ in loco deſtinatæ ſolutionis, conſequens eſt, ea adiecta fuiſſe pro confirmatione cambiorum reprobatorum, & ideo nihil valent; ſic rectè cenſet Romualdus Coli de cambijs c. 14. in clauſula, la quarta violenza.

10 Æquitas etiam euidens fauet huic ſententię: nã hoc pactum multas continet conuentiones duriſſimas, vt oſtendi, & quia non ſeqnente, ſuo precisè tempore, ſolutione, ad nouum illico proceditur cambium cum maximo debitoris damno, vt per Scacciam §. 6. gloſa 1. nu. 88: Campſores cũ recedant in exigendis cambiorum creditis à cęterorum creditorum more, cura fœnore ſe ſe alienos profitentur, cũ accedant, omnino ad vſum fœneratorum non concedentium dilationem ad ſoluẽdum abſq; vſura? de quo Mercatus hęc ſcripſit de cambijs: *Vediamo nella mercanzia, che quando ſi da à credenza, commmunemente ſi laſciano paſſare più di 20. giorni. oltre al termine accordato, e ſe non ſono i Mercanti così preſto pagati, aſpettano, domandano, importunano, & poi all'vltimo fatto ogni debito, ſi viene all'eſſecutione; perche queſti carichi, riſchi, e pericoli vanno accompagnati con la mercatura: poiche negotiar con huomini, non è negotiar con Angioli, che non ſanno mentire, ne mancar di fede. Certo, che non ſaprei con modeſtia eſprimere, e però me lo taccio, con quanta audacia ſi piglino i cambiatori queſta licenza d'eſercitar l'arte loro contro ogni giuſtitia, & hauerla nondimeno per infallibile, & per ſicura, non hauendo eſſi molte volte, ne altra ragione, ne altra giuſtitia, che la neceſſità eſtrema di qualche meſchino, per la quale ſi trouano conſtretti à conſentire à tutto quello, che vogliono. Et ſi come hò detto, i mercanti patiſcono, & s'accommodano, quando non ſon pagati à tempo, non sò che habbino i cãbiatori più ragione di eſſi in riſcuotere; ne sò, l'arte loro douere eſſer più eſente da ogni moto, non eſſendo quei che cõ cui eſſi trattano, più idonei, più habili al guadagnare, che la mercanzia ordinaria; venuto il termine, non vogliono aſpettare quindici giorni, ne venti, perche tengono, che queſto non riſcuotere metta loro molto conto per conſeguire poi colà in Anuerſa, ò in Genõua, ò in Fiorenza, ò in Roma, doue il guadagno è maggiore. Mà tutto queſto modo di fare è corrotto, & bruttiſſimo, e fuor di ragione; riſoluendoſi però, ch' anchor'eſſi, come i loro compagni, cioè i mercanti deuono eſſer ſoggetti à queſta pena d'hauer' à riſcuotere con fatiça*: quod ſi hæc res ſuo libretur pondere; quæ ratio perſuadere poterit, cõcedendum eſſe campſoribus id, quod nulli permittitur iuſto creditori? vt nempe liceat ipſis, ob leuiſſimam moram debitoris, nouo inito cambio nouum ei inferre damnum graue, quod facile euitauiſſet, ſi ciuili modo ſecum fuiſſet actum, conceſſa ſibi non multorum dierum dilatione ad ſoluendum: Vt liceat campſoribus (quod ipſi velut abſolutum proponunt) in ſortem ſic cõuertere acceſſiones, vt queſtum faciant illico, ac deberi cæperunt, etiam ſi non fuerit exactæ, adeo durum eſt, vt præter fœneratores nullus prorſus id obſeruet inter Catholicos: Et proinde non video, cur faueamus conuentionibus adeo duris, executionẽ plerunque, magis rigidam ſortientibus, quàm alijs concedatur creditis priuatorum; nulla ergo cauſa eſt, cur prudentes viri velut validas eas ſuſcipiant aduerſus clara iuris principia, maximè cum non deſit ratio ipſis; res enim cum ſuis agitur reſponſalibus, ſic componendi negotium, vt videantur verè contraxiſſe illa cambia, quæ nundo nomine fuerunt inita: admonent enim nos iuris ratio, & conſtitutio Pij V, vt adimamus eas rationes, quæ valent operire fœnota ſub nomine

mine cambiorum: Quæ autem in propoſito pro campſoribus allegat Raphael diſp. 3. q. 11. nu. 53. cum ſeqq. ad eum ſpectant caſum, in quo alienus erat campſor ab ineundo huiuſmodi cambio, & ideo non pertinēt ad rem noſtram, in qua agimus de campſoribus deſiderantibus, quod plerunq; accidit, incidere in eos, qui longo tempore velint acceptas retinere pecunias, dum ipſi, aut eorum fideiuſſores ſint ſoluendo.

31 De altera parte nunc videamus, quod ſcilicet poſſit, ſi in mora ſoluendi fuerit, accipere tantūdem à ſemetipſo ſub cambijs, eaq; renouare toties, quoties opus fuerit, quouſq; plenè fuerit ſibi ſatisfactum; Maxima me caperet admiratio, quomodo potuerit ſuſcipere quiſpiam hoc pactum velut iuri conſonum, cum impoſſibile ſit ipſum exequi, & clariſſime aduerſetur receptiſſimis, circa cambia doctrinis, conſtitutioni Pij V, & duritiem introducat à ciuium moribus alieniſſimam, niſi ſcirem, diuitias campſorum, plurimorum animos ſic ipſis conciliare, vt nunquam eis defuturi ſint defenſores ſuarum cupiditatum, qualeſcunq; ſint. Sed ſingula noſtræ doctrinæ membra probemus: cambium ſecū mire quò ad pecunias, quæ pleno iure ad ſe ſpectant, ex eo impoſſibile redditur, quod cambia iuſta ſpectant ad contractum permutationis, vel emptionis venditionisq; ſupra expoſui in capite ab hoc ſecundo nu. 17. cum ſeqq. n. 27. cum ſeqq. à ſi retinemus receptiſſimam ſententiam docentē, eſſe permutationem ſtrictè ſumptam, manifeſtū eſt, cambium neminem poſſe inire ſuper pecunijs proprijs pleno iure, quia permutatio fuit inuenta, *vt vnuſquiſque ſecundum neceſſitatem temporum, ac rerum vtilibus inutilia permutaret: quoniam plerunq; euenit, vt quod alteri ſupereſt, alteri deſit* l. 1. de contrah. empt. Sin autem dixeris, quod nōnulli affirmarunt, cambia iuſta ſpectare ad emptionem, ac venditionem, tunc dicam cum Pomp. l. C *ſuæ rei emptio non valet, ſiue ſciens, ſiue ignorans emit. Sed ſi id ignorans emi, quod ſoluero repetere potero.* l. ſuæ rei 16 de contrah. empt. cum qua doctrina concordāt Paulus in l. ſi mandato 22. §. ſi hi qui ff. mandati, dum ait; *nam cum rem tuam emas, nulla emptio eſt in tua perſona rei tuæ* Papinianus in l. debitor 40. de pignor. actione, ait, *debitor à creditore pignus, quod dedit, fruſtra emit: cum res ſua nulla emptio ſit*: Iulianus in l. ſeruum 38. de condict. indebiti dicit, *ſeruum meum inſciens à te emi, pecuniarumq; tibi ſolui: eam me à te repetiturum, & eo nomine mihi conditionem eſſe omnimodo, puto; ſiue ſciens, meum eſſe, ſiue ignorantes*: idem exprimitur in l. 4. C. de contrah. empt in illis verbis, *Sed ex donatione, & traditione dominum factum te fruſtra emiſſe, cum rei propriæ emptio non poſſit conſiſtere*; conuenit l. ſi mater 10. eiuſdem tit. in illis verbis, *cum rei propriæ non conſiſtat emptio*: quæ iura ab ijs allegabuntur rectiſſimè, qui putant, cambium eſſe propriam permutationem, cum ab emptione, & venditione, propter viciuitatem, ducatur arg. ad permutationem l. 2. de rer. perm.

32 Quoniam verò defenſores cambiorum non dubitant, inductis formalitatibus abſtruſis, & fictionibus, (fauoralia ſcilicet ſunt hæc cambia) ea adminiculare, bene erit, eos admonere, cambia, de quibus agimus, cum proprium habere finem, vt acquiratur pecunia in loco, in quo contractus initur; & conſequenter hæc cambia hinc ſuam deducunt eſſentiam, iuxta com. doctrinam, actus morales ſpecificantur à ſuo fine, de qua ſupra lib. 3. c. 1. nu. 1. & ſeq.: ergo pecunia propria pleno iure creditoris, de quo agimus, non eſt materia capax huius cambij, cum id, quod pleno iure noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri non poſſit l. 3. §. ex pluribus ff. de acq. poſſ.: deficiente autem materia cambij, impoſſibile eſt, ipſum deducere in eſſe, adeas ſcripta ſupra lib. 23. c. 26. nu. 5. His rationibus victus Raphael diſp. 23. nu. 9. & 10. non obſcure coarctat hoc pactum ad facultatē accipiendi ab alijs pecunias ſub cambijs, pro qua reſtrictione pugnant ea, quæ ſcripſit in quæſt. 15. eiuſdem diſputat. nu. 15. cum ſeqq. ibi nu. 42. in fine quæſtionis clarè damnat huiuſmodi ſtylum *ſi fundaretur in eo, quod vnus, & idem ex vi mandati, & tanquam procurator præciſè, ſub duplici formalitate perſonarum, vellet ſubſtantiare contractū cambij, is ſtylus tanquam erroneus non poteſt, operando impoſſibile in iure, vllo modo ſuſtineri, ſed venit omni ratione damnandus: quin immo oſtendit, ea quæ huiuſmodi miniſterio expediuntur, fictitia omnino eſſe, & corruere*: præclarè omnino.

33 Hoc autem genus cambij aduerſari receptis regulis cambiorum realium, patebit, conſiderando regulam certiſſimam non poſſe ſcilicet dari verum cambium, niſi campſor putauerit, campſariū ſoluturū eſſe in nundinis cābium per modū realem; hoc enim in caſu creditor videt, debitorē non potuiſſe ſoluere cambiū in nundinis, nec recambium in loco deſtinatæ ſolutionis ipſius, ex per hoc ei opus eſſe, pecuniam debitam ex recambio, accipere à ſemetipſo ſub cambijs, ideo .n. confugit ad nouū cambium, quia non habet, vnde ſatisfaciat ei, qui ſuo nomine ſoluit cambium, vt per Raphaelem diſput. 3. q. 3. nu. 13. & 14. multoq; magis id cognoſcit, quo diutius perſeuerauerit in hac cambiorum renouatione: ex hac autem ratione euerti clariſſime omnes continuationes cambiorum, rectiſſime admonuit Iuſtinianus in tractatu ipſarum quæſt. 2. num. 2. Secundò obſtat regula, quod recambium requirit veram ſolutionem prioris cambij, vt omnes admittunt, & dixi in hoc capite num. 36: hoc autem deficere in hoc caſu liquet ex ſcriptis eo loci nu. 54. cum ſeqq. & hoc capite num. 28. cum ſeqq.

34 Pij autē V. conſtit. inanis redditur quò ad illam clauſulā: *Pecunia deniq; cū intereſſe repoſcitur, vbi contractus fuerat celebratus; nam inter dantes, atq; recipientes vſque à principio ita conuenerat, vel certè talis erat intentio, neque quiſquam eſt in nundinis, aut locis ſupradictis, qui huiuſmodi literis receptis ſolutionē faciat*: Cum enim Pius tacitam conuentionem pariter coerceri velit, ac expreſſam, vtiq; voluit, eam per coniecturas detegi: nullus autem eſt caſus adeo exploratus, prout eſt is, quem habemus præ manibus: Etiam ſi enim mille annis hæc cābiorum, & recambiorum renouatio duraret, attamen ſolutio pecuniæ alibi, quam in loco primi contractus repoſcitur: repoſcitur inquàm pecunia, vt ait Pius, quia in nundinis nunquàm poſcitur pecunia, ſed expectatur ea ſolutio, poſtquàm ſequitur recambium: Etiam ſi enim plurimis annis à ſe ipſo ſub cambio pecuniam acceperit,

rit, nunquàm tamen in nundinis fuit, qui eã ſolutionem faciat, de qua agit Pius, ideſt in pecunia numerata; quia ſemper recambia ſecuta fuerunt: facilitas autem reddendi manem hanc conſtitutionem, tanta oritur ex hoc pacto, vt re ipſa, non differat, literas non ſcribi, aut non mitti ad loca deſtinatæ ſolutionis, & eas virtute huius pacti ſcribi, & mitti ad campſoris reſponſalem, aut per inſtitorem deferri; imo grauius eſt debitori, eas ſcribi, & mitti, qui grauatur oncre ſoluendi eam mercedem, quàm appellant *la prouiſione*; & coaceruatur acceſſio cambij cum ſorte, vt per hoc recambium maioris ſummæ reddatur, quod deſenſores cambij dicũt fieri poſſe, quia primi cambij ſolutio perficitur, dum ſcripſit ille, ſe eſſe debitorẽ ſummę in litteris cambij ſcriptæ, quod non admittunt, ſi non ſequatur huiuſmodi ſolutio, iuxta l. vt nullo modo, 28. C. de vſuris: Ex quibus patet, Raphaelẽ diſp. 3. q. 11. nu. 33. verſ. prout nihil præcipitem actũ fuiſſe ab amore ſuſcepti patrocinij cambiorum vſuratorum, dum dixit, erroneum eſſe, trahere hanc conſtitutionẽ ad cambia ritè, & rectè multiplicata: quæcunque enim dixeris de virtute ſolutionis in nundinis ſecutæ, dum ille, ad quem ſpectat cura exigendi cambium, ſe ſcripſit debitorem eius ſummæ, nunquàm efficies, quin illud ipſum damnum, imo maius oriatur debitori per hæc cambia rite, & rectè multiplicata, quàm accidiſſet ei, ſi litteras non ſcripſiſſent cambij, aut non miſiſſent: Cætera huc ſpectantia habes in c. antecedenti largè: hæc autem ſunt illa recambia, quæ Pius 4. in ſua conſtitutione ſeuerè puniri iuſſit; quid enim aliud exprimunt illa verba, *pecunias, vt præmittitur, acceptas eiſdem Mercatoribus tempore conuento reddere nequeuntes, maxima cum illorum iactura, ad eorum mercatorum importunitatem pluries, vt aiunt, recambiare coacti*, prætet eam renouationem cambiorum, quam hoc pactum introducit? neque enim eſt, quod dicas, agi in ea conſtitutione de his, qui nõ mittebant litteras cambij ad nundinas, quia Sum. Pontifex hoc eis vitium non aſcribit, & ipſis expedit, vt expoſui, eas ad nundinas mittere, vt ineatur recãbium: imò grauius eſt hoc pactum, quia eo ceſſante, noua cambia, quæ recambia appellat Pius, ab ipſiſmet debitoribus contrahenda ob omiſſã ſolutionem recambij, non perficiuntur ea facilitate, qua id accidit in ijs cambijs, quæ campſor, virtute pacti, ſecum ipſe init: Concludo itaq; clariorem eſſe luce meridiana labem vſurariam exiſtentem in his cambijs, quæ campſores ſecum ipſi ineunt virtute horum pactorum: Quando autem pactum huiuſmodi adiectum mutuo cenſeatur factum in fraudem vſurarum, expoſui ſupra lib. 23. cap. 26.

15 His proximum eſt, examinare continuationẽ cambiorum iuxta caſum, quem decidendum propoſuit Sereniſs. Reſp. Genuenſis Sanctiſs. D. N. Vrbano Octauo, relato à Raphaele diſputat. 3. quæſt. 1. nu. 34: *Diego reſidente in Madrid da ſue lettere di cambio dirette ad Emilio di Maſſa Fera d'Agoſto di ſcuti 10000. di Marche, ordina, che glieli paghi, & pigli à cambio à ſuo danno per Lione, ò altra piazza, & che da eſſi ſi faccia di nuouo trarre il debito in Fiera de' Santi ſeguente. Il qual Diego, prouederà l'eſtintione del capitale, ſpeſe, & intereſſe. Emilio in Fera paga li ſcuti 10000., & nel ſuo libro ne fà debitore Diego con più ſcudi 33. per la prouiſione. E trouandoſi eſſo Emilio con auanzo non piglia altramente à cambio da terze perſone, mà ſeruendoſi del ſuo proprio, fà tratta in Roma à Romulo di ſcuti 10033. aſſegnando à ſe ſteſſo la rimeſſa, e ſcriue gl'ordini ſeguenti.*

16 Antequàm ad vlteriora progrediamur, notandum eſt, hic non tractari de cambio inito inter Didacum, & Æmilium, ſed de reſtitutione eius pecuniæ facienda à Didaco, quam eius mandato Aemilius ſoluit in nundinis: nam nullus contractus cambij inter eos initus fuit, ſed ſolum interuenit mandatum de ſoluendis ſcutis 10000.; *gli fece vna tratta di 10000. ſcuti*: ne ergo hoc alleges aduerſus ea, quæ ſcripſi num. 11. Fundamentum ergo huius caſus conſiſtit in ſolutione verè facta in nundinis.

17 Secundò conſidera, poteſtatem datam Aemilio accipiendi pecunias ſub cambijs pro Lugduno, aut alia Ciuitate, vt ex ipſis ſibi ſatisfaceret, non habuiſſe effectum, cum Æmilius aliam rationem ſatisfaciendi ſibi, vtilitate ſua ſic ſuadente, elegiſſet, ideoq; omiſſa cõſideratione cambij, quod Didacus mandauit iniri, ponderandum eſt id, quod fecit Æmilius: is autem *Fece vna tratta à Romulo di ſcuti 10033. aſſegnando à ſe ſteſſo la rimeſſa cõ far debitore Diego di Madrid ſopra di me*: Cum enim Romulus ſoluiſſet ſibi dictam ſummã virtute literarũ Æmilij, Patres congregationis dixerunt, inſpiciendum eſſe, *an Romæ fiat ſolutio ex legitimo mandato Didaci ab habentibus, vnde ſoluant ex proprijs, aut alienis pecunijs, quæ non ſint creditoris, cui ſit ſolutio*. Et iure merito ſic cenſuerũt, quoniam ſecuta ſolutione ex pecunijs proprijs creditoris, non fuit vera ſolutio, vt in c. antecedenti nu. 40. cum ſeqq.; & conſequenter non potuit Romulus ſcribere debitorem Didacum huiuſmodi ſummæ, quo ſublato, corruunt omnia cambia, quæ deinceps inita fuerunt pro ſolutione debiti contracti Romæ à Didaco cum Romulo; imaginarium enim debitũ erat, ſi ſolutio eius nomine facta, non fuit vera ſolutio, quia non extinxit debitum contractum Maſſæ cum Aemilio; Ideo autem PP. Congregationis mentionem fecerunt de legitimo mandato Didaci quò ad Romulum, quia Aemilius mutauit modum ſibi præſcriptum à Didaco, de quo dubitari poterat, an per hoc Aemilius limites mandati fuiſſet transgreſſus, quod determinari non poterat ex narratione facti; & proinde fuit neceſſe id exprimere conditionaliter: eadem ex cauſa non declarauerunt PP. an eſſet vera ſolutio ea, quę Romę ſecuta fuit, quia ex narratione facti non poterat colligi, an per eam liberatus fuiſſet Didacus: hoc eſt, ex cuius pecunijs facta fuiſſet. E contra autem vera exiſtente ſolutione facta Romæ, & iuxta mandatum Didaci, continuatio cambiorum erat iuſtiſſima, cum Didacus mandauiſſet Aemilio, vt ſuo periculo acciperet eas pecunias ſub cambijs, quæ erant neceſſariæ, vt ſuam recuperaret pecuniã:

18 Raphael num. 35, cum non ſatisfeciſſet eius menti hæc reſponſio, ſic de ea ſcripſit: *tot modificationibus, ſeu conditionibus inuolui, in quibus conſiſtit potiſſima difficultatis pars, de qua in quæſtione, vt for-*

Digitized by Google

vt fortè videri poſſit alicui, eſſe idem cum eadem quæſtione, vel certè eam non enucleare: In quo autem conſiſtant hæ obſcuritates, Raphael ſic exprimit: *dum in reſponſo dicitur affirmatiuè ſub illa conditione, ſi Romæ, & Maſſæ vera fiat ſolutio, hoc ipſum eſt, de quo quæritur, an ſcilicet modis expreſſis in caſu, dicatur verè locis in illis facta ſolutio.* Verum conſiderare debebat illa verba. *Diego reſidente in Madrid dà ſue lettere di cambio dirette ad Emilio in Maſſa Fera d'Agoſto ſcudi* 10000. *di Marche, che gli paghi, & li pigli à cambio à ſuo danno*, nō explicare, an ſibimet ſoluendi eſſent, an alijs; meritò itaq; PP. Congregationis putauerunt expedire, declarare ſenſum ſuum, cum verſemur in ea materia, in qua aucupes probabilium opinionum vires ingenij, ne dicam cauillationum anxiè exercent. Illa etiam verba, *mà ſeruendoſi del ſuo proprio fà tratta à Roma in Romulo*: dubitandi occaſionem tribuunt, an ſibi deberet Didacus illam ſummam ſub ea perſona, ſecundum quam habebat credita Romæ; dubitari inquàm poterat à callidis cambiorum defenſoribus, & proinde PP. Congregationis prudentiſſimè omiſerunt ſpecialiter id determinare, ſed propoſuerunt regulam generalem, quæ applicata huic caſui, & cæteris, clariſſimè determinabat, an eſſet vera ſolutio: Inſpiciendum ſcilicet eſſe, an facta eſſet ex pecunijs creditoris, vel alterius, vt in primo caſu non ſit vera ſolutio, in ſecundo verò ſit ſolutio realis: Hinc enim patet manifeſte decisa dubitatio, an ſolutio facta per ſcripturam ſit vera ſolutio; Cum enim ſuccedat in locum numerationis pecuniæ, hæc ſolutio eſt talis æſtimanda, qualē eam æſtimaremus, ſi numerauiſſet pecuniam: Si ergo illa ſolutio facta fuerit virtute *del credito della rimeſſa*, idem eſt, ac ſi facta fuiſſet ex pecunia propria creditoris, & per hoc non eſt cenſenda vera ſolutio: Sic pariter dicimus de ſolutione ſecuta Maſſæ, vt ſcilicet inſpiciatur, an Æmilius tanquàm dominus *della rimeſſa*, ſcripſerit ſe ſibi ſoluiſſe pecuniam in literis cambij deſcriptam, vel mandato alterius, cuius obligatio ſuccederet in locum obligationis Didaci. Vt in primo caſu ſit ſolutio ſimulata eo modo, quo eſſet, ſi ex proprijs pecunijs ſolutionem perfeciſſet; In ſecundo autem caſu eſſe veram ſolutionem, eo modo, quo accideret, ſi ex pecunia alterius, mandato domini ſibi ſoluiſſet cambium.

19 Reſponſio ergo eſt clariſſima, vt immerito velut obſcura redarguatur, cum cuiq; facillimum ſit, ſuo modo declarando facti ſpeciem, ſolutionis ſecutæ Romæ, & deinde Maſſæ virtute epiſtolæ Romuli, applicare ipſi reſponſum Congregationis: Dum verò Raphael ait. *Demum, omiſſis alijs, illa verba ſecundum eandem rationem bāchariam permanentem, dubiæ adeo, & incertæ erant ſignificationis, vt in re tanti ponderis, maiori apud nos egerent declaratione*, callidè ſe ſe gerit; primò dum ait *omiſſis alijs*, quæ alia quæſo ſunt in hoc reſponſo dubia? Secundò dum allegata verba proponit velut nimis dubia, etiam ſi nihil habuerit, quod poſſet circa ea reuocare in dubium; vel pueri enim ſciunt Genuæ, eos, qui campſoriā artem exercent in ſocietate aliqua, pecunias habere ſolere ſeparatas à ſocietate, quas nomine proprio ſic exercent, vt nihil habeant commune cum ſocietate; & conſequenter clarū eſt, nihil eſſe impedimento, quominus vnus ex ipſis ſic ſoluat debitum ſocietatis, vt eam obligatam habeat, ac ſi eſſet extraneus: & proinde nullus eſt negotiator Genuæ, qui non intelligat, ſenſum huiuſmodi verborum hunc eſſe, vt cambium ſoluendum alicui ſocietati non dicatur ſolutum ex proprijs creditoris pecunijs ex eo ſolo, quod vnus ex ſocijs ipſum ſoluerit, ſed opus eſſe, vt ſolutio ſequatur ex pecunijs, ad eum ſpectantibus, ſecundum eandem rationem bancharium permanentem: ea enim diſſoluta, partibusq; aſſignatis ſocijs, aliud eſſet dicēdum, quia aſſignatio huiuſmodi facit proprium ſociorū id, quod erat ſocietatis. Optima autem eſt reſponſio Patrum, & cū iuris ratione clarè conueniens, vt oſtendi in cap. antecedenti num. 56, & 57; admittendo autem pro vera ſolutionem, quæ fit ex pecunijs creditoris cambij ſub conſideratione eius perſonæ, ſub qua eſt creditor ipſius, liberè poterunt exercere vſuras ſub nomine cambiorū continuatorum; ſic enim hanc rem componunt; curant vt ad ſe mittatur in nundinis *vna tratta* eius ſummæ, quæ aſcendat ad ſummam ſui crediti, quæ ad ſe ſpectet, non ſolum cura, & ſollicitudine, ſed etiam quò ad vtilitatem: vt verò ſatisfaciant literis cambij, accipiunt à ſemetipſis per cambia pecuniā neceſſariā pro ſolutione huiuſmodi literarum, deinde ſcribunt literas cambij debitori, vt huiuſmodi ſummam ſoluant ſuo reſponſali, aut inſtitori, & eo non ſoluente, accipiāt à ſemetipſis ſummam neceſſariam pro ſolutione huiuſmodi literarum; ſicq; progrediēdo res procedit quò vſque miſeros debitores fœnus, pluſquàm improbum deuorauerit; quò enim longius ſe extendit debitorum mora, eò ditiores fiunt campſores; ſi negamus, ſic fœnus exerceri, quando fatebimur id contingere? Res hæc eſt execranda, & abhominabilis auribus pijs, nam ſimbolum proprium eſt fœnerarorum, deſiderare, vt ſui debitores diu perſeuerent in mora ſoluendi debita, vt cum Scoto docent DD. com. quos recenſui ſupra lib. 9. c. 13, n. 35: Si nullum licet inuenire apud Catholicos caſū, in quo plus, per ſe, conſequatur creditor ex mora debitoris, quàm aſſequeretur ex ſolutione debiti, quo colore id concedemus campſoribus? affirmabuntne cāpſores, ſibi eſſe ſingulis nundinis paratas perſonas idoneas fide, & facultatibus, quæ accepturæ ſint per cambia ſimilia eas pecunias, quas retinet moroſus debitor? non vtique, quia notorium eſt, cambia illa grauiori modo iniri, quæ eo tempore contrahuntur, quod longius diſtat nundinis, & quæ ineuntur iuxta precium in nundinis determinatum, prout in hoc caſu accidit. Exacuant ſuas quantum velint formalitates callidi defenſores cambiorum, nūquàm tamen reperient, vnde poſſint probabiliter ſatisfacere huic fundamento,

20 Cum verò campſores palam, ac paſſim ineant pacta de accipiendis debitis ſibi pecunijs ſub cābijs, vtq; aiunt, valeant *cambiare, & recambiare* vſque ad integram debiti ſolutionem, & latentia conuentionis huiuſmodi vitia Aduocati debitorum non detegerent, nemini mirum videri debet, Tribunalia magna largius, quàm par eſſet, in ipſis fuiſſe verſata: Ea autem ſecuta fuiſſe

ipſum

vſum campſorum ineundi hæc pacta, magis quàm fundamentũ eius inueſtigauiſſe, inde liquet, quòd nec ipſum perquiſiuerunt quidem; quam autem ſubtiliter campſores ſuam mentem hac in re velauerint vt oſtendam, recenſebo in primis dicta acutiſſimi ſcriptoris Michaelis Salon de cambijs quæſt. 4. artic. 2. controu. 14. nu. 10. ſolidiſſime loquentis, *in primis, quam iniqua ſit, & damnoſa campſorum conſuetudo, qui diuitibus, & magnatibus, quos probe norunt, nullam pecuniam, vel creditum habere, ſuas conferunt pecunias ea lege, vt quandiu illas non reſtituerint, liceat ipſis, literas, quas ab ipſis accipiunt, cambire, ac recambire, vt non ſolum primum cambium, quod verè ſiccum fictumq; eſt, exercere non dubitant, verum etiam in multa tempora, illud producere, nouasq; ſemper illi iniquitates, & vſuras adijcere non horreant, litteris illis, quas inutiles eſſe, & inanes certò ſciunt, veluti quodam circulo euntibus, ac redeuntibus*; cum quo concordant Iuſtin. de continuat. cambiorum q. 4. nu. 9, Romualdus Coli de cambijs c. 14. verſ. la quarta violenza. Campſorem per cambia accipere debitã ſibi pecuniã ſub prætextu lucri ceſſantis, non allegabunt vtiq;, quia id tantum petunt à ſuo debitore, quod ipſi ſoluerunt ijs campſoribus, quorum pecuniã acceperunt: ad damnum itaq; emergens vt confugere poſſint hac vtuntur cautione; improbiſſima enim fœnora, quæ hac ratione extorquere ſtudent praui campſores, adeo execrabilia ſunt, vt valde vereantur, ne poſſint integrè ea conſequi, niſi vtantur prætextu damni emergentis: hoc eſt, ſeſe, re ipſa, ex ſuo ſoluiſſe eas vſuras, quas repetunt à ſuis debitoribus: vt autem agnoſcas, id nullo modo eos feciſſe, nota principium, & progreſſum huius negotiationis, ſicq; intelliges, non pecunias, ſed nuda verba interueniſſe, non quidem ex mea ſententia, ſed Raphaelis, qui pluſquàm optimus eſt vſuum huius artis explanator ob continuam cõſuetudinem, quam habuit tot annis habetq; in ſua patria, cambiorum magiſtra, & arce in Italia, cum celeberrimis huius artis profeſſoribus. Simulatam eſſe *la rimeſſa*, inde intelligitur, quod pecunia nulla numerata fuit pro ea obtinenda, & ſolutio ab ipſomet creditore ſic facienda eſt, vt per eam non acquirat aliquid, quod non àntea habebat: Dicam clarius, is qui mittit vna *rimeſſa* ad aliquem, id facit, quia pecuniam accepit in loco ſcriptatum eius literarum, aut quia per eam vult ſoluere proprium, vel alienum debitum: Pecunia autem non ſoluitur ſemper, cum non rarò habeant fidem ſibi inuicẽ de ea: in hoc autem caſu nunquàm ſequitur numeratio; ſed ſolum enunciatur perſona, cui habuit fidem de pecunia huiuſmodi: hæc autẽ perſona eſt illamet, re ipſa, quæ eam exigere debet à ſemetipſo, vel inſtitor ſuo ſub formalitate inſtitoris: Nihil autem per hoc acquirit is, qui miſit *la rimeſſa*, cum ſic res geratur in loco deſtinatæ ſolutionis, ne ipſe obligetur per ſolutionem huiuſmodi: Exactorem autem ipſius nihil acquirere maniſeſtum eſt, quia ſolutio, quàm ſibi ipſemet facit, nõ affert ei vtilitatem actu, quia nullã continet numerationem pecuniæ, & ſi contineret idem accideret, quia eſſet numeratio pecuniæ ad ipſum pleno iure ſpectantis: Potentia autem non eſt ei vtilis, quia neminem ſibi obligat ad dãdum aliquid ob eam ſolutionem, quàm ſibi ipſi facit: Hæc eſt mera veritas huius negotiationis, quæ apertum figmẽtum eſt; & hoc eſt id, quod reſpexerunt Patres Congregationis, dum requirunt pro fundamento continuationis cambiorum, vt ſic ſatisfiat *alla rimeſſa*, ex cuius ſolutione cætera cambia pendent, vt non ſoluatur ex pecunijs ad creditorem ſpectantibus ſub conſideratione eius perſonæ, ſub qua exigit *la rimeſſa*: Et hæc eſt ratio, cur Raphael ea impatientia tulerit reſponſum præſtantiſſimorum huiuſmodi Patrum, quam oſtendi nu. 18. cum ſeqq.; quia animaduertebat, per hoc deſtrui frequẽtiſſimas quidẽ, verum execrandas cãbiorũ continuationes.

22 Sed propius ad rem accedamus, quæro à campſore, qui retinet ſub cambijs pecuniam ſibi debitam virtute pacti: habes ne pecunias proprias, quam alijs ſub cambijs numeras? ipſe autem reſpondebit, non eſſe de hoc quærendum; à foro enim recedere me oporteret, *ſe il credito non foſſe eguale al debito*: Cur ergo, ego replicabo, ex pecunia, quàm alijs ſub cambijs concedis, non capis eam ſummã, quæ neceſſaria eſt ad extinguendum debitum ex cauſa cambiorum initorum intuitu pecuniæ tibi debitæ? ſi dixerit, id ſibi dãnoſum eſſe, quia non poſſet ſe in eodem nomen conſeruare, illico refelletur, quia poterit, vt affirmant defenſores horum cambiorum, conſequi à ſuo debitore eam vtilitatem, quã, re vera, percæpiſſet in exercendis ſummis, quas è ſua detraxit negotiatione ob eius morã, cum culpa ipſius eam amiſerit: Si dixerit, ſibi opus eſſe, ſuam pecuniam retinere in negotiatione, ab eo quęras, an id dicat, quia aliàs non poſſet conſeruare *il credito*; reſpondebit enim ſubiratus, abſit verbo omen; neq; enim res adeo bene ſe ſe habent, vt nihil detrimẽti patiantur, etiam ſi demantur huiuſmodi pecunia ex negotiatione: Cur ergo ego replicabo, nõ es contentus, conſequi lucrũ ceſſans tibi debitũ ob morã debitoris? latet mi homo anguis in herba; quia nempe plus conſecuturus ea hac ratione, quàm obtineres per lucri ceſſantis prætextum; vel quia clarum ſit, prout ſæpiſſimè accidit, defuiſſe multis cãpſoribus occaſiones ſecuras exercendi ſuas pecunias in cambijs (tunc enim opus erit oſtendere, quod paratæ tibi fuerint eæ cambiendi occaſiones, quæ multis defuerunt campſoribus) vel ex alia cauſa.

23 Hinc autem defenſores cambiorum intelligẽt, non eſſe locum intereſſe damni emergẽtis, ſi modo nolint, prout in multis fecerunt, nouas excogitare regulas iuris pro campſoribus, fauore ſcilicet magno digni ſunt: nam noſtri Doctores paſſim ſcribunt, damni emergentis allegationem eis ſolis ſuffragari, qui non potuerunt ex ſuo patrimonio occurrere dãno ſibi imminenti propter moram ſuorum debitorum, niſi alienã pecuniam quærerent, vt benè explicat *Baldus videndus in l. etiam nu. 5. C. de execut. rei indic. com. receptus, vt liquet ex ijs, quæ ſcribunt Io. Lupus in rep. c. per veſtras in 6. not. §. 6. nu. 1. verſ. & quamuis ille non dicat, Surdus de alim. tit. 1. quæſt. 45. nu. 33. cum ſeqq. Lupus de vſuris com. 1. §. 6. nu. 116, & alij, quos refert Gratianus cap. 829, vbi largè & ſolidè hanc doctrinam confirmat: concordant alij, quos recenſent, & ſequuntur Hippol. Rimin. conſ. 52. nu. 32,*

conſ. 304. num. 6, Gaſpar Rodericus de annuis red. lib. 3. quæſt. 5. nu. 21, Gratianus c. 987. num. 8. & ſeqq. nu. 13, & 17, Rota apud Coccinum deciſ. 498. nu. 3, & deciſ. 325. nu. 5 poſt ſecundum volumen cõſil. Farinacij, Trullenchius ſuper decalogo lib. 7. c. 19. Et in ſpecie noſtra, quod non ſufficiat campſori oſtendere, ſe accepiſſe pecuniam ſub cambijs, vt dicatur probatum damnum emergens; quia campſores ſolent accipere pecunias ſub cambijs lucri cauſa, vt alijs cum maiori lucro eas dent decidit Rota *apud Moedanum deciſ. 2. tit. de vſuris, quam deciſionem ſæpe confirmauit eadem Rota, vt liquet ex deciſione relata à Marcheſano tom. 1. praxis ſignaturæ fol. 847. num. 2, ex Seraph. deciſ. 946. nu. 47, & ſeq. idem docent* Honded. *conſ. 50. nu. 30. verſ. quæ procederet lib. 1, Bardellonus conſ. 86. n. 3. verſ. præterea, & nu. 4, Io: Botta conſ. 57. nu. 17, et 21; Maſcardus concluſ. 472. nu. 8. & ſeq.*

24 Hæc probatio in campſore eſt neceſſaria non tam ex allegata cauſa, ſed etiam, ne via aperiatur fraudibus, quam rationem conſiderauit Baldus loco allegato: reſtrinxit id autem eius additio ad publicos fœneratores, quod non eſt recipiendũ, quia fures, qui non ſunt, occaſione fiunt, qua de cauſa DD. allegati indiſtinctè acceperunt doctrinam Baldi: Puto tamen doctrinam huius additionis eſſe obſeruandam, ſi appareat, creditorem diligentiſſimum fuiſſe in conſequendo eo, quod ſibi debebatur; hoc enim remoto, niſi iuſtiſſimam cauſam allegauerit, res non caret ſuſpicione fraudis, aut malę mentis erga debitorem, vt eum damnificaret: Cum verò creditori facillimum ſit, indicare eam neceſſitatem, quæ eum induxit ad capiendas pecunias ſub vſuris, cur id omittit probare, cum plerumq; id facile ſit? ab hac ergo ſententia non eſt recedendum: Sed ad noſtros reuertamur campſores; ſi adeo rebus ſuis nocebat mora debitoris, vt cogeretur accipere ſub cambijs pecunias, quas aliàs non eſſet accepturus, cur omiſit vocare in ius debitorem, cum adeo paratam habeant cambia executionem? Si ei diſplicebat valde, perſeuerare in huiuſmodi cambijs, cur non fuit vſus ea pecunia, quàm, vt aſſerit, alijs ſub cambijs concedebat? res eſt aliena ab omni veriſimilitudine, & proinde maximam continet ſuſpicionem; non poſſumus ergo recedere à doctrina Baldi requirentis probationem neceſſitatis accipiendi pecunias illas ſub cambijs, niſi volebat pati magnũ in ſuis rebus detrimentum, quod impoſſibile eſt probare in campſore profitente, de more, ſe abũdare pecunia, quæ ſit numerata, aut breui ſit ſibi numeranda: Cum enim agatur de renouatione cambiorum ſingulis nundinis ſecuta, non eſt ſatis, id probare reſpectu aliquarum nundinarum, ſed opus erit, id probare quò ad omnes, cum ars campſoria tribuat facultatem paratam habendi pecuniam numeratam *ne' ritorni di fiera*: optimè Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. nu. 248. hanc rem his decidit aureis verbis: *debet probare, quod ex illis pecunijs cambijs acceptis, ſoluat aliquod debitum, & quod non poterat illud aliter ſoluere: nam poßet eße, quod creditor acciperet cambio, vt debitorem ſuum ſibi obliget ad maius lucrum per viã intereſſe damni emergentis, quod eſt vndiq; multiplicabile per ea. quæ retuli infra §. 7. gloſſa 2. nu. 69. imo poßet eſſe, quod pecuniæ, quas creditor ſub interuſurijs accipit, eſſent ipſiuſmet creditoris, & faceret apparere, quod eſſent alterius, qui eßet confidens amicus: ideoq; ad obuiandum his fraudibus, quæ cõmitti poſſunt, requiritur probatio concludentiſſima, quod neceßitate vrgente, & propter dãnum emergens acceperit cambio, & non vt negotiaretur ad lucrandum*: Hanc autem colluſionem reddere videtur manifeſtam pactum coarctans damnum ex nouis cambijs oriturum ad certam ſummam: Si enim verè cogitaret de acquirendo tantundem per cambia vera, vtiq; non poſſet ſe coarctare ad certam ſummã, quia ignorat quò ſint peruenturæ acceſſiones cambiorum, quæ oportebit eum hac de cauſa cõtrahere: Cum autem plerũq; ſoleat adijci hoc pactum, vt teſtatur Raphael diſput. 3. quæſt. 11. nu. 78, merito dicemus, nobis ſuſpicandum eſſe valde, ne fraudes plerunq; contineant hæ cambiorum continuationes, quod ſcilicet, plerunq; cambia contrahantur ex pecunijs creditoris, vt explicat Raphael nu. 81, & 82.

25 Vt verò melius appareat, quàm graue ſit hoc pactum accipiendi pecunias cãbij in caſu moræ, tenorem eius expendamus, quem recenſet Raphael diſput. 3. quæſt. 1. n. 9. quod antequàm faciam, occurrendum eſt illis, qui dicturi ſunt, allegatas doctrinas procedere in creditore, qui ex iuris communis cenſura deducit ius poſtulandi dãnum emergens, cum tamen nos verſemur in eo caſu, in quo ſpeciale adeſt pactum; quia pacta circa intereſſe lucri ceſſantis, vel damni emergentis eatenus apud Catholicos recipiuntur, quatenus id ſolum continent, quod ſecundum iuris cẽſuram debetur occaſione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vt poſt alios tradũt Doctores mox allegandi, & iure merito, quia hæc pacta nõ cõtinent aliquid augens ſubſtantiam rei, ſed executionem iuris ipſimet tribuunt creditori, vt nempe propria authoritate poſſit ſe liberare ab eo dãno, quod ſentit ob moram debitoris, ei occurrendo per eas pecunias, quas ſub cambijs acceperit: & conſequenter hoc pactum non immutat ſubſtantiam rei, requirentis vt appareat, ob morã damnum ſecututum fuiſſe, niſi pecunias ſub cambijs accepiſſet creditor; in terminiſq; pacti huiuſmodi, Baldus ſuam doctrinam propoſuit, quàm ſimpliciter Doctores allegati probauerũt; quod verò pactum circa intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis non inducat obligationem ſoluendi id, quod intereſt vltra limites iuris, docẽt DD. apud *Farinac. conſ. 15. nu. 14. cum ſeqq. nu. 23, nu. 30. cũ ſeqq. Rotam poſt 2. vol. conſ. eiuſdem Farinac. deciſ. 331. nu. 4. cum ſeqq. Surdum conſ. 327. nu. 54. et 55, conſ. 485. n. 6, et apud alios paſſim: Cardinalis de Lugo diſput. 25. ſect. 5. nu. 72, vbi teſtatur ſic ſentire Theologos: in ſpecie autem noſtra id docent Borgnin. deciſ. 2. nu. 31. & 32. par. 2, vbi recenſet res iudicatas ſecundum hanc doctrinam, Rota deciſ. 52. nu. 5. par. 1. recent. Io. Botta conſ. 57. num. 2. iuncto nu. 3. cum ſeq.*

25 Vt autem debitor moroſus teneatur ad recambia, neceſſe eſt primò, quod præmittatur proteſtatio facienda debitori, quod creditor indiget ſuis pecunijs, & quod eas acquiſiturus eſt per cãbium in damnum ipſius, niſi eas ſibi numerauerit; Secundò, quod acceptis pecunijs per cambium id debitori notificetur, Tertium, quod ap-

parcat,

pareat, pecunias verè ſub cambijs acceptas fuiſſe à creditore, quæ requiſita firmauit *Rota in Romana Pecuniaria de Zamberijs 7. Aprilis 1581. coram Cantucio, in Romana Vineæ de Brunis 2. Decembris 1591. coram Orano, in Romana cambiorum de Grandis 11. Maij 1592. coram Card. Millino, in Romana pecuniaria 15. Decembris 1599. coram Litta, vt refert, & comprobat eadem Rota par. 4. nouiſſimar. deciſio. 775. n. 1. & deciſ. 52. p. 1. recent.*: *quam doctrinam approbant Gratian. c. 851. à nu. 12. Cyriacus controu. 252. nu. 60. cum ſequentib. Gratianus rurſus c. 987. nu. 9. verſ. præſertim nu. 10, & 11, vbi aliam adducit deciſionem apud Zacchiam de ſociet. officiorum deciſ. 7. nu. 6, Martha in Digeſtis nouiſſimis tom. 3. tit. de intereſſe c. 7, Larea deciſ. Granatenſi 84. num. 16. par. 2.* quæ requiſita ſi non ponunt, iuſtificari, & ex hoc capite non poteſt eſſe locus recambijs.

26 Cum verò Sigiſmũdus Scaccia de commertijs, & cãbio §. 1. quæſt. 7. par. 2. ampliat. 8. nu. 254. cum pluribus ſequentib. veritatem horum requiſitorum in dubium reuocauerit; propterea neceſſarium eſſe putaui, eorum veritatem claram reddere & apertam; quod vt facere poſſim, cõſidero id, quod decidit Iuſtinianus in l. vnica C. de ſent. quæ pro quod intereſt proferuntur circa modum probandi damnum emergens in illis verbis. *In alijs autem caſibus, qui incerti eſſe videtur. Iudices, qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt, per ſuam ſubtilitatẽ requirere, vt quod re vera inducitur damnum, hoc reddatur*: Cum pro regula traditum ſit, vt Iudex ea ſolum reſpiciat, quæ ex geſtorum fide vera eſſe compererit l. illicitas §. veritas ff. de offic. Præſid. quid cauſæ fuit, vt in reſtitutione damni dati, quæ euidentiſſimæ innititur ęquitati, Iuſtinianus ſpecialiter admonuerit Iudices, vt ſubtiliter rem perpendant, & illud damnum ſolum reſarciri iubeant, quod re vera illatum fuiſſe apparuerit? nulla certè cauſa idonea afferri poteſt; quam quia hæc res impoſturis, & fraudibus expoſita eſt, & ideo ſæpe accidit; vt creditores adeò coloratas allegationes afferant, vt facile Iudices decipiant, niſi ſubtiliratione veritatem inquiſiuerint, acutè diſtinguendo veriſimile ab ipſa veritate; & hoc eſt id, quod ſignificant ſequentia verba Imperatoris. *Et non quibuſdam machinationibus, & immodicis perſuaſionibus in circuitus inextricabiles redigantur*. Machinatio enim ſignificat aſtutiã, per quã callidè rei veritatẽ tegunt, vnde Cic. 2. de oratore dixit, *qui tanquam machinatione aliqua, tum ad ſeueritatem, tum ad remiſſionem animi, tum ad triſtitiam, tum ad lætitiam eſt contorquendus*: quo ſenſu machinatio in iure noſtro accipitur, *vt in l. 1. §. 1. in principio, & ad finẽ ff. de dolo in l. ſi quis cũ alite in principio, & ad finẽ ff. de verb. oblig. & ibi gloſ in l. final. §. & hæc quidẽ de ijs verſ. ſed quia C. de iur. delib. l. liberti verſ. ſi tñ C de inoff. teſt. l. 2. in fine C. de natur. liber. & magis ad rẽ noſtram idẽ Iuſtinianus hoc verbo vtitur in l. 3. in principio C. de vſur. rei iud. dum ait: cum .n. iam conſtituimus, vſuras penitus eſſe delendas. nullum caſũ relinquimus, ex quo huiuſmodi machinatio poſſit induci.*

27 Aperta eſt itaq; mens Iuſtiniani, vt Iudex in taxando damno emergenti diligenter curet, vt illud damnum ſolum iubeat reſarciri, quod re vera, non autem apparenter fuit illatum; atq; ita hunc textum Doctores cõmuniter intelligunt *Bart. ibi nu. 32. verſic. ſi vero agitur contra non doloſum not. quod oportet verè probari intereſſe. Bal. nu. 27. dicit, debere plenè probari id, quod intereſt, Salic. in 3. & 4. not. ſcribit, illud intereſſe eſſe præſtandum, de quo re vera conſtat, Curt. iun. nu. 40. ad finem verſ. conſidera; ſcribit, intereſſe tunc deberi, cum concludenter probatur damnum emergens, vel lucrum ceſſans, Socin. Sen. in fine ſummarij notat, id pro intereſſe peti poſſe, quod verè intereſt, Cagnol. nu. 8. in fine dicit, illud intereſſe deberi, quod verè inducitur, Berengar. num. 267. & 268. ſcribit, Iudicem debere ſubtiliter verſari in inuenienda veritate allegati damni emergentis, Rebuff. nu. 164. not Iudices debere ſubtiliter inquirere damnum, quod re vera creditor perpeſſus fuit ob moram ſibi factam, Io. Bolognet. nu. 33. & 34. notat, Iudicem in inueniendo intereſſe damni emergentis debere ſubtiliter inueſtigare, vt veritatem inueniat, Marcus Mantua nu. 34. verſ. vel exquiri, colligit ex textu, debere Iudicem ſubtiliter, & diligenter inquirere, quid verè debitoris interſit Cuiac. in paratitlis col. 2. verſ. & Iuſtinianus, docet, Iuſtinianum in hac lege ſanxiſſe, vt Iudex in taxando intereſſe rei veritatem diligenter inſpiciat, quod repetit in Recitationib, col. 6. verſ. nunc ſequitur, & in l. quatenus 24, ff. de reg. iur. verſ. pœnas oportet, & lib. 9. obſer. c. 31.*

28 Hoc præmiſſo, dico, monſtro ſimile eſſe, vt mercatores, quibus mora fit à ſuis debitoribus, negligentes ſint in exactione, quando pecunia ſibi debita adeo indigent, vt ipſis neceſſe ſit, tantundem accipere ſub cambijs: è contra ſæpiſſime accidit, vt ſub ſpecie cambiorum prauitas vſuraria adeò callide abſcondatur, vt difficillimum ſit, rei veritatem detegere. Primum non eſt, cur comprobare laborem, quia experientia quotidiana oſtendit, mercatores nec coniunctiſſimis parcere, vt melius ſuis rebus conſulant; ſecundũ etiam facile eſt comprobare, & imprimis authoritate Summorum Põtificum Pij 4. & V. quorum Conſtitutiones ſuper cãbijs editas recenſet Scaccia in tractatu de cambijs §. 9. nu. 51. & 52. inquit autem Pius 4. *Nos igitur cupientes &c. eorumque mercatorum inſatiabili vſurariæ prauitati, eorumque animarũ ſaluti, & mercantilis exercitij fidelitati &c. paterno affectu conſulere &c. & in proemio eiuſdem conſtitutionis habentur hæc verba, auaritiam omnium malorum peſſimum genus, inter dilectos filios almæ Vrbis prædictæ mercatores ad eo ſerpuiſſe, vt iam vnicuiq; eorum breui, ac modico tempore proximi iactura diteſcere in pecunijs curialium eiuſdem Vrbis, & præcipue Ciſalpinis ad cambium, & recambium, vt vulgo dicunt, mutuandis facillimus pateat aditus*; verba autẽ Pij V. ſic ſe habent. *Cum itaq; ad aures noſtras peruenerit, legitimum cambiorum vſum, quem neceſſitas publicaq; vtilitas induxit, ſæpe numero ob illiciti queſtus cupiditatem ſic deprauari, vt ſub illius prætextu vſuraria prauitas à nonnullis exerciatur*:

29 His præmiſſis, facile eſt, oſtendere veritatem primi requiſiti; ſi enim ſupponimus, mercatorẽ non fuiſſe proteſtatum, ſe egere pecunia ſibi debita, itaut ſibi oporteat, eam per cambia accipere, niſi debitor ipſam ſibi numerauerit; dicimus vtique, eum negligentiſſime verſatum fuiſſe in exactione pecuniæ ſibi debitæ; & conſequenter adeo inueriſimilis redditur allegatio, quod coactus fuerit quærere pecuniam per cambia, vt non poſſit Iudex, qui debet ſubtili indagatione

inquirere, an damnum re vera illatum fuerit, admittere allegationem damni; quod enim inueriſimile eſt, à veritate adeo alienum cenſetur, vt ad ipſum probandum non admittantur eæ probationes, quæ regulariter ſufficiunt *cap. quia verisimile de præſumptionibus, vbi DD. & præcipuè Abb. nu. 1. & 2. & alij de quibus Decian. conſ. 15. à nu. 9. lib. 1. Farinac. de teſtibus q. 65. nu. 144.*

30 Ex eadem ratione probatur neceſſitas ſecundi requiſiti, nempè intimationis; cum enim hac ratione debitor magis magisq; excitetur ad ſoluendum debitum; ſcit enim intereſſe cambiorum, quod ſibi neceſſariò ſubeundum eſt, eſſe grauiſſimum; incredibile eſt, campſorē, qui hoc prætermittit, adeo indigere dicta pecunia, vt oporteat hac de cauſa per cambia debitam ſibi pecuniam quærere: ſtultitia enim apud mercatores exiſtimatur, quempiā, ne ſuis debitoribus ſit moleſtus, ea prætermittere, quæ ipſos reddunt in ſoluendo debito ſollicitos, ac diligentes: ſtultū autem exiſtimare mercatorem, experientia non patitur, nec iuris ratio; ſecundum quam in dubio credimus, vnumquemq; in ſua arte exercenda diligēter & ex artis præceptis verſari, *Roman. conſ. 481. nu. 9. Rota deciſ. 131. nu. 6. & 7. par. 2. diuerſ. Menoch. conſ. 1102. nu. 18. & præſumpt. 77. nu. 3. lib. 6. Crauet. conſ. 77. nu. 11. Becc. conſ. 44. nu. 4. Surdus conſ. 245. nu. 16. lib. 2.*

31 De tertio requiſito nunc tractemus; ex dictis patet, nos verſari in materia prohibita, quo caſu receptum eſt inter DD., confeſſionem partium non ſuffragati, quia alias in poteſtate earum eſſet, facere licitum id, quod eſt illicitum, vt tradunt *Bart. in l. ſi fortè à nu. 4. ff. de Caſtrenſ. pecul. Iaſ. in l. ſi donatione nu. 4. C. de collat. Surd. conſ. 186. nu. 5. Collegium Patauinum conſ. 70. nu. 3. apud Peregr. lib. 4. cum alijs, de quibus Scaccia de Cambijs §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. num. 56, & ſupra lib. 16. c. 48. nu. 4.* & conſequenter non debet eſſe ſatis confeſſio debitoris ad probandum, quod re vera mercator accepit pecuniam per cambia, quia hac ratione latiſſima aperiretur via vſuris, vt optime admonet Rota d. deciſ. 775. nu. 2. & 3. & d. deciſ. 52. à num. 5.

32 Imò nec Inſtitoribus, aut reſponſalibus ipſius mercatoris facile credēdum eſt; propterea quod noua inuenta campſorū in lucem in dies veniunt, quò faciliorem, & ampliorem viam ad augendas diuitias ſibi faciant; & cōſequenter facile admittere reſponſales ad probandum id, quod quærimus, eſſet aperire viam latiſſimam vſuris; quia hac ratione veritas cambiorum penderet ex teſtimonio eorum, qui cambijs vtuntur ad tegendam vſuram; debebit itaq; Iudex ex ipſius facti circūſtantijs veritatem damnorum magis colligere, quam ex teſtibus; quia in cauſis, quæ ex circumſtantijs pendent, magna eſt occaſio ſuſpicandi contra eos, qui rem ad teſtium fidem, argumentis omiſſis, deducunt, vt ſapienter, de more, admonet Cic. dum pro M. Cælio ſic loquebatur. *Nullum argumentum in re, nulla ſuſpicio in cauſa, nullus exitus criminis reperietur, Itaq; hac cauſa ab argumentis, à coniectura, ab ijs ſignis, quibus veritas illuſtrari ſolet, ad teſtes tota traducta eſt*; & proinde difficillime credendū eſt mercatori, teſtibus probanti ſe adeo indiguiſſe pecunijs, de quibus agitur vt tantumdem ſub fœnore cambiorum accepetit, niſi cauſas apertas, euidentesq; oſtenderit, quæ res ipſius ad tantam neceſſitatem redegerint, iuxta textum in cap. quia veriſimile de præſumpt. ex quibus adeò clarè cōfutata ſunt argumenta, quæ affert Scaccia cōtra hanc ampliſſimæ Rotæ Rom. doctrinam, vt ſuperfluum ſit, ea recenſere, & nominatim refellere: apertè enim æquiuocauit Scaccia dum dixit, omiſſionem harum denunciationum eſſe contra charitatem, nō autem contra iuſtitiam: quia non agitur hic de offenſione iuſtitiæ, aut charitatis, quaſi quod per hoc diminuatur veritas damni, ſed tractatur de reddenda valde inueriſimili allegatione damni emergentis; & proinde, ſi clariſſimis probationibus veritas damni appareret, hoc non eſſet impedimento creditori, ad ipſum conſequendum aſpiranti, iuxta deciſionem d. cap. quia veriſimile: Hæc autem probatio inter campſores eſt ferè impoſſibilis, quia ipſi accipiunt frequenter pecunias per cambia, lucri faciendi cauſa, vt etiam admonet Scaccia nu. 261; & conſequenter non poteſt conſtare de damno per hoc ſolum, quod cambia inierit, cum poſſit eſſe, quod id fecerit lucri cauſa. Ergo oportet, eum confugere ad lucrum ceſſans, dicendo, ſe ſe integre lucraturum fuiſſe id, quod ex parte lucratus fuit, ſi ſuā ſibi ille pecuniam tradidiſſet; Verum res tunc redigitur ad magnam inueriſimilitudinem, cum legitimis modis eum non adegerit ad ſuum ſibi ſoluendū; & proinde dicemus, lucri ceſſantis prætextum ab eo non poſſe allegari, qui negligens fuit in exigendo credito iuxta receptam doctrinam, de qua infra num. 84: valde autem ſuſpicandum nobis erit de colluſione circa cambia, cum nimis inueriſimile ſit, eum maluiſſe accipere ſub cambijs pecunias, & eas diu retinere, quàm debitorē in ius vocare: Rem vno verbo expediā, niſi campſor ſatisfecerit Iudici ſubtilitatem ſuam exercenti iuxta ſanctionem d. l. vnicę nō poteſt obtinere: ei autem non eſt ſatisfaciet, ſi omiſerit id, quod campſores facere ſolent, & ſibi expediebat facere l. in obſcuris de reg. iuris.

33 Hactenus oſtendi, ea cambia vſitata, aduerſus quæ diſputauimus, omnino illicita eſſe, explicemus nunc, quid ſit cenſendum de ijs, qui campſoribus ſuas tradunt pecunias; eos autem ad duas deduco claſſes; alij enim mandant ipſis, vt ſuas pecunias exerceant in cambijs, certa campſori conſtituta mercede; Alij vero eis liberè ſuas tradunt pecunias certa ſibi conſtitutā annua quantitate: De primis nihil aliud eſt quærendū, præter ea, quæ de ipſis dicimus campſoribus, cum per campſores exerceant artem campſoriam: de ſecundis autem animaduertendum eſt, ſolere populum exprimere huiuſmodi negotium, dicendo, *hauer dato i ſuoi denari à cambio à cinque per cento à N.* ſecundum quam formam loquendi vſura eſt manifeſta, cum deficiant omnia cambiorum realium prædicata: Itaq; opus eſt, ad aliam negotiationem id redigere: cōmuniter autem videntur introducere tres illos contractus, de quibus Nauarrus in Manuali c. 17. n. 254. & ſeqq. & in com. de vſuris nu. 32. cum ſeqq.: Primus contractus eſt ſocietatis, in quo alter ponit pecuniā, alter induſtriam: ſecundus eſt contractus aſſecu-

tationis

Digitized by Google

rationis ſortis: *tertius eſt, vt ad tollendas moleſtias, & malas ſuſpiciones rationum reddendarum de lucris, & damnis earundem, is, qui aſſecurat ſortem aſſecuret etiam alteri lucrum, iuſto etiam in id pretio conſtituto, aut altero tanto ex lucro remiſſo*: Circa hanc doctrinam Nauarri recentes ſcriptores plurima ſcripſerunt, in ſpecie autem noſtra large eam examinauerunt Scaccia de cambijs §. 3. gloſſa 3. nu. 35. cum ſeqq. Gaitus de credito c. 3. tit. 7. num. 1925. cum ſeqq. Raphael diſput. 3. quæſt. 10. à nu. 22. vſque ad finem: Dico autem in primis, precium aſſecurationis ſortis eſſe varium, ſi iuſtũ fuerit, ſcilicet iuxta modum periculi; & proinde nõ video, quomodo poſſit defendi doctrina Nauarri certam regulam conſtituentis, vt remittantur quatuor pro ſingulis centenis nummis ſortis aſſecuratæ, cum in plurimis negotiationibus ſit iniuſtiſſimum, ideſt in illis, in quibus raro accidit, ſortem periclitari, in quibus negotiationibus plerunq; hæ conuentiones interueniunt: Aſſecuratio autem certi lucri, remiſſis quatuor in ſingulis centenis ſortis, ad euitandas moleſtias, ac difficultates, quæ contingere facilè poſſunt in ineundis rationibus ſocietatis, iniuſtiſſimũ pactũ eſt ex parte mercatoris, cum facile eſſet, rem arbitrio amici communis in ea re periti, ſic committere, vt ab eius ſententia non liceret diſcedere; vt non immerito dicamus, facilius eſſe, ſocietatem inire addito ei pacto, poſt eam perfectam ſuperueniente, vt mercator aſſecurer ſortem, & lucrum vſque ad quinque in ſingulis centenis nummis; facilius inquàm eſt, non tamen eſt negotium iuſtum ex parte mercatoris, cum minus tribuat, quã lucrũ illius negotiationis deſiderat: ne autẽ dicatur, ex materia conuentionis vſurariæ deduci iuſtum contractum, efficiunt ea diſcrimina, quæ verſantur inter obligationem reſtituendi ſortem iure ſocietatis, & tãquã quid mutuo acceptũ: hoc n. pactũ non mutat contractum ſocietatis in reliquis; ſicq; optimè ſentit Card. de Lugo diſp. 30. de ſociet. ſect. 4. n. 45. Itaque hic contractus cenſendus omnino erit iuſtus, ſi ſic ineatur. Titius Mercator acceptis mille aureis admittit Caium in ſocietate ſuæ negotiationis, ex qua ſolitus eſt queſtum facere quindecim ſingulis annis in ſingulis centenis nummis: Æſtimantq; vt parẽ, induſtriam pecuniæ ſibi traditæ, quia iam negotiatio cæpta eſt, & eius induſtria eſt explorata, ac fides; ideoq; ex lucro dimidia pars ſpectabit ad Caium pro ſua rata: Cum autem is nolit adire periculum diminuendæ ſortis, rogat eum, an velit ſibi aſſecurare ſortem, & quantitatem lucri faciendi vſque ad quinque nummos in ſingula centena nummorum, & ipſe ei remittet partem lucri, hanc ſummam excedentis; Mercator autẽ ſciens qualitatem ſuæ negotiationis, & eam à ſe exerceri, putat, ſibi expedire, ei aſſenſum præbere itaq; conuentioq; perficitur, quæ vt puto plerunq; iuſta erit.

34 His expoſitis ad eos accedamus, qui campſoribus tradunt ſuas pecunias: Primò dico, ex cãpſoribus multos eſſe, qui ſub ſpecie cambiorum exercent fœnus improbum, vt paſſim ſcriptores huius materiæ teſtantur: Itaq; ille qui neſcit, qualis ſit conſcientia eius campſoris, cui ſuas tribuit pecunias exercendas, ſe ſe exponit periculo contrahendi ſocietatem cum fœneratore: Et per hoc difficilior redditur horum conditio, quam ſit ipſorum cãpſorum: ipſi enim dicere poſſunt, ſcio, quæ cambia ſint ſuſpecta, ego ab ipſis abſtinebo; cur ergo mihi vetas exercere cambia iuſta? E contra verò ij, qui tradunt ſuas pecunias campſori, non poſſunt dicere, ſcio, quinã ſint campſores fœnus exercentes ſub nomine cãbij; intra quorum numerum ſcio, hunc non fuiſſe, nec impoſterum futurum eſſe: perpendant hæc diligenter Sacerdotes vacantes ſacris cõfeſſionibus in Sereniſſima Genuenſi Ciuitate, & deinde deliberent, quatenus euadi poſſit illud oraculũ, qui amat periculum, peribit in eo; Ne autem dicas, noui, eum eſſe timoratæ conſcientiæ virum, & proinde iuſtam cauſam habeo exiſtimãdi, eſſe abſtenturum à cambijs illicitis, audi Patrem Iuſtinianum Genuenſem in Epiſtola ad Lectores ſui tractatus de cont. cambiorum: *Al che m' ha ſpinto, il parermi ſtrano, & diſpiacermi inſieme, l'hauer trouato da vn canto, tutti i Dottori, Theologi, Canoniſti, e Legiſti, biaſmare, dannare, & dechiarare vſurari que i cambi, che ſi fanno con coloro, che non hanno, ne ſono per hauer' i denari da reſpondere in Fera, e veder dall'altro canto, come da perſone virtuoſe, e di bona conſcienza, ſenza vn minimo ſcropolo, ò timor d'errare, ſi fanno le continuationi de' cambi, doue tante volte ſi replica il ſopradetto dannato, & ingiuſto contratto*: idem author quæſt. 5. nu. 5. ſcribit. *Io non sò certo, come Sua Santità poteſſe parlar più chiaro, ne meglio decider la queſtione, tuttauia ciò non oſtante trouiamo molti cambiſti, ch' à tempi noſtri fanno di tai ſorte di cambi ſenza mandare le lettere, e pure ſi confeſſano, e ſono aſſoluti, e ſon ſtimati timorati di Dio*: concordat Raphael à Turri diſput. 3. q. 11. nu. 21. dum ait, plures, quos ego cognoui timoratæ conſcientiæ, & qui toto animo abhominantur vſuras, pluries, mihi conſtat, contractus vſurarios celebraſſe, quos tales fuiſſe conſtitit, non per ſimulationem, ſed propter incompatibilitatem: qui autem ſcire cupit, ſæpiſſime vſuras exerceri ſub ſpecie cambiorum, adeat teſtimonia ſcriptorum huius materiæ, quos inferius largè recenſeui: Cum verò vſitatiſſimum ſit illud cambiendi genus, in quo fit ſolutio in nundinis ex pecunijs proprijs campſoris, non poteſt vtiq; quis dicere, ſe putare probabiliter, ſuum campſorem non eſſe initurum hoc genus cambij; de hoc verò cambiendi modo hæc ſcribit Salon de cambijs q. 4. art. 2. contr. 12. n. 5: *illũ igitur ſatis periculoſum eſſe, & occaſionem maximam fœnerandi offerre, neminem exiſtimo dubitare*. Cum exercentes artem campſoriam ob periculum fœnerandi huic arti inſitum, ſint ex genere ſuo ſuſpecti vt teſtantur ſcriptores, de quibus infra nu. 116. cum ſeqq.: non poteſt vtiq; dici probabiliter de eo, qui exercet allegatum cambium adeo periculoſum, talem eſſe, de quo nõ adſit dubitatio practica, quod vſuras exerceat ſub ſpecie cambij. Ergo oportet, concurrere aliquam qualitatem propriam ipſius, vt excludatur hæc ſuſpicio.

35 Secundò dico, periculum cambiorum cõſiſtere in decoctionibus maiorum campſorum, non autem in paupertate priuatarum perſonarum, quibus pecunias per cambium tradunt: nam harum ſtatus ſic notus eſt, vt ſibi diligenter caueant inter-

Digitized by Google

int euenientibus fideiuſſoribus idoneis, aut pignoribus, quãdo verè periculum adeſt: Vbi autem maiorum campſorum decoctio ſequitur, minores, qui cum ipſis inierunt cambia parem ſolẽt pati fortunam: ab hoc autem periculo nullam conſequitur cautionem is, de quo agimus, cum non accipiat fideiuſſionem ab ijs campſoribus, quibus ſuas tradit pecunias. Tertiò dico, quod magnam requirit ars campſoria peritiam, & ſolertiam, cum multis modis poſſint pecuniæ otioſę manere, vel adire periculum: nunquàm itaque damnarem illam ſocietatem, in qua diuideretur queſtus pro dimidia inter campſorem, & dominũ pecuniarum: non puto itaq; in hoc caſu opus eſſe aſſecuratione ſortis: in taxanda autem quantitate quinque in ſingula centena nummorum, incertum euentum queſtus campſorum reſpiciet: vt nempe campſor exponat ſe periculo ſuplendi de ſuo, ſi eius pars ad illam ſummam non aſcenderit, è contra lucretur id, quod huiuſmodi ſummam exceſſerit; Poſtremo loco dico, quod lucri ceſſantis conſideratio non poteſt allegari in hoc caſu, cùm is, qui ſuas tradidit pecunias campſori, non cogitaret de exercenda ſua pecunia in alia negotiatione, aut emendo res fructum ferentes.

36 Vt autem expediam cæptam de cambijs diſputationem, duæ ſunt explicandæ, maximi momẽti diſputationes: Primò an debeatur compenſatio lucri ceſſantis illi, qui iniuit cambium vſurarium. Secunda quomodo verſari debeant Sacerdotes in audiendis ſacris confeſſionibus campſorum; quæ indagatio non excedit meæ artis limites, cum habeamus in iure Pontificio ſatis longos tractatus de pœnitentijs, & remiſſionibus, & ex deciſione text. in c. 6. de vſuris meam doctrinam ſim deducturus. Prima autem dubitatio habet tres partes. Prima an debeatur intereſſe lucri ceſſantis campſori, qui iniuit cambium ſiccum. Secunda, quæ conditiones requirantur, vt habeat locum poſtulatio compenſationis lucri ceſſantis. Tertia an hæc compenſatio reſtringatur ad lucrũ, quod percepiſſet ex ſorte, an verò compræhendat etiam lucrum, quod facturus erat ex acceſſionibus ſortis principalis.

37 Quod ſpectat ad primum; deberi intereſſe lucri ceſſantis ei, qui exercuit cambium ſiccum, ſi cætera concurrant neceſſaria, docent multi ſcriptores huius materiæ, quos recenſui infra nu. 79. quorum opinione ſuppoſita, non autem admiſſa, ſcripſi ſupra lib. 22. c. 3. num. 4, & ſeq. ea, quæ præſenti inſeruiebãt diſputationi: Mouentur autem duplici ratione, primo quia ius naturale cõcedit, vt quiſq; imminentia euitet damna; amittere autem lucrum paratum, damnum infert; ergo ius naturale concedit ineunti cambia ſicca, curare, ne propter hoc damnum ſentiat. Secunda ratio eſt, quia cambium ſiccum eſt, re vera, mutuum latens ſub ſpecie cambij: mutuanti autem licet poſtulare lucrum ceſſans.

38 Contrarium, quod ſcilicet non poſſit aſpirare ad lucrum ceſſans ille campſor, qui fecit cambiũ illicitum, docent *S. Anton. de vſuris c. 2. §. 50. nu. 83. & 84, Nauarrus conſ. 32. nu. 8. de vſuris, Salon de cambijs, q. 4. artic. 4. controu. 4. nu. 3, Mercatus de cambijs c. 10. nu. 12, Peguera decis. 33. num. 12, & 13, Peregr. conſ. 85. nu. 8. lib. 3, Beccius conſ. 213. nu. 11. cum ſeqq. lib. 2, Bertaz. conſ. crimin. 254. col. 3. verſ. quò ad ſecundum, & conſ. ſeq. nu. 16, & 19, lib. 2, Lancell. Gallia conſ. 133. nu. 69, & 70, nu. 90. & ſeqq. Reginaldus lib. 25. nu. 459. verſ. quod ſi mala fides. P. Candidus diſquiſit. moralium cap. 20. artic. 7. dub. 1, Barth. à S. Fauſto in ſpecul. conſ. p. 1. diſput. 9. quæſt. 18. verſ. ſecundò dico, Bannes de iuſt. & iure quæſt. 78. artic. 4. tit. de cambijs col. 5. antequã concluſ. Lupus de vſuris comment. 3. num. 69. in principio: cum quibus alij concordant, de quibus infra.* Fundamentum eſt firmiſſimum, quia ſcilicet iubet ſanctio l. non dubium C. de legibus, ea, quæ aduerſantur conſtitutionibus poſitiuis, etiam ſi in ipſis id non exprimatur, adeo nulla eſſe, vt pro non ſcriptis, & non factis habeantur vna cum omnibus conuentionibus, & cautionibus pro eorum confirmatione factis: Hinc enim ſequitur, cambia aduerſantia conſtitutioni Pij V. haberi pro non factis, & conſequenter ex ipſis non poſſe oriri obligationem naturalem; Cum enim magni momenti ſit in foro exteriori l. 7. §. igitur nuda ff. de pactis, & maximi in foro interno, falſum eſſet, huiuſmodi cambia habenda eſſe pro non ſcriptis, & pro non factis, ſi naturalem pariunt obligationem ea, quæ pro ipſorum confirmatione conuẽta fuerunt: ſublata autem naturali obligatione, nullum remanet fundamentum obligationis: & conſequenter adimitur occaſio dicẽdi, pœnas nõ deberi in foro conſcientiæ ante condemnationẽ; quia id intelligitur de ijs, quæ nõ impediunt contractum perfici: hoc enim interueniente, impeditur acquiſitio iuris, ſine qua non poteſt vllum habere titulum ad id retinẽdum: impeditur autem perfectio contractus, dum lex vetat naſci obligationem naturalem; quod verò lex ciuilis poſſit impedire ortum naturalis obligationis, eſt receptiſſima doctrina, vt oſtendi lib. 1. cõtrou. 9: ceſſante autem obligatione naturali, ceſſat debitum abſolutè, & per hoc lucrum ceſſans: adeas ſcripta ſupra lib. 23. c. 48. num. 25. & conſequenter non poteſt, virtute huius contractus, aliquid poſtulari: virtute inquàm contractus, nam reſtitutio ſortis, circumſcripta conſideratione contractus initi, ex eo debetur, quod non debet locupletari cum aliena iactura l. nam hoc natura de condict. indebiti; quia ſcilicet ſatis eſt, eum dicere, reſtituas pecuniam, quàm ſic à me accepiſti, vt eam reſtitueres: intereſſe autẽ lucri ceſſantis non ſupponit, eum aliquid accepiſſe, ſed ipſum impediuiſſe eũ, à quo pecuniam accepit ab acquiſitione huiuſmodi lucri: & conſequenter opus eſt, examinare qualitatem contractus, cuius virtute pecuniam accepit, vt intelligatur, an ſic res geſta fuerit, vt congruat iuri naturali, cum accipere compenſationẽ lucri ceſſantis. Hoc eſt per ſe, vel virtute promiſſionis tacitæ, aut expreſſæ. Hoc autem fieri non poteſt, niſi habeatur pro facto ille cõtractus cum ſuis pactis, quem lex mandat haberi penitus pro non facto: *adeas Romualdum Coli de cambijs c. 14. in clauſula la violenza, Salon de cambijs q. 4. artic. 2. controuerſ. 14. nu. 5. col. 7. verſ. ſecundo, Corradus ac contr. q. 40. concluſ. 3, col. 2. verſ. inſuper ex alio.* Hæc autem interpretatio congruit muneri legiſlatoris, qui debet diligenter

Digitized by Google

gentet, incumbere in auertendis ciuibus ab illicitis metu pœnarum l. 1. ff. de iuſt. & iure, & regulæ Diuinæ, quæ punit homines per ea, per quæ peccauit c. finali de immun. Eccleſ.; idem ſuadet regula iuris, indignum eſſe beneficio legis eum, qui legem offendit c. quia fruſtra 14. de vſuris; Cum itaq; legem naturalem offenderit campſor contrahendo cambiũ illicitum, indignus eſt beneficio legis naturalis ei concedentis poſtulare compenſationem lucri ceſſantis.

38 Secundò conſidero, eum qui init contractum cambij illiciti, duobus modis verſari poſſe. Primò ſimpliciter contrahendo ipſum; ſecundo cõueniendo de compẽſatione lucri ceſſantis. Si primo modo id fiat, prout re vera fieri ſolet, quæro, vnde deducat ius poſtulandi lucrum ceſſans? Ex eo, quod ſuam ei tradiderit pecuniam? nequaquã, quia ſponte eam dedit. Ex natura contractus? non equidem, quia contractus huiuſmodi ob prohibitionem legis poſitiuæ nullum parit iuris effectum. Ob retentionem ſuæ pecuniæ? nec iſtud quidem, cum non fuerit interpellatus ad eam reſtituendam: receptiſſimum autem eſt, non eſſe locum petitioni lucri ceſſantis non præcedente contentione, niſi interuenerit mora debitoris, vt liquet ex Doctoribus allegatis *ab Hondedeo conſ. 50. nu. 21. & ſeq. lib. 1. conſ. 38. à nu. 24. à nu. 35. lib. 2. & tradunt alij paſſim*: Ergo opus eſt, vt cõfugiat ad conuentionem, quæ tamen ſuffragari non poteſt, cum in d. l. non dubium ſancitum ſit, omnes conuentiones, quæ initę fuerunt pro conſeruatione actus prohibiti à legibus poſitiuis, pro non ſcriptis, & pro non factis haberi, etiam ſi in lege prohibente id non fuerit expreſſum, quia ipſa prohibitio legiſlatoris hoc inducit per ſe.

39 Tertiò conſidero, quod incertum redditur, an ille, qui aſpirat ad lucrum ceſſans, eſſet exerciturus pecuniam huiuſmodi in contractu licito, cum pateat, eum inire cambia illicita, iuxta regulam c. ſemel malus de regulis iuris lib. 6: maior enim vtilitas, dubio procul, capitur ex illicitis cambijs, quam licitis: opus autem eſſe, vt certum ſit moraliter, eum, qui iniuit cambium vſuratium, alia ratione legitima fuiſſe acquiſiturum illud lucrum, quod poſtulat, vel ſaltem eum diligenter curaturum fuiſſe, vt per modum licitum exerceret huiuſmodi pecuniam, omnes ſequaces contrariæ ſententiæ docent: Cum itaq; ſemper incertum ſit, an eſſet initurus cambium, vel alium contractum licitum, vel illicitum; abſolutè verum eſt, incertum eſſe fundamentum lucri ceſſantis, cum mens ipſius directè probari non poſſit, & in dubio debeamus contra eum pronunciare; quia conſtat, eſſe malum hominem, & ſuo exemplo malo excitare alios ad ineundos contractus illicitos; officium enim boni legiſlatoris eſt, metu pœnarum compeſcere malos homines, maxime puniendo eos per ea, per quæ delinquunt; quod eò magis neceſſariũ eſt in propoſito, quia fœneratores audacius inituri ſunt contractus illicitos, ſi ſciuerint, non poſſe ſibi deeſſe compenſationem lucri ceſſantis ex contractibus licitis, quos inire ſolent quãdoq;, ne ſibi deſit prætextus lucri ceſſantis quò ad cambia illicita: Conuenire autem nobis, adimere occaſiones fœneratoribus exercendi cambia illicita, admonet nos Pius V. in ſua conſtitutione, & Zelus honoris Diuini, & proximi pijs ſuggerit viris.

40 Secundò deſtruitur poſtulatio intereſſe lucri ceſſantis ex cambijs illicitis, quia ſtante nullitate contractus, poteſt ille ſtatim repetere ſuam pecuniam: Dum ergo id omittit, euidens eſt negligẽtia creditoris in exigendo eo, quod ſibi debetur, quod deſtruit fundamentum lucri ceſſantis, iuxta receptiſſimam doctrinam, de qua DD. allegati infra nu. 84; quæ veriſſima eſt, quia donari id videtur, quod nullo iure cogente datur l. donari de regulis iuris: dum ergo ſinit, apud debitorem manere ſuam pecuniam, quam repetere poſſet, non poteſt dicere, ſe culpa ipſius caruiſſe ſua pecunia: culpa autem debitoris eſt fundamentum illius lucri ceſſantis, quod non poſtulatur virtute conuentionis, vt docent Doctores paſſim, de quibus Hõded. lib. 1. conſ. 50. nu. 21. & ſeq. lib. 2. conſ. 38. à nu. 24. à nu. 35: Si autem dixerit, eum erraiuſſe in iure, putando, cambium eſſe licitum, nõ erit audiendus l. leges ſacratiſſimę C. de legibus: adeas ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 7. c. 10.

41 Sed audio aliquem ex Lupis ouilis D. N. dicentem, ſanctionem allegatæ l. non dubium eſſe pœnalem, quæ non obligat in foro conſcientiæ ante ſententiam: erras miſerimè, aliud eſt, impedire acquiſitionem iuris, aliud adimere ius quæſitum: in ſecundo caſu lex continet pœnam, quia ei ſuum adimit; in primo autem non adimit quidquam, ſed impedit, aliquid acquiri per deſtructionem abſolutam, quatenus eſt actus ciuilis, illius tituli, ex quo pendet acquiſitio; ſine qua non poteſt dici vllo modo, eum habere ius; ſi autem non habet ius, fruſtra confugitur ad vulgarem quidem, verum ſæpius male applicatam diſtinctionem fori interni, & externi; quia in foro conſcientiæ opus eſt, vt ſaltem adſit obligatio naturalis, cuius ortum potuit, ac voluit impedire hæc ſanctio, vt ſupra probaui lib. 1. contr. 9.

42 Alius eiuſdem farinæ homo dicturus eſt, leges fundatę in pręſumptione non habent locũ in foro conſcientiæ, in quo nuda veritas inſpicitur. Nugaris; aliud eſt .n., legẽ fundari ſuper præſumptione; aliud, auctorem legis, ad occurrendum illicitis, vetare id, quod non eſt abſolutè malum, ſed tamen poteſt deſeruire malis hominibus ad patranda mala: tunc enim damnãtur illi, qui fecerũt actum prohibitum, non quia præſumatur exiſtere in eis illa malitia, quæ dedit occaſionẽ ꝓhibitioni; ſed quia occaſio, q̃ actus tribuit faciẽdi malũ, eſt ſufficiens fundamentum abſolutæ prohibitionis, vt intelliges ex D. Thoma 22. q. 169. artic. 2. ad 4, & ex ſcriptis ſupra lib. 16. c. 6. nu. 6: Huius autem generis eſt conſtitutio Pij V. de cambijs; profitetur enim, ſe ſe eam edere, vt occurrat quantum poteſt, fraudibus eorum, qui ſub ſpecie cambiorum exercent vſuras: ad idem ſpectant omnes leges poſitiuæ prohibentes contractus ſuſpectos: quis autem dixerit, non ligare in foro conſcientię eas leges, quæ adimunt Chriſtianis occaſionem peccandi contra iuſtitiam, vel charitatem bono viro dignam? ſicq; de more rectiſſimè admonuit Card. de Lugo diſput. 28. ſect. 8. nu. 111.

43 Contrarijs authoritatibus reſpondeo, huiuſmodi authores ſequi Caietanum de cambijs c. 1. ante verſ. dubia autem, aut Doctores ſe fundãtes ſuper

doctrina

doctrina Caietani non animaduertendo, quod eius tempore non aderat conſtitutio Pij V. de cābijs, cuius prohibitio nimis reſiſtit petitioni lucri ceſſantis, vt oſtendi, & tamen huius difficultatis nō meminerunt ij Caietani ſequaces, qui ſcripſerunt poſt editam huiuſmodi conſtitutionem, & proinde, abſit verbo inuidia, non poſſunt excuſari ab euidenti negligentia. Dum verò dicunt, ius naturale concedere, vt quiſq; ſe conſeruet indemnē, reſpondeo, aliud eſſe, tractare de ijs, qui dant operam actibus licitis, & de illis, qui ineunt cōtractus reprobatos: in primo enim caſu, cum non faciant aliquid contra ius naturale, digni ſunt auxilio ipſius; in ſecundo autem eis obſtat regula iuris naturalis, fruſtra legis auxilium eum implorare, qui legem offendit; damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſentire eum id non videri; per quæ peccat, per hæc & puniatur; Hæc enim deſtruunt eam æquitatem, ſuper qua conſiſtit obligatio naturalis l. ſticbum §. naturalis de ſolut.; & conſequenter non eſt admittendum, iure naturali eſſe debitam compenſationem lucri ceſſantis ei, qui cambium illicitum perficit: idem ſuadet regula, is natura debet, quem iure gentium dare oportet l. is natura ff. de reg. iur.; nemo enim affirmauerit, iure gentium inſpecto deberi intereſſe lucri ceſſantis eis, qui ineunt ſcienter contractus illicitos, quia gentes ſua iura deduxerunt ex naturæ præceptis, eas accommodando vſibus hominum, & neceſſitatibus humanis §. ius autem gētium inſt. de iuſt. & iure.; non poſſunt ergo ij excuſari, qui velut clarum poſuerunt, deberi lucrum ceſſans ineuntibus cābia illicita, quando non interuenit conuentio ſuper hoc.

44 Ea autem interueniente, quid ſit dicendum videamus: Si res verſaretur in puris terminis naturalibus, altiorem indaginem poſtularet; verum non verſamur in his terminis, quia ſancitum eſt, pacta aduerſantia bonis moribus Ciuitatis, nullā vim habere l. 6. C. de pactis, quæ ſanctio eſt adeo efficax, vt ſcriptum ſit, non eſt obligatorium aduerſus bonos mores præſtitum iuramentum c. nō eſt obligatorium de reg. iuris lib. 6; non poteſt enim negari, aduerſari bonis moribus Ciuitatis, per conuentionem circa lucrum ceſſans introducere vſum contractuum illicitorum, aut confirmare: quod verò non pariant obligationem naturalem pacta aduerſantia bonis moribus, inde liquet, quod dicit lex, nullam vim ipſa habere; falſum .n. id eſſet, ſi haberēt vim producendi obligationem naturalem: adeas ea quæ ſcripſi ſupra lib. 1. c. 9.: Dum verò dicunt, cambium illicitum reſolui in mutuum, & per hoc in eo eſſe concedendum id, quod in mutuo conceditur, aduertendum eſt, mutuum verè non poſſe contrahi, niſi habuerint animum contrahendi ipſum l. 1. §. finali ff. de pactis: Cum ergo dixerint, ſe contrahere cambium, non potuit deduci in eſſe mutuum formale; ſed materiale tantum; quia ſcilicet deficiente titulo cambij, pecuniæ apud eum remanent eo modo, quo eſſent apud ipſum, ſi eas mutuas accepiſſet; Inter hæc autem eſt magna differentia, quia verè non adeſt mutuum in ſecundo caſu, vt intelliges ex §. item is inſt. de oblig. quæ quaſi ex contractu, l. 4. §. is quoq; ff. de act. & oblig.: non debes autem benignè eorum mentem interpretari, quia eſt odioſum nimis, contractum mutui liciti, ſub nomine contractus illiciti tegere; & per hoc nō eſt locus benignis interpretationibus l. cum quidam in fine de lib. & poſth. c. odia de reg. iuris in 6. cū itaq; extet in propoſito tanta diuerſitas inter mutuum, & contractus illicitos, videant docti, & prudentes viri, quid ſit cenſendum de doctrinis eorum, qui traxerunt ad ineuntes contractus illicitos illud ius, quod obſeruatur circa mutua licita, cum nec animaduerterint quidem eam differentiam, quæ ſuas euertebat doctrinas: clari enim iuris eſt, extenſionem requirere paritatem rationis, vt intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 12. c. 35. n. 20. & 24: Preclarè Scotus 4. d. 15. q. 4. artic. 3. ait: *Ad primum reſpondeo; ſi non vult damnificari, pecuniā ſibi neceſſariam reſeruet; quia nullus eam neceſſitat ad faciendam miſericordiam proximo: ſed ſi vult miſericordiam facere, neceſſitatur ex lege Diuina, vt non faciat eam vitiatam.* Vitiata autem eſt, dubio procul, miſericordia, dum loco mutui expliciti cum pacto lucri ceſſantis, eligit contractum illicitum vt per eū exerceat opus miſericordiæ: adeas ſcripta hoc libro c. 9. nu. 52.

45 Hactenus expoſui ea, quæ apud doctos, & cordatos viros ſatis, dubio procul, erunt ad excludēdos campſores à poſtulanda lucri ceſſantis compenſatione, quando exercuerunt cambia illicita. Verum quia hæc materia adeo large à multis accipitur, vt audito nomine lucri ceſſantis, illico cōticeſcant (quaſi quod nephas ſit, ſe ſe opponere allegantibus, lucrum amiſiſſe ob moram debitoris) etiā ſi verè perpauci ſint, quibus debeatur lucri ceſſantis compenſatio, quia rarò accidit, verum lucrum ipſis ceſſauiſſe ob moram debitoris vt largè expoſui ſup. lib. 22. c. 31. Inter alios autē abuſus ille eſt intollerabilis, quod multi ponunt pro conſtanti, omnes negotiatores vendere poſſe pecunia præſenti cū lucro ſingulis annis ſuas merces; cum tamen experientia quotidiana oſtēdat, pleriſq; eorum id minime contingere: & proinde claudicat euidenter eorum ratiocinatio, qui dicunt, aderat occaſio emēdi has, vel illas res; ergo lucraturus erat eo modo, quo cæteri lucrati fuerūt ex venditione huiuſmodi rerū; vt .n. ratiocinatio procedat, opus eſt, ſupponere, quod emptores earū rerū vendiderint præſenti pecunia cū allegato queſtu omnes eas res, quas emerunt; ſi enim ſecus ſit, argumentum conuertitur in contrarium; ſi enim cæteri non potuerunt vendere omnes res eiuſdem ſpeciei præſenti pecunia, cur affirmas, eum de quo agimus, id facturum fuiſſe? Incertū ergo nimis redditur quod propter hoc amiſerit lucrum allegatum, & proinde non poteſt eſſe locus lucri ceſſantis compenſationi, cum lex iubeat iudicibus, vt ſubtiliter verſentur circa hanc rem, ita vt illud tantum creditori tribuatur, quod, reuera, eius interſit l. vnica C. de ſentent. quæ de eo, quod intereſt proferuntur, & tradunt DD. cō. quos receuſui ſupra nu. 26.

46 Inſuper lucri ceſſantis allegatio ei tantum cōcedi debet qui intuitu charitatis proximi principaliter, omiſit negotiationem, quam præ manibus habebat, ſi modo iuris principia, & magnorum magiſtrorū huius materiæ com. ſenſum magis ſequi volumus, quam doctrinam Nauarri, qui eam deinde dereliquit, quarundam regionum

abuſu

abuſu confirmatam, & nonnullorum ſcriptorum recentium, qui in ſuis principijs hac in re, ſibi apertè contradixerunt, vt hæc omnia large expoſui ſupra lib. 9. c. 13. eandem doctrinam Nauarri large etiam impugnat Iuſtin. de continuat. cambiorum quæſt. 6. qui tamen aduerſus ſenſum vnanimem defenſorem receptiſſimæ ſententiæ, & regulam c. [illegible] remittitur de reg. iuris lib. 6. docet, campſorem non teneri ad reſtitutionem: Si enim non adeſt titulus habilis ad acquirendũ dominium, vtiq; verè retinet rem alienã: Quod autem Iuſt. dicit, non ſemper teneri ad reſtitutionem eos, qui peccant contra iuſtitiam, vt cætera omittam, diſtinguendũ eſt, an acquiſiuerit dominium, aut non acquiſiuit; quicquid ſit de primo caſu, in ſecundo, in quo verſamur, eſſet abſurditas id affirmare, cum retineat alienum inuito domino, qui iure contradicit huiuſmodi retentioni: Cum verò deinde inciderim in alios recẽtes ſcriptores de eadem re agentes, operæ precium erit, eorum ſcripta expendere diligenter.

48 Incipiendo autem à Scaccia, is de hoc largè agit in tract. de cambijs §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. nu. 1. cum multis ſeq. nu. 177. & ſeqq.: Conſiderando autem ea, quæ dicit ex propria ſententia nu. 183. in fine ſuam doctrinam reſtringit ad ea, quæ ſcripſit nu. 96. vbi nucleum ſuæ opinionis exprimit his verbis, *qui rem, ſeu pecuniam retinet inuito domino, dat cauſam, vt ille dominus patiatur damnum lucri ceſſantis, ſeu damnum emergens, & qui cauſam damni dat damnum dediſſe videtur; ratio rationis eſt, quia prima, & originalia iuſtitiæ iura, quibus, tam ſuperiora, quam inferiora reguntur, à quibus cætera profluunt, ſunt tria, nempè honeſtè viuere, alterum non lædere, ius ſuum cuiq; tribuere:* Hæc enim ſi applicentur ei, qui motus charitate proximi omittit exercere ſuam pecuniam, alias nõ omiſſurus, bene ſe ſe habebunt; applicata autem ei, qui ſuadente propria vtilitate principaliter deponit animum eam exercendi, friuolam præbebunt rationem: & proinde dicendum eſt, Scacciam, qui adeo multa ſcripſit de hoc, veram ſuam ſententiam reſtrinxiſſe ad eum, qui dici poteſt aliquo modo, inuitus diſcedere à voluntate exercendi ſuam pecuniam; vel eum ſibi aduerſari in ſuis principijs: cũ quibus congruunt ea, quæ ſcripſit nu. 19. & 20, dum pro fundamento lucri ceſſantis ponit, quod mutui natura immutetur propter deſtinationem pecuniæ mutuatæ ad mercaturam; hoc enim eo tantum caſu verum eſt, quo durauerit huiuſmodi deſtinatio tempore cõtracti mutui, quod non accidit eis, qui ante mutuum deliberant intuitu proprij commodi principaliter, abſtinere à mercatura quò ad huiuſmodi nummos, vt poſſint ipſos mutuare: accidit non autem ijs, qui propter commodũ proximi principaliter id faciunt, quia in ipſis durat deſiderium exercendi ſuam pecuniam in mercatura, licet deſinant id facere victi à charitate proximi, quem nollent ſua indigere pecunia, vt deſtinationi ſuæ poſſint ſatisfacere exercendo pecunias mutuandas in mercatura: Cum dictis concordant ſcripta eiuſdem Scacciæ nu. 148.

49 Dominicus Gaitus de credito c. 2. tit. 7. q. 2. num. 1703. cum ſequentibus ex profeſſo recenſet requiſita neceſſaria ad hoc vt quis poſſit ſtipulari intereſſe lucri ceſſantis, & cæteris reiectis dicit, eſſe neceſſaria quatuor, quæ recenſet, inter quæ non adeſt, quod id fiat principaliter intuitu commodi proximi, non autem ob vtilitatem propriã principaliter, indubitatumq; eſt, eum non admiſiſſe hoc requiſitum, quod tamen reſpuere non poterat retento eo fundameto, quod proponit num. 1740. & ſeq. dum ait, *ideo creditor exigit intereſſe propter moram, quia mora debitoris eſt cauſa, vt creditor ceſſet à lucro; nam ſi debitor ſolueret in tempore non eſſet moroſus, & creditor implicare potuiſſet pecuniam in negotiatione lucroſa; mora itaq; eſt cauſa ceſſationis illius lucri; & per hoc ſi debitor conceſſerit dilationem debitori, & pendente dilatione pactus fuiſſet de intereſſe lucri ceſſantis, ſupponitur ceſſatio lucri ab initio contractus, quia leges, & Canones reſpexerunt ceſſationem lucri principaliter, & moram vti cauſam, ideo ſi de cauſa appareat abſq; mora, vtiq; ſufficit, & per hoc cauſa ceſſationis lucri in hoc caſu eſt datio mutui, aut cambij; ergo non eſt neceſſaria alia mora, & tantum in hoc operatur partium pactum, quantum operatur mora:* Si hęc applicentur ei, qui nollet mutuare, ſed exercere ſuam pecuniam, bene ratiocinatur; ſicut .n. impeditur à mora ab exercendo ſuam pecuniam, ita impeditur à charitate proximi, cui deſiderat ſubuenire: Sin autem applicentur ei, qui intuitu ſui commodi principaliter deponit animum exercendi pecuniã eius dicta corruunt euidenter, quia charitas proximi nullum ei præſtat impedimentũ ad exercendam ſuam pecuniam, vt ex eo liquet, quod ſi venerit alius æquè idoneus meliorem offerens conditionem ante perfectum contractũ, neglecto priori, contrahet mutuum cum ſecundò, etiam ſi iam deliberauiſſet, ſuas ei per mutuũ tradere pecunias cum pacto obtinendi compenſationem lucri ceſſantis ſibi oblati.

50 Raphael à Turri in tractatu de cambijs diſput. 3. quæſt. 11. num. 53. cum ſequentibus, etiam ſi explicitè non requirat, vt id fiat principaliter intuitu commodi eius, cui ſuas tradit pecunias, ratio tamen cui innititur, hoc omnino deſiderat; ait .n. *nihil eſt tam naturale iuri, ac iuſtitiæ ingenitum, quã vt quilibet conſeruetur indemnis ab eo, in cuius fauorẽ incommodum ſentit: nullus certè poterit, iure denegare creditori, qui proprias pecunias, quas expoſitas habebat ſuper aliqua licita negotiatione, precibus alienis cõceſſit, non poſſe conuentione, ac pacto ſibi indemnitatem ſtipulari, quæ quodcunq; intereſſe comprehendat, proptereaq; cum mercator, qui pecunias ſuas exercet &c. eas precibus, & vtinam non aliquando etiam minis, concedit alicui magnati, ſeu Principi: quis adeo iniquus rerum æſtimator eſt, vt putet, eum non poſſe ſibi ſtipulari nedum ſortem, ſed etiam quodcunq; intereſſe &c. radicari autem, ac veriori cauſa efficaciſſima ſeruandi indemnem ipſum creditorem, nedum à ſorte, ſed etiam ab illo intereſſe, quod eſſet conſecuturus creditor, niſi beneficium contuliſſet.*

51 Dum mutuans intuitu proprij commodi principaliter adimit ſuæ pecuniæ eam deſtinationem ad mercaturam, quam habebat, vt mutuam tradat Seio, non conſiderat Seium per ſe, ſed quatenus ſibi expedit, ei mutuam dare pecuniam; quia alio ſuperueniente æquè idoneo meliorem conditionem afferenti, eum negliget: Ergo non eſt verum, mutuum cum eo contractum pendere ex eius precibus, aut mereri nomen beneficij: Cum

autem mala electio eligenti ſit tribuenda, cum liberè id fecit, vtiq; commutatio mercaturæ in mutuum liberè omnino facta, tribui debet mutuanti; ergo non poteſt dicere, ſe pati damnum propter mutuatarium, ſed propter huiuſmodi mutationẽ; dicere ergo non poteſt, ſe propter ipſum pati damnum, ſed propter ſuam malam electionem eligendo rationem prauam lucrandi; Ei autem, qui id facit propter commodum proximi principaliter, id dicere licet, quia alias nõ eſſet hoc facturus, & ei diſplicet, non habere mutuatarium aliam rationem cõparandi pecuniam.

52 Molfeſius in 2. part. ſuæ ſummæ c. 23. nu. 33. hæc ſcribit, ſecundam conditionem lucri ceſſantis eſſe, vt mutuatio, vel ſolutio rei alteri mutuatæ ſit cauſa amiſſionis talis lucri, vel vt patiatur tale dãnum: Si enim mutuum fiat principaliter ob commodum mutuatarij alias non facturus, verè mutuum eſt cauſa amiſſionis talis lucri; erit autem occaſio, ſi initum fuerit principaliter ob propriũ commodum: Concordat id, quod ſcribit nu. 39. in principio dum ait, *cum nemo teneatur alteri cum damno ſuo beneficium præſtare*: ceſſat enim omnis ſpecies beneficij, ſi intuitu propriæ vtilitatis principaliter id fecerit, cum eũ neglecturus ſit, ſi alius ſuperuenerit offerens meliorem conditionem; non mutuat enim propter commodum mutuatarij, ſed propter propriam vtilitatem.

53 Em. Cardinalis de Lugo de iuſt. & iure tom. 2. diſput. 25. §. 1. agit ex profeſſo de lucro ceſſante: ait autem num. 87. ad fundandam lucri ceſſantis compenſationem; *Si petat ab operario, vt ab operando vacet; & ſe ad recreationem comitetur, poteſt à te petere lucrum, quod ex ſuis operis poterat habere, & quo in tui gratiam priuatur. Piſcator item poteſt petere pro ſpe piſcationis, quam in tui gratiam omittit, ergo & negotiaturus poteſt exigere pretium, vt in tui gratiã à negotiatione ceſſet. Si merces, quas in aliud tempus ſeruare decreueras, quo plus valebunt, vendas in gratiam alterius, potes ratione illius lucri ceſſantis aliquid ſupra precium præſens exigere, vt colligitur ex c. nauiganti de vſuris, ergo & in mutuo ratione lucri ceſſantis poterit ſupra ſortem exigi.* Solidiſſimè, de more, hæc ſcripſit, ſi in mutuante ſupponatur, quod mutuet principaliter ob commodũ mutuatarij, alias non mutuaturus; æquiuocè autem, ſi propter ſuã vtilitatem principaliter id fecerit, cum non poſſit dici factum in gratiam mutuatarij, quando id venit per accidens, prout accidit in hoc caſu; ideo enim ei mutuat, quia non extat alius mutuatarius meliorem afferens conditionem: errare autem in re manifeſta admirabilis doctrinæ virum, ſtultum eſt affirmare.

54 Idem Cardinalis nu 88. ſcribit; *Si non ideo à lucro, & negotiatione ceſſas, quia mutuaſti, quia habeas aliam pecuniam, qua negotiari poſſes, ſed quia mutaſti conſilium, vel aliam ob cauſam, mutuum non eſt cauſa, quod lucrum ceſſet*: Cum verò ille, cui ſe ſe offert occaſio mutuandi accepta compenſatione lucri ceſſantis, ideo deponit animum exercendi ſuam pecuniam, quia credit, vtilius ſibi futurum eſſe mutuum, quam mercaturã, mutet conſilium, quod habebat exercendi ſuos nummos in mercatura, vtiq; verum eſt, mutuum non eſſe cauſam ceſſationis lucri, quia precedit mutatio conſilij perfectionẽ mutui; cum his cõcordat id, quod ſcribit n. 93. dum ait, *nec minus gratus debeo eſſe ei, qui damnum patitur vt me liberet, quã ſi me petente id patiatur; licet in primò caſu mea liberatio ſit cauſa finalis, & in ſecundò meæ preces ſint cauſa moralis efficiens: quare vera mea voluntas, & petitio mutui eſt cauſa moralis ceſſantis lucri, quod ſufficit ad exigendum intereſſe*: nu. 94. concordat dicendo, *cum ergo ceſſatio lucri ſit quaſi expenſa, & ſumptus factus in gratiam mutuum petituri, hoc etiam ab eo peti poterit, vt ſe mutuans indemnem reddat*: Ex quibus intelligimus, quo ſenſu ſcripſerit nu. 108. eum, qui mauult mutuare, quam perſeuerare in exercenda ſua pecunia, poſſe aſpirare ad lucrum ceſſans; quando ſcilicet in eo concurrit fundamentum lucri ceſſantis, quod nempe id malit in gratiam mutuatarij; dupliciter enim contingit, eum malle mutuum, quam mercaturam, primò propter ſuam vtilitatem, ſecundò propter vtilitatem mutuatarij; Cum autem non explicet, quomodo id intelligat, vtiq; intelligenda eſt eius doctrina iuxta fundamentum lucri ceſſantis ab eo propoſitum, ne admittamus in Doctore longe, ac largè præſtantiſſimo repugnantiam inexcuſabilem.

55 Laymanus in opere morali p. 1. ſect. 5. tract. 4. ſect. 15. n. 9. ſic ſcripſit, *neceſſe eſt, vt lucrum ceſſans, vel damnum emergens in pactum deducatur expreſſè, aut tacitè, fiatq; contractus innominatus; in tuam gratiã deſiſtam ab hoc lucro, vel damnum hoc ſubibo, vt des mihi decem*; falſum enim eſt, ob gratiam mutuatarij id fieri, ſi alij mutuaturus eſſet, qui interim meliorem conditionem offeret; quod ſemper ſequetur, ſi intuitu proprij commodi principaliter deponit animum, ſuam exercendi pecuniam; Duardus de cambijs §. 1. quæſt. 54. largè examinat, quatenus campſori liceat ſtipulari lucrũ ceſſans a En. 13. ſic ſcribit, quartò limitatur, vt concluſio noſtra locum non habeat, quando campſor, non gratia mutuatarij, ſed ex mera ſua electione, ac motu proprio ex cambio reali, vel iuſta negotiatione pecuniam extractam dat mutuo, quoniam tunc vſuram committeret cum obligatione reſtituendi lucrum ex eo perceptum: concordant ea quæ ſcribit §. 2. q. 6. nu. 2.

56 Trullenchius ſuper Decalogo lib. 7. c. 19. dub. 9. n. 9. clarè docet, lucrũ ceſſans admitti debere in eo, qui ob lucrũ mutuat; quia cũ lucrũ ſit precio æſtimabile, parum facit ad illius iuſtitiã, vt hoc vel illo fine facias; quæ ratio oſtẽdit, eũ negligentiſſimè, abſit verbo inuidia, verſatũ in hac re fuiſſe, quia lucrũ, quod æſtimari debet, eſt in potentia, nõ autẽ in actu: huiuſmodi verò potentia ſupponit durationem deſtinationis ad exercendam pecuniam mutuatã, quod accidere non poteſt, ſi eã mutuet proprij commodi intuitu principaliter; ſtatim ac videt, ſibi magis expedire, mutuare cum cõpenſatione lucri ceſſantis, deliberat, deſerere eã rationem lucrandi, quam elegerat, ſubrogando mutuum in eius locum, quo ſecuto, non poteſt amplius conſiderari lucrum ceſſans, quia ſponte reuocauit eam deliberationem, ex cuius executione pendebat.

57 Trullenchium autem in ſua doctrina ſibi contradicere vt intelligas, conſidera id, quod ſcribit nu. 1. dicendo, *lucrum ceſſans dicitur, quando quis impeditur ab aliquo bono conſequendo, ſeu à lucro*; quãdo enim mutuat intuitu charitatis proximi principa-

cipaliter, impedimentum huiuſmodi adeſt, quia charitas proximi non ſinit ei, exercere ſuam pécuniam ſecundum modum deſtinatum: vbi verò mutuat ob proprium commodum, nec vmbram quidem adeſt impedimenti, cum non moueatur ex charitate proximi per ſe, ſed per accidens, vt ex eo liquet, quod ſi alius ſuperueniret meliorem conditionem offerens, ei ſuam traderet pecuniã, etiã ſi ſciret, longe magis priorem indigere ipſa.

58 Concordant ea, quæ ſcribit nu. 2. dum ait, *ratio eſt, quia centum negotiationi expoſita, & lucro magis valent, quam centum per ſe conſiderata: nam lucro expoſita ſunt in potentia lucrandi, & quaſi instrumentum lucri, & velut ſemen lucri per induſtriam, ſic triticum deſtinatum ſationi plus valet, quam aliud ſecundum ſe, quia in eo continetur fructus, & ideo cum eo ſimul fructus tradere videtur;* Cum enim is, qui mutuat principaliter ob proprium commodum, ſpõte mutet priorem deliberationem, verum eſt, eũ deſtruere potentiam illam lucrandi, cui adhæret lucrum ceſſans; debebat ego Trullenchius explicare, quomodo admitti poſſit lucrum ceſſans in huiuſmodi caſu; Quod ſi id non animaduertit, intelligis, quam accuratè verſetur in proponendis doctrinis maximi momenti; in materia enim vſurarum vlla eſt, quæ maioris ſit ponderis, vix: admiſſa enim opinione veriſſima, & apud claſſicos Doctores receptiſſima, perpauci erunt, quibus prodeſſe poſſit prætextus lucri ceſſantis, cuius velamento paſſim vſuræ formales defenduntur.

59 Naldus in verbo intereſſe nu. 1. ſimplici aſſertione contentus concedit intereſſe lucri ceſſantis ei, qui mallet mutuare, qua in re aduerſatur ijs, quę ſcripſit num. 10, dum docet, fundamentum eius eſſe, quod ſibi præſtitum fuerit impedimentum ad lucrandum, niſi intelligas, maluiſſe eum mutuare propter charitatem proximi principaliter; nullum enim poteſt conſiderari impedimentum, cum id fecit ob ſuum commodum principaliter, quia tunc conſiderat vtilitatem mutuatarij occaſionaliter; hoc eſt, quatenus ſibi præbet occaſionem lucri, vt ex eo liquet, quod ſi alius ſibi meliorem obtulerit conditionem, abſq; vlla cunctationem eam neglecturus erit.

60 Bartholomæus à S. Fauſto Theologiæ moralis tom. 2. diſput. 6. quæſt. 74. in poſtrema clauſula ſic ſcribit. *Hinc qui mutuat, nõ in vtilitatem mutuarij, ſed in ſuam, & quia ita illi expedit, non poteſt exigere damnum emergens:* quia ſcilicet opus eſt, vt dixit in clauſula antecedenti, *quod ſolum intendat per mutuum vtilitatem mutuatarij, & non ſuam.* Concordant ea, quæ ſcribit in quæſt. 80. col. 2. dum ait, *Quarta conditio eſt, vt talis animus negotiandi cũ pecunia, quam dat mutuo, duret toto tempore mutui; nam cum ex eius animo pendeat, pecuniam ſuam eſſe in proxima potentia ad lucrandum, ex animo eius ſimiliter pendet, lucrum illud ceſſare:* Agit deinde de ea Nauarri doctrina, circa quam verſamur, & licet eam ſequi videatur, tamen concludit, eam eſſe admittendam, *dumodo mutuans decreuerit negotiari, & ſolum ad preces petentis mutuum à potentia proxima lucrandi pecunias ſuas ſeparet,* Ille enim, qui vtilitate ſua ſuggerente principaliter, deponit animum negotiandi, non facit id, ſolum ad preces petentis mutuum, vt ex eo patet, quod ſi alius ſuperueniat, qui meliorem ſibi offerat cõditionem, ei ſuam traditurus eſt pecuniam, etiam ſi preces non interuenerint; alias ſibi manifeſtè contradiceret, quia is, qui mutuat principaliter ob propriã vtilitatem adimit potentiam proximam ſuæ pecuniæ ad lucrum. Hactenus recenſui dicta Doctorum; Si rem conſideraueris attentè, vſus lucri ceſſantis à pleriſq; ſic recepitur, vt nihil plane differat ab vſura manifeſta.

61 Conuertendo autem me ad campſores exercentes cambia illicita, quatenus poſſint retinere, aut conſequi id, quod vltra ſortem habuerunt, vel petunt ſub prætextu lucri ceſſantis: largè tractatur à *Scaccia de cambijs §. 1. q 7. p. 2. ampliat.* 8, *Gaito de credito c. 2, tit. 7. à nu. 1679. ad num.* 1922, *Raphaele diſput. 3. quæſt.* 10: Primò conſiderandum eſt, Pium V. clarè profiteri, ſe ſe vetare conuentiones determinantes certam quantitatem ſoluẽdam in caſu morę pro intereſſe lucri ceſſantis, vt adimat occaſiones peccandi, fraudibuſq; occurrat fœneratorum: non rectè ergo Nauarrus dixit, in foro conſcientiæ ceſſare hanc legem, ſi modo fraus abſuerit: quia hæc doctrina, re ipſa, docet, nõ obligare in foro conſcientiæ eas leges, quæ editæ fuerunt ad tollendas occaſiones peccati, niſi ſequatur peccatum, quod abſonum eſt, cum ſcriptũ ſit, qui amat periculum peribit in eo: quis verò dicetur amare periculum, ſi id non affirmabitur in ijs, qui ſe ijs exponunt periculis, dum Sancta Sedes Apoſtolica, edita ſpeciali lege, vetat Chriſtianis, ipſis ſe exponere? Cum verò ſcriptum ſit, ea pro non factis habenda eſſe, quæ fiunt aduerſus prohibitionem legis poſitiuę l. non dubiũ C. de legibus, merito dicemus, pactum taxans intereſſe in cambijs in caſu moræ, pro non ſcripto, & pro non facto abſolutè habendum eſſe: adeas *Io: Lupum in c. per veſtras not. 6. in fine, Siluanum conſ. 10. nu. 46. verſ. & adeo inefficax, Lancellotum Galliam conſ. 123. nu 69, & 70, nu. 90, & ſeq. Rebuffum ad l. vnicam num. 614. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt Rotam deciſ. 325. num 8. apud Farinac. vol. 2. conſ. Lopez lib. 2. de contractibus lib 2. c. 13. col. 12. in fine verſ. vnde ſententia, P. Candidum p. 1. diſq. 20. artic. 17. dub. 2. & dubit. ſeq. prope finem.*

62 Secundò dico, id quod creditoris interfuturũ eſt ob moram debitoris, conſiſtere in facto l. quatenus cuiuſq; ff. de reg. iuris; quia nempè pendet ex circunſtantijs, & per hoc eius probatio eſt difficilis l. finali de prætor ſtip. §. finali inſt. de verb. obligat.; ergo taxatio certæ quantitatis pro compẽſationẽ lucri ceſſantis, ſuſpecta eſt vſurariæ prauitatis, cum velit creditor determinare id, quod pendet ex futuro euentu: Imò eſt manifeſta vſura, quia vult per modum debiti id, quod incertum eſt, ſibi debitum iri ex cauſa lucri ceſſantis. Dicã clariùs, lucri ceſſantis compenſatio non debetur antequam iudex, adhibita diligenti inquiſitione, intellexerit, re vera tanti eius intereſſe l. vnica C. de ſentent. quæ pro eo, quod intereſt: ergo creditor non habet abſolutè ius conſequendi aliquid pro intereſſe lucri ceſſantis, antequã iudex declarauerit, id ſibi deberi l. qui per colluſionẽ 51. §. 1. de act. & vendit.: cũ verò creditor taxans intereſſe lucri ceſſantis velit abſolutè eam quantitatem velut ſibi debitam, ſi debitor moroſus fuerit in ſoluendo ſuo tempore; vtiq; plus vult in caſu moræ, quam ſibi debeatur ex natura contractus; hæc au-

tem eſt vſura formalis, vt intelliges ex receptis traditionibus, de quibus ſupra lib. 9. c. 13. nu. 37. & 38. & hæc eſt ratio, cur Pius V. diſtinxerit occaſiones peccandi à fraudibus fœneratorum. Peccandi enim occaſio eos reſpicit, qui velut debitam volunt quantitatem pecuniæ taxatam in caſu moræ, quia volunt velut certum debitum, id quod pendet ex declaratione iudicis: fraudes autem fœneratorum ea reſpiciunt, quæ fœneratores per ſuas machinationes introducunt circa lucri ceſſantis quantitatem: qua de cauſa lex admonet iudicem, vt ſubtiliter verſetur hac in re, vt intelliges ex ſcriptis ſupra nu. 26. & 27.

63 Tertiò dico, quod conuentio partium non poteſt inducere obligationem ſoluendi, lucri ceſſantis compenſatione in ijs caſibus, in quibus lex id vetat l. vnica C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt & eſt doctrina certa apud Catholicos, quia eſſet vſura formalis; Ergo pactum taxans intereſſe nō reſpicit ſubſtantiam, ſed qualitatem ipſius; hocq; clarè docent omnes, qui admittunt pactum taxans intereſſe, quia id clarè reſtringunt, dumodo veriſimile ſit intereſſe taxatum: Verum bona venia dixerim hic eſt error manifeſtus; cum enim in dicta l. vnica mandetur iudicibus, vt per ſuam ſubtilitatem examinent, quantum re vera interſit; vtiq; conuentio partium nō poteſt derogare huic ſanctioni l. ius publicum ff. de pactis: Ergo alterum neceſſe eſt dicere; confeſſionem ſcilicet partium plenè probare, quod re vera tantum interſit creditoris; vel iudicem debere, nō obſtante hac conuentione, examinare rem iuxta modum ſibi præſcriptum; Primum dicere abſurdum eſt, quia iuris ratio non patitur, credi atteſtationi partiū in prohibitis: hoc eſt in ijs, quæ leges non reſeruant eorum poteſtati, vt intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 16. c. 48. nu. 4; & conſequenter non debemus id admittere in hac materia, quia aliàs aperta eſſet ianua latiſſima vſuris; debitores .n. hac ratione ſoluerent fœneratoribus vſuras ſub nomine intereſſe: Hacq; de cauſa Rota ſapienter, de more, deciſ. 52. nu. 5. p. 1. recent. admonuit nos, plurimum referre Reip. Chriſtianæ, ne credamus aſſertionibus partiū in ijs, quæ aperire poſſunt ianuam vſuris: Quid enim reſpondebimus hæreticis nos redarguentibus, quod vſuras exerceamus ſub nomine lucri ceſsantis, ſi fœneratores obtinebunt per ipſum id, quod deſiderāt? Obtinebunt autem, ſi ſuſcipiatur pro vera aſsertio debitoris affirmantis, tanti verè eius interfuturum eſse, ſibi moram factam iri, quanti voluerit fœnerator, eum exprimere: Inſuper aſsertio debitoris in ijs, quæ pendent ex circunſtantijs ab eo ignoratis, vtiq; verſatur circa id, quod ſcire non poteſt; quomodo ergo poterit iudex, qui debet verſari ſubtiliter hac in re, ſuſcipere pro vera aſſertionem debitoris taxantis intereſse, cum id dependeat ex ijs euentibus futuris, quos præuidere non poteſt, & ex ijs circunſtantijs, quas perſcrutari non valet, cum ſpectent ad patrimonium, & negotiationem debitoris? Cum ergo apud iudicem valere non debeat taxatio intereſse; vtiq; debet perſcrutari rem æquè, ac ſi non interueniſſet, & conſequenter ſuperuacaneum eſt pactum huiuſmodi; ars autem, & natura non admittunt ſuperflua maximè in ijs, quæ obeſse poſsunt.

64 Quartò dico, duas eſse quæſtiones in propoſito, prima eſt, an pactum taxans intereſse velut vſurarium pactum ſit ſic ſuſcipiendum, ita vt ſubijciat creditorem pœnis fœneratorum: ſecunda an vllam habeat vim ad probandum intereſse, cū agendum erit de eo ſoluendo: in primo caſu verſantur Doctores admittentes ipſum, ſi fuerit veriſimile, non autem in ſecundò, vt ex eo liquet, quod paſſim docent, non obſtante hoc pacto, creditorem probare debere, quatenus ſua, re vera, interſit ob moram debitoris, vt intelliges ex ijs, quæ ſcribunt *Farinaccius conſ. 15. nu. 14. cum ſeqq. nu. 23. & nu. 30. cum ſeqq., Rota apud eundem Farinac. poſt 2. vol. conſiliorum eius deciſ. 331. nu. 4. cum ſeqq. Surdus conſ. 327. nu. 54. & 55, conſ. 485. n. 6. Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. num. 57. & ſeqq. Theſaurus lib. 3. q. 71, Gratianus c. 387. nu. 10. cum ſeq. Menoch. conſ. 1027. nu. 4. & 5, Gaitus dict. tit. 7. nu. 1690. verſ. quarta opinio, & n. ſeq. Peregr. conſ. 85. num. 14. lib. 3*; Sicq; in propoſito conſiderat Fœlicius de ſociet. c. 24. n. 70.: Quodq; aſsertio partium circa quantitatem intereſse nihil valeat ad probandam eius quantitatem, euincit certiſſimum illud iuris principium, quod in prohibitis negligatur confeſſio partium, de quo ſupra lib. 16. c. 48. nu. 4, & alia quæ propoſui numero antecedenti, ideoq; caueas, ne huc trahas eas doctrinas, quę verſantur circa eas materias, quę carent ſuſpicione vſuræ; quod nēpe ſtetur iuramento eius, qui dānū paſſus fuit, quia eſſet æquiuocatio manifeſta, æquiparare in propoſito materias huiuſmodi, cum indubitatum ſit iuris principium, quod nihil prorſus credatur partibus in ijs materijs, in quibus non eſt liberum paciſci, ne per indirectū obtineant, quod directè conſequi non poſſunt, cū per hoc fraus euidenter legi fiat: adeas Fœlicium de ſociet. c. 24. nu. 79. ne putes autem, eſſe aliud obſeruandum in foro conſcientiæ: non debet .n. confeſſarius credere pœnitenti in ijs, quæ poſſunt eſſe damnoſa alteri, ſi veritatem pœnitens ex alijs ſcire valeat, & facile decipi poſſit: debebit ergo confeſſarius eū admonere, vt vocato debitore, ſimul ſic examinent veritatem lucri ceſſantis, vt plus non retineat eo nomine, quam verè ſibi debeatur: Nihil ergo prorſus valent eorum campſorum pacta, qui conueniunt, vt ſuo ſtetur iuramento circa damna, expenſas, & intereſſe, euidenterq; fœneratitia ſunt, cū in ipſis contineatur, ne poſſit contrarium probari; cum autem hoc iniuſtitiam contineat euidentiſſimam, & facultatem tribuat exercendi fœnus improliſſimum, puto, neminem bonum campſorem vſum vnquam fuiſſe pacto adeo iniuſto: ideoq; ſatis erit, ad oſtendendum animum fœnerandi, tali pacto conuenire cum debitore cambij, qui non ſit facilis ad cōflandam pecuniam, quam reſtituere debet, prout ſunt ij, qui à negotijs abſtinent, oppida, Ciuitateſq; per cambia acquirentes magnam pecuniarū ſummam; hoc enim in caſu campſor clarè intelligit, valde difficile eſſe eis, conflare pecuniam eiuſmodi, ſibiq; magnam supereſſe ſpem, in longum trahendam eſſe reſtitutionem debitæ pecuniæ, cum magna ſumma ſit, & ipſe abſtenturus ſit ab interpellando seriò debitore: hoc enim efficit, vt miniſtri oppidi, vel Ciuitatis debitricis occaſionibus vrgentibus applicent pecunias præ-

ſentes,

ſentes, de eo debito minime cogitantes, cuius gratia nullam, in præſentiarum, patiuntur moleſtiam.

65 Quintò dico, in obſcuris nos ſequi debere id, quod veriſimilius eſt, aut plerunq; accidit l. in obſcuris de reg. iuris: Cum itaq; noceat exiſtimationi, & patrimonio campſoris, omittere occaſiones cambiorum licitorum, vt cambia ſicca ineat cum pacto conſequendi queſtum, quem ex cambijs licitis feciſſet, vtiq; inueriſimillimum eſt, id eum facere abſq; magna cauſa; & proinde requiritur probatio valde clara, quod id fecerit iuxta doctrinam c. quia veriſimile de præſumpt.: Nocet exiſtimationi, quia boni viri abſtinent, quantum poſſunt, ab ijs, quæ ſuam poſſunt denigrare exiſtimationem iuxta Diuinum oraculum *bonum nomen diuitiæ multæ*: quod multò magis obſeruandum eſt exercentibus cambia, cum ſit ars nimis ſuſpecta, vt oſtendunt teſtimonia ſcriptorum huius materiæ, de quibus inferius n. 116. cum ſeqq.: Iactura autem exiſtimationis eſt certa, quia apparet, eum iniuiſſe cambium ſiccum; cauſa autem, cur id fecerit eſt occulta, cum non appareat, eum verè omiſiſſe occaſiones idoneas exercendi cambia licita, & ipſum habuiſſe cauſam idoneam, ea omittendi, vt rem gratam ei faceret, cum quo cãbium ſiccum contraxit.

66 Patrimonij verò iactura eſt euidens; nam in primis nocet campſoribus, allegari poſſe, eos cambia ſicca inire conſueuiſſe, cum ſoleant DD. ex ſolito contrahendi conuentiones fœneratitias magnam deducere præſumptionem fœnoris, vt intelliges ex DD. in c. ad noſtrã de empt. & vend. & in alijs plurimis locis, de quibus Farinac. de falſitate q. 162. nu. 169: ſi quis enim dixerit, campſorem poſſe oſtendere, cum opus erit, ſe tunc temporis omiſiſſe cambia licita, replicatio eſt parata, id valde difficile eſſe, vt mox oſtendam: cũ itaq; campſores exerceant artem periculoſiſſimã vt conſlent pecuniam, ſtultitia manifeſta eſt putare, eos abſq; vrgentiſſima cauſa, inire ea cambia ſicca, quæ ſibi non afferant plus vtilitatis, quã cambia licita attuliſſent, cum intelligant, inde poſſe ſibi oriri magnas difficultates in defendendis in iudicio illis cambijs, quæ difficultatem patiuntur, quorũ multa exercere ſolere campſores, hæc noſtra diſputatio euidenter oſtendit.

67 Secundò pati poteſt iacturam patrimonij huiuſmodi campſor; quia ſibi verendum eſt, ne debitor allegaturus ſit, cum voluerit eum vrgere ad ſolutionem debiti, cambium eſſe ſiccum, & pactum de ſoluendo ei intereſſe eſſe vſurarium, cum non haberet occaſiones licitorum cambiorum: quis enim putauerit, eſſe adeo ſtultum aliquem cãpſorem, vt velit omittere ea cambia, quæ nullã patiuntur dubitationem, vt ſe ſubijciat incerto euentui conſequendi id ſolum, quod ſine difficultate erat conſecuturus ex negotiatione iuſta? Neceſſe ergo eſt allegare, & probare cauſã veriſimilem, cur id fecerit campſor: nullam autem aliam inueneris præter hanc, quod arctiſſimo iunctus fuerit vinculo ſanguinis, aut amicitiæ cum eo, cũ quo cambium ſiccum contraxit: remota autem hac ratione, vix eſt, imo ne vix quidem eſt, vt accidere poſſit, campſorem omiſiſſe exercere cambia licita, vel alias negotiationes iuſtas, vt cambium ſiccum cum eo iniret, qui ſibi promiſit lucri ceſſantis compenſationem.

68 Vt verò detegam impoſturas, quæ hac in re latent, ſcias, malam eſſe conſequentiam, tempore contracti cambij illiciti habebat occaſionem cambij liciti, ergo probata eſt intentio campſoris: Cambia enim ſoluuntur in nundinis, vel loco deſtinatæ ſolutionis; & proinde opus eſt, oſtendere, noui cambij occaſionem deinde extitiſſe: Et ſi autem in cambijs nundinarum non ſit neceſſe id probare, quia tacitè agitur inter eos, vt ſequatur recambium, non poteſt tamen id dici de cambijs, quorum ſolutio deſtinata fuit alio in loco, quam in nundinis cambiorum. In cambijs autem nundinarum, litteræ quidem recambij mittuntur ad campſorem: verum non propterea ſequitur, eum habuiſſe nouam occaſionem ineundi cambij cum perſona idonea fide, & facultatibus; & proinde opus eſt probare, ſingulis nundinis occaſionem huiuſmodi extitiſſe, quod difficillimum eſt, ne dicam impoſſibile clarè probare: cum multa impedimenta ſint, & maximè circa diuerſitatem precij ſcutorum *di marche*, & circa eam mercedem, quam appellant *la prouiſione*, & deniq; quia ſæpe accidit, eos ſinere ob ſpem maioris lucri, appropinquari nimis tempus nundinarum; adeas Iuſtinianum de cont. camb. q. 8. nu. 1, & 8, Raphaelem diſp. 1. q. 1. in prolegom. nu. 34, q. 24. num. 4. cum ſeqq. & nu. 54. verſ. ad ſecundum, qui locus videndus eſt omnino ijs, qui concipiunt interrogationes proponendas teſtibus campſorum productis ad probandum, extitiſſe occaſiones cambiendi; videndus eſt etiam eadem diſput. quæſt. 8. in fine, inſuper incertum erit, an contracturus eſſet illud cambium, quod potuit contrahere; nam experientia quotidiana oſtendit in campſoribus prudentibus, frequenter contingere, magnas nummorum ſummas, domi manere otioſas. Dices, hæc reddere impoſſibile, probare lucrum ceſſans, de quo agitur, & proinde ſatis eſſe debere, campſorem huiuſmodi exercuiſſe alias ſuas pecunias ſub cambijs: nugaris mi homo; cum enim debeamus occurrere fœneratoribus, qui ſub ſpecie cambiorum fœnus exercent, non debemus cum ipſis benignè verſari: benignè autem verſaremur, ſi concederemus id pro lucro ceſſante, quod ceſſauiſſe plenè non conſtat: Cur autem huiuſmodi difficultatem ſubierunt omittendo negotiationes licitas? vtiq; fateberis, eos ſpe maioris lucri cambia ſicca iniuiſſe, cum eorum queſtus certior ſit, quam eſſe illius cambij iuſti, quod paratum habebant, nam per recambiũ huiuſmodi contractus finiebatur: Mala autem conſequentia eſt, exercuit ſub cambijs licitis alias ſuas pecunias; ergo has etiam exercuiſſet, niſi probatum fuerit, illos, qui cambia huiuſmodi inierunt, alias quoq; pecunias ab ipſo fuiſſe eiſdem conditionibus accepturos ſub cambijs, & campſorem fuiſſe eas iiſdem conditionibus traditurum: Ea enim eſt negotiatorum conſuetudo, vt partem ſuarum pecuniarum cum mediocri queſtu exerceant, alias autem apud ſe, ob ſpem maioris lucri retineant: ſolent & cãpſores à Titio accipere per cambium mille aureos, quia ſciunt, ſe poſſe ijs ſatisfacere nouo contracto cambio, maiorem ſummam non recepturi, cũ verean-

vereantur ne poſtulet, ſibi ſolui pecuniam numeratam *ne ritorni di fiera*, aut eum poſtulaturum eſſe litteras cambij ſoluēdi in locis ſibi incommodis. Inſuper conſiderandum eſt, quod cambia *con la ricorſa* poſſunt in pecunia numerata ſolui in nundinis; & poteſt accidere, vt debitori cambij id expediat; quo caſu veriſimile eſt, id ſecututum eſſe ſi poſſit id facere: Dum ergo dicit campſor, ſe habuiſſe paratos campſores, qui erant, vt ipſi dicunt, *bone lettere*; qui ſingulis nundinis erant accepturi per hoc genus cambij huiuſmodi pecunias, incertum reddit recambium, quia ſupponit, eis fuiſſe facile ſoluere cambium in nundinis in pecunia numerata, quia nemo teſtificari poteſt, ipſis non expediuiſſe ſoluere cambium in nundinis in pecunia numerata: Opus eſt ergo, vt dicat, ſe contenturum fuiſſe, ne id fieret, quod non ſuffragatur duplici de cauſa, primò quia hoc reddit cambium vſurarium euidenter, ſecundò quia non poteſt probari, eos ſub hac conditione fuiſſe inituros cambia, cum ſit valde inſolitum.

69 Conſidera inſuper, quod poteſt cambium *con la ricorſa* ſolui in nundinis in pecunia numerata: Itaq; quæro à campſore; dicis te habuiſſe occaſionem exercendi pecuniam tibi debitam ſingulis nundinis, intelligis ne etiam de cambijs, quæ ineuntur in ipſiſmet nundinis? ſi affirmabit, ab eo quæram, ſingulæ nundinæ habent ne multas paratas occaſiones ineundi cambia per numerationē pecuniæ cum campſoribus idoneis ſide, & facultatibus? nemo vtiq; campſoriæ artis peritus id affirmaturus eſt de ijs nundinis, quæ inſtitutæ fuerunt gratia cambiorum, non autem mercium: Quomodo ergo poterit probare, quod ſingulis nundinis, quo durauit continuatio cambiorum, ſe potuiſſe cum pecunia numerata contrahere in ipſis cambia afferentia ſibi eam vtilitatem, quam ex recambijs capere ſtudet? hoc nunquam per teſtes veridicos eſt probaturus: neceſſe eſt ergo, vt dicat, ſatis mihi eſt, probare, quod Genuæ adfuerunt occaſiones contrahendi cambia pro nundinis: Ego autem rurſum eum interrogabo, putabas ne, eos in nundinis fuiſſe numeraturos pecuniam debitam ex cambio, cum quibus dicis, te potuiſſe inire cambia? ſi affirmauerit, deſtruit ſuam probationem: ſin autem negauerit, fatebitur, ſe fuiſſe paratum contrahere cambia cum ijs, quos putabat, non eſſe ſoluturos pecunias in nundinis; & conſequenter fundat lucrum ceſſans ſuper queſtu cambiorum illicitorum, & per hoc fatetur, ſe eſſe dignum pœnis fœneratorum.

70 Hanc verò doctrinam, quod debeat apparere veluti certum, vel quaſi certum, quod campſor, qui contraxit cambia ſicca, eſſet contracturus cambia legitima ex ijs pecunijs, quas erogauit in cambijs illegitimis, quando aſpirat ad lucrum ceſſans, docent ſcriptores huius materiæ paſſim. *Caietanus de cambijs c. 1. ante verſ. dubia, Sotus de iuſt. & iure lib. 6. quæſt. 11. artic. 2. in clauſula ſed oſtendendo, Nauarrus in manuali c. 17. nu. 292, Molina diſp. 404. nu. 5. Toletus lib. 5. c. 52. num. 3, Leſſius c. 23. dub. 9. nu. 82, & 83, Scaccia de cambijs §. 1. q. 4. nu. 41, Rota deciſ. 315. num. 6. p. 2. diuerſ. & apud Zacchiam de oblig. camerali deciſ. 31. num. 11, Comitulus lib. 3. reſponſo 15. col. finali verſ. poſtrema Iuſtin. de contin. cambiorum q. 6. num. 2, omnino videndus P. Candidus p. 1. diſquiſ. 20. artic. 9. dubio 4. dub. 11. dubit. 3, Franciſcus Fabronus apud Amatū deciſ. Ferrar. 45. nu. 91, Bonaccina de contract. diſp. 3. q. 4. de cambio puncto vnico nu. 22. verſ. niſi certò moraliter, Io. de Salas de cambijs dub. 22. col. 2. nu. 2. verſ. dico ſecundò, & col. 4. in fine, Salon de iuſt. & iure tit. de cambijs artic. 4. contr. 3. nu. 4. in clauſula dices ibi fateor Laymanus in opere morali ſect. 5. tract. 4. c. 19. col. penultima poſt principium verſ. verum tit. iſte, Philippus Faber de reſtit. diſput. 47. num. 301 à Moiſeſius in ſecund. part. ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. nu. 27; Duardus de cambijs §. quæſt. 46. nu. 18. Scortia ſuper conſtit. Pontific. theoremate 308. verſ. ſi verò, & iudicialiter, Card. de Lugo diſp. 28. ſect. 8. nu. 109. in fine, idem ſcripſi ſupra lib. 22. c. 31. num. 4, & 5:* Hæc autem doctrina reſpondet nomini lucri ceſſantis; dum enim creditor aſpirat ad ipſum narrat, ſe ſe amiſiſſe lucrum, quod erat facturus, ſi debitor non fuiſſet moroſus: ergo debet probare id, quod dicit pro fundamēto, ſuæ intentionis l. 2. ff. de probat.; & quidem concludenter, prout eſt capax ſubiecta materia: non modo quia ratio iuris reſpuit probationes concludentes per poſſibile, vt not. per DD. in c. præſentia de probat. & alijs in locis, de quibus Surdus deciſ. 260. nu. 9. & 10; maximè in hac materia, vt oſtendi ſupra n. 26, & 27: Sed ēt quia debemus occurrere fraudibus fœneratorum, qui in cambijs extorquent vſuras ſub ſpecie lucri ceſſantis, vt nos admonet Pius V. in ſua conſtitutione de cambijs; exercentes enim hanc artē vſurariæ prauitatis ſuſpicione laborant, vt docent paſſim ſcriptores huius materiæ, quorum dicta recenſui infra n. 116. cum ſeqq. Hanc verò doctrinam diligenter nota pro illis, quę cāpſores ineunt pro duobus puta aut mutuis tribus menſibus cum pacto in caſu moræ accipiendi pecunias per cambia, de quo dixi ſupra.

71 Sextò dico, quod campſor allegat, ſe ob moram debitoris cambij omiſiſſe illum queſtum, quē alias erat facturus: ergo allegat, ſe non habuiſſe pecuniam numeratā, qua poſſet contrahere huiuſmodi cambium, & conſequenter debet id probare plenè iuxta regulam l. 2. ff. de probat. quæ procedit etiam in negāte id, quod coarctatur ad certum locū, ac tempus, vt ibi not. gloſſa, & cum ea DD. omnes: ea adeas, quæ *ſcripſi ſupra lib. 22. c. 31. nu. 5. nec non DD. allegatos à Scaccia §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. nu. 78. nu. 246, Rebellium lib. 8. q. 6. nu. 6, Menoch. conſ. 1180. nu. 22, Putheum deciſ. 231. lib. 1. in correctis alias 237, Gratianum c. 987. nu. 24:* Eò autem magis hoc obtinere debet in caſu noſtro, quia campſor poteſt facillimè, editis ſuæ negotiationis libris, oſtendere, ſe ſe tunc temporis omnem pecuniam negotiationi deſtinatam in cambijs collocauiſſe: hoc autem non vult facere, quia appareret ex libris huiuſmodi, veritas: adeas l. non eſt nouum C. edendo, Rotā p. 1. recent. deciſ. 52. nu. 7. & ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 17. c. 25. cum verò contractus interim appareat vſurarius, merito dicemus, eſſe locum clementinæ vnicæ §. 1. de vſuris: Nec refragantur ea, quæ ſcripſit Scaccia dicta ampliat. 8. n. 255. & ſeqq.: in primis enim admittit num. 260, in foro conſcientiæ hanc doctrinam procedere, & conſequenter admittit, ipſam eſſe veram per ſe: ſecundò loco dicit, hanc negatiuam non poſſe conclu-

denter

Digitized by Google

denter probari, quod refellitur ex dictis; cũ ſuos edẽdo libros negotiationis, apparere poſſit facillimè, an apud eum remanſerit tunc temporis pecunia otioſa ex ea, quam negotiationi deſtinauerat; & quia ſibi debet imputare hanc difficultatem, cum ſe ipſum ſponte in eam coniecerit l. 2. §. 3. verſ. neq; iterum ff. ſi quis caut.: Tertiò inquit, Genuæ concedi indiſtinctè campſoribus cõpenſationem lucri ceſſantis, etiam ſi non probauerint hanc negatiuam, vt ipſe docuit eadẽ gloſsa nu. 244: verum animaduertendum eſt, quod eo tempore, de quo agit Scaccia, ſeruebat Genuæ ars campſoria vt teſtatur Raphael, diſp. 3. q. 10. nu. 21.; & proinde non eſt admittenda hodie huiuſmodi praxis, cum diminuta ſic fuerit frequẽtia cambiorum, vt nulla ſit frequentior Genuæ querela, quam difficile nimis eſse, inuenire in cambijs debitores idoneos fide, ac facultatibus: ne autem contendas, huiuſmodi praxim abſolutè receptam fuiſse, illud efficit, quod verſamur in materia vſuraria, in qua cõſuetudo negligitur c. finali de conſuetudo, & quia vſus Genuenſium, juris rationem euertere nõ poteſt in alijs regionibus; nota autem hanc doctrinam pro illis mutuis factis à campſoribus, vt liceat ipſis in caſu moræ accipere pecunias per cambia, de quibus dixi ſupra.

72\. Septimò dico, cambia ſicca, in quibus non fuit taxata cẽrta quantitas, maius lucrum afferre, non tam reſpectu durationis, quam reſpectu precij, quo emũtur ac vẽduntur ſcuti *di marche*; & proinde, dubio procul, ſunt magis proficua campſori quam ſint cambia licita: Hoc poſito, ſi apparuerit, campſorem iniiſse alia cambia ſicca, rectè allegari poterit regula ſemel malus, ſemper preſumitur malus eodem genere mali: & conſequenter dicemus, ipſum paratum fuiſse principaliter ad cambia ſicca, per accidens autem ad cambia licita, nam agens agit propter finem: Non poteſt ergo dici, eum omiſiſse cambia licita alia ratione, quam quia ſuus finis erat queſtum maiorem præferre minori, omiſsa conſideratione, an cambium ſit ſiccum, vel reale: non debemus ergo dicere, ceſsare ei queſtum licitum ex culpa debitoris, ſed ex ſua propria deliberatione, quia iam conſtituerat, preferre cambia ſicca realibus: Si ergo ſua ſponte repudiauit lucrum cambiorum licitorum, qua ratione nunc illud poſtulat? Dicã clarius, debemus vtiq; conſtituere differentiam inter fœneratores, & iuſtos negotiatores, ita vt horum conditio ſit melior: ergo non poteſt admitti allegatio fœneratoris, qui iniuit contractum vſurarium, dum cogitur imputare in ſortem vſuras, quod ſibi erant paratæ occaſiones exercendi ſuas pecunias in negotiationibus iuſtis; quia tunc melior erit fœneratorum conditio: ſi enim res ſibi fuerit cum ijs, qui patienter ferant ſuam crudelitatem, fœnus ſecurè exercebunt: ſin autem cum ijs cõtraxerint, qui eorum voracitatem compeſcere valeant, obtinebunt illum queſtum, quem iuſti negotiatores conſequi ſolent: Etiam ſi ergo admittamus opinionem recentium, quam expugnaui, vt lucrum ceſsans debeantur ei, qui intuitu proprij commodi principaliter adimit ſuæ pecuniæ deſtinationem ad mercaturam, non tamen admittere poſsumus, eum, qui magis deſiderat fœnerari, quam exercere cambia iuſta, adimere ſuæ pecuniæ deſtinationem ad iuſta cambia, quia eam non habet per ſe, ſed per accidens; id eſt deficiente occaſione cambiorum ſiccorum, cum hæc deſideret per ſe, realia autem per accidens, vt ex ijs intelliges, quæ ſcripſi *d. c. 13. n. 37. cũ ſeq. lib. 9: Ad confirmationem autẽ huius ratiocinationis adeas Fabianum de cambijs c. 6. nu. 38, Scacciam §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. nu. 22, Gaitum d. tit. 7. n. 1769. cum ſeq. nu. 1791. & ſeq. Mich. Salon de cambij artic. 3. controuerſia 20. nu. 9. verſ. quod ſi nullum & artic. 4. contr. 3. nu. 4. verſ. ſed dices.*

73\. His diligenter perpenſis apparebit, difficilè nimis eſſe, campſorem probare requiſita lucri ceſſantis à Doctoribus communiter recepta, vt non immerito dicamus, id eſſe cãpſoribus difficilius, quam in alijs contingat negotiationibus, vt admonui ſupra lib. 22. c. 31. n. 5: idem ſcripſerunt *Mercatus de cambijs c. 9. num. 3, Salon de camb. contr. 20, nu. 9. propè finem verſ. quo fit, Medina tit. de acq. per vſuram q. 5. verſ. cambia multi, & verſ. habet autem: idem ſentit Card. de Lugo tom. 2. de iuſt. & iure diſput. 28, ſectione 9. nu. 121.*

74\. Poſtremo dico, ſic accipiendum eſſe lucrum ceſſans, vt poſſit diſtingui ab vſura: diſtinguitur autem fœnerator à iuſto negotiatore, quod ille magis deſiderat, debitorem idoneum eſſe in mora, vt conſequatur pœnam, hic autem plus deſiderat, conſequi ſuum in tempore, quam poſt tempus cum pœna, vt docet Scotus, & cum eo alij communiter, quos recenſui ſupra lib. 9. c. 13. nu. 35: Duo autem ſunt ſigna manifeſta, quod campſor magis deſiderat lucrum ceſſans, quam ſibi reſtitui ſuam pecuniam in tempore; primò quia eam tradidit illi, quem credebat, non eſſe eam reſtituturum in tempore: ſecundò cum prætermiſit, modis conſuetis ſuam, iudicis authoritate, recuperare pecuniam, cum venerit tempus reſtituendi eã: Veritas huius doctrinæ ex eo clara eſt, quod mutuans non poteſt aſpirare ad lucrũ ceſſans etiã poſt moram, vbi credidit mutuatarium non eſſe in tempore reſtituturum pecuniam *D. Antoninus tit. de vſuris c. 2. §. 15. nu. 30. Rebuffus ad l. vnicam nu. 619. verſic. ſecus ſi bene ſcirem C. de ſentent. quæ pro eo, quod intereſt profer. Bannes de iuſt. & iure queſt. 78, artic. 2. col. 8. verſ. item vſurarij ſunt Graſſius lib. 2. deciſionum aurearum cap. 106. nu. 12. Toletus in inſtruct. Sacerdotum lib. 5. cap. 32. verſic. ſecunda, vt Scaccia §. 1. quæſt. 7. par. 2. ampliat. 8. n. 186. verſic. ſecunda, vt mutuantibus,* & in ſpecie de campſore cambiente cum eo, quem credit, non eſſe in tempore litteris cambij ſatisfacturum, quod non poſſit aſpirare ad lucrum ceſſans, docent *Mercatus in inſtruct. mercatorum tit. de cambijs c. 10. nu. 2. verſ. purche; Salon de iuſt. & iur. diſputat. de cambio quæſt. 4. controuerſ. 14. nu. 4. in princip. & nu. 6 Cauatius de cambijs tit. de vſur. col. 5. verſic. aut poterat conſequi ſortem ibi ſibi debet tertia nu. 3, & nu. 4. verſ. hac concluſio, imputare. Salon rurſus artic. 4. contr. nu. 3.*

75\. Quod autem creditori negligenti in exigendo credito non debeatur lucrum ceſſans, eſt recepta opinio, vt poſt alios tradunt *Ruinus conſ. 104. nu. 10. lib. 4. Plotus de in litem iurando nu. 462. Pariſ. conſ. 64. col. 1. volum. 4. Rol. conſil. 55. nu. 18. lib. 2. Crauett. conſil. 189. num. 7. verſic. ſextus eſt caſus, Fabius Accorombonus Rotæ Decanus in quodam voto dato Paulo IV. S. Pontif. relato in praxi Auditoris*

Cameræ

Digitized by Google

Cameræ lib. 1. poſt cap. 23. nu. 7, 8, 9, & 10, Lupus de vſuris comment. 1. §. 4. nu. 88. Surd. de alim. tit. 1. q. 45. nu. 5. & nu. 12. ad finem num. 26. & conſ. 269. nu. 22. Alex. Raudenſ. conſil. 39 nu. 17. lib. pri., Mareſcot. lib. 2. variar. reſolut. c. 83. nu. 56. & 57., Abbas Vibagut. de vſuris quæſt. 18. nu. 34, Menoch. conſ. 441. nu. 25, 29, & 30, Surdus conſ. 94. n. 16. verſ. proteſtatio, & in ſpecie noſtra de cāpſore nō curante exigere ſortem à campſario non ſatisfaciente litteris cambij, quod non poſſit confugere ad lucrum ceſſans, docent *Menoch. conſ. 1181. nu. 13. Luppus de vſuris comment. 3. §. 2. n. 77. verſ. nec obſtat ratio, Cauat. de cambijs tit. de tempore colum. 1. & tit. de vſur. col. 6. verſic. quæro, an campſor, Romualdus Coli in ſimili tract. c. 14. in clauſula bene è vero, Salon de cambijs q. 4. artic. 28. nu. 14. & 15. omitto:* Hactenus ea propoſui, quæ excludunt campſores contrahentes cambia ſicca à lucro ceſſante, quæ apud pios, doctoſq; iudices tanti erunt ponderis, vt omnis ceſſatura ſit occaſio cāpſoribus irridendi nos, dum illum queſtum, quem faciunt per cambia, dicimus iniuſtum; tantundem tamen ipſis ſub pretextu lucri ceſſantis concedendo.

76 Hæc autem doctrina detegit calliditatem eorū campſorum, qui pecunias mutuas dant gratis cum onere reſtitutionis intra paucos menſes, & pacto, ſi non interuenerit, accipiendi pecunias per cambia &c. ſi enim negligentes fuerint in exigendo, pecuniaſq; acceperint ab alio cāpſore per cābium, perſeuerauerintq; in continuādis cambijs euidens eſt fraus; ſi enim verè deſiderauiſsēt habere ſuam pecuniam, debitor iudicis authoritate compuliſsēt ad eam reſtituendam. Operæ autem pretium erit, proponere caſum cauſæ illius Genuenſis ſupra commemoratæ, quem malè referunt Scaccia, & Gaytus, cum ad excludendum allegatum intereſſe mirum in modum vrgeat. Quidā Genuēſis habebat multa millia ſcutorū apud duos campſores, qui ad eius vtilitatem certa accepta mercede eos exercebant. Cum autem quidā eius ſororius magnum æs alienum magno ſub fænore contraxiſſet eum rogauit, vt ſibi traderet quindecim millia ex illis ſcutis vt ſe à graui illo fænore liberaret, oblata illi annua quantitate ſex ſcutorū pro centenis ſcutis. Conſulerunt Theologum ex ſocietate IESV clarum, qui reſpondit, id fieri poſſe attento quod pecuniæ mutuandæ, in cambijs tunc exercebantur penes campſores non minus idoneos fide, & facultatibus, quam eſset dictus ſororius, eſsetq; veriſimillimum, lucrum ex dictis cambijs percipiendum ad huiuſmodi quantitatē quotannis eſse peruenturum, & quod ad dictum mutuum faciendum mouebatur, non proprij commodi intuitu, ſed vt ſororium à fœnore grauiſſimo liberaret: Cum autem diu ille ſororius illam annuam quantitatem ſoluiſset; orta inter eos lite ſuper iuſtitia dicti contractus, res ad ampliſſimam Rotā Romanā delata fuit; Rota autē ea exactiſſimè diſcuſsa admiſit huiuſmodi pactum ob multas circunſtantias, quæ in dicto caſu concurrebant; & primò quia pecuniæ mutuatæ re ipſa exercebantur in cambijs, ex quibus conſtabat per veras probationes, mutuantem percepturum fuiſſe vltra dictam quantitatem; Secundò quia mutuum factum fuit intentione principaliter directa ad ſubueniendum mutuatario, cum ex parte mutuantis nulla extaret occaſio dubitandi, quod id feciſset ob proprium commodum; his circumſtantijs ſimul iunctis Rota admiſit huiuſmodi pactum, proteſtans ſe id non admittere quò ad caſus, in quibus omnes dictæ circunſtantiæ non concurrerent: Hæc inquam eſt ad vnguem facti ſpecies dictæ cauſæ, vt patet ex duabus deciſionibus in ea edis apud Marcheſanum exiſtentibus in prima parte ſuæ praxis vtriuſq; ſignaturæ fol. 888. cum ſequentibus.

77 Quod ſupra admonui, magnam exiſtere differentiam inter compenſationē lucri ceſsantia. quæ ei datur, qui mutuat admonito debitore, ſibi per hoc ceſsare lucrum; & eos qui contractus reprobatos ineunt, & ipſis declaratis illicitis confugiunt ad lucrum ceſsans, operæ precium erit confirmare: Subuenire illi, qui ſe priuat lucro propter proximum, iuſtiſſimum eſt, & æquiſſimam: Eos verò adiuuare, qui ſcienter ineunt contractus illicitos, hæc vetant. Primò quia iniuſti homines ſunt; niſi enim iudicis poteſtate fuiſſent coerciti, eam vtilitatem cæpiſsent ex iniuſto contractu, quam pacti fuerant. Secundò, quia ſuo malo exemplo alios excitant ad ſimiles contractus faciendos, ideoq; ſunt digni magna pœna l. 1. ff. de inſt. & iur.: Cum verò ſcriptum ſit, ea, quæ fiunt contra prohibitionem legis adeo nulla eſse, vt neq; ſtipulationes, neq; cautiones pro eorū firmitate adiectæ vllum robur habeant l. non dubium C. de legibus; nulla vtiq; actio eis poteſt competere ad poſtulādum lucrum ceſsans virtute conuentionum adiectarum reprobato cōtractui: ergo id debent poſtulare ex mero legis beneficio: Dupliciter autē eā id negare probatur, ex regula iuris, indignus eſt beneficio legis, qui legem offendit c. quia fruſtra de vſuris; & ex eo, quod ſcriptum eſt, per quæ peccat, per hæc & puniatur: ſi leges curant auertere ciues ab illicitis contractibus, debent adimere eis omnem ſpem capiendi ex ijs vtilitatem, ergo debent adimere ipſis ius poſtulandi lucrum ceſsans, quia ſub hoc clypeo liberius inibunt eos, cum ſciant, ſibi lucri ceſsantis compenſationē deeſse non poſse: Tertiò quia incerti ſemper ſumus, an deſtinauiſset eas pecunias contractibus licitis, dum apparet eum operam dare cōtractibus illicitis, non ſumus certi, inquam fuiſse ipſis deſtinatam, quia apparet, ob lucri cupiditatem eum negligere ſalutem animæ, & bonum nomen dum init contractum apertè illicitum: hoc autem deſtruit prætextū lucri ceſſantis, vt oſtendi ſupra lib. 9. c. 13. à nu. 40.

78 Expeditis probationibus neceſsarijs ad obtinendam compenſationē lucri ceſsantis ex parte campſoris, qui paſsus fuit moram in obtinenda pecunia ſibi debita, examinanda eſt campſorum acerbiſſima allegatio, quod ſibi liceat conuertere acceſſiones in ſortem, & ex integra ſumma noua conflare cambia, quod dicere ſolemus conſequi intereſse alterius intereſse: Hoc ius ſuū eſse, tanta audacia contendunt campſores, vt maiori non poſsent, ſi ſpecialem haberent pro ſe conſtitutionem gentium omnium conſenſu firmatam: hoc autem ius ipſis negant *Rota deciſ. 315. nu. 8. p. 2. diuerſ. Nauarrus in manuali c. 17. nu. 208. in fine, Coſta de portione rata quæſt. 142. nu. 14,*

Larrea

Digitized by Google

Larrea deciſ. Granatenſi 84. nu. 15. in fine; hocq; in legibus Caſtellæ aduerſus campſores ſancitum eſſe, ſcribit nu. 8, vbi pro hac doctrina inſuper adducit Matiencum, Azauedum: Ex profeſſo autem contra campſores diſputat Salon tom. 2. de iuſt. & iure tit. de cambijs q. 4. artic. 2. contr. 14, & cum eo Menoch. conſ. 1181. nu. 2, Romualdus Coli de cambijs c. 14. verſ. ſi augumenta: Cum his concordauerunt preſtantiſſimi illi viri, qui Romę taxauerunt pecuniam pro intereſſe cambiorũ ſoluendam; ipſi enim ſortis ſolius rationem habuerunt vt teſtatur Scaccia de cambijs §. 7. gloſſa 2. nu. 39. in fine, licet nu. 50. eorum authoritatem declinare ſtudeat dicendo, forſitan id contigiſſe, quia de hoc non fuerunt interrogati; quaſi quod non ſit abſurdum cogitare, id fuiſſe determinatum non auditis campſoribus, aut campſoribus id non veniſſe in mentem: concordant Molfeſius in 2. part. ſuæ ſummæ tract. 12. c. 7. nu. 113. Munoz. de ratiocin. c. 15. nu. 29. verſ. licet, Straccha de mercatura tit. de contract. nu. 4.

79 Allegant autem campſores, id vbiq; ſibi concedi, vbi ſua ars viget: qua in re primo diſtinguendum eſt, an res verſetur inter ipſoſmet campſores, vel cum alijs ab hac arte alienis: ſi primò modo id dicatur, rectè dicemus, non ligari populos ab ijs conuentionibus, vel moribus, quos campſorię artis profeſſores inter ſe introduxerũt: Sin autem res cum alijs actas allegauerint, diſtinguendum rurſus erit, aut ſine lite id contigit, aut per ſententias iudicum. Si verſemur in primò caſu dicemus, conuentiones, & patientiam eorũ, qui non valentes reddere campſoribus pecunias debitas ſine maximo damno, eas conditiones acceperunt, quas ſuorum campſorum voracitas ipſis dedit, non poſſe introducere conſuetudinem cæteris grauiſſimam l. de quibus ff. de legibus: Sin autem per ſententias iudiciales hæc contigerunt, diſtinguemus rurſus inter ea Tribunalia, quæ ab ipſis pendent campſoribus, & ea, quæ habent Iudicés à campſoribus non dependentes: In primò caſu rectè dicemus, neminem in propria cauſa iudicem eſſe poſse: communis autem cauſa omnium campſorum eſt, poſſe poſtulari à debitoribus intereſſe alterius intereſſe. Abſurdum ergo eſſet, ex horum Tribunalium abuſibus debere nos colligere conſuetudinem campſoribus fauentem in propoſita difficultate. Si verò agatur de Tribunalibus à campſorum authoritate non pendentibus, tunc dicemus, legibus non exemplis eſſe iudicandum l. nemo 13. C. de ſent. & interlocut. omnium iudicum, cuius deciſionẽ exornat Peregrinus conſ. 11. nu. 46, & ſeqq. lib. 3; nec poteſt colligi conſuetudo ex rebus iudicatis, niſi appareat, populo eas innotuiſſe, ipſumq; pro maiori parte tacitè voluiſſe, ſic in poſterum iudicari, vt intelliges ex ijs, quæ ſcripſi ſupra lib. 2. c. 11. lib. 4. c. 14. nu. 15; Mancuto conſ. 148. in fine p. 2, Rota apud D. Merlinum de legitima deciſ. 2. nu. 12, & docet D. Merlinus in combinat. Eò autem facilius erunt negligendæ ſententiæ, ſi apparuerint latæ hac in re pro campſoribus, quia ſuam potentiam coniungere ſolent quotieſcunq; in iudicio impugnatur aliquis ex vſibus ſuę artis, quia agitur de re ad omnes pariter ſpectante; & proinde grandium Tribunalium grauitas, & conſtantia potiſſimum lucet in expendendis per iuſtitiæ lancem fundamẽtis, vſuum artis campſoriæ, omiſſa conſideratione rerum iudicatarum non ſatis maturè ſecutarum; Si enim res mediocriter fuiſſet examinata, nunquam boni Iudices velut ius ſingulare agnouiſſent, licere campſoribus conuertere acceſſiones in ſortem, & ex vniuerſa ſumma queſtum nouum facere: Ars enim campſoria odioſiſſima eſt per ſe, cum nimis ſuſpecta ſit prauitatis vſurariæ, vt teſtantur ſcriptores huius materiæ, quorum dicta recenſui infra n. 116. cum ſequentibus; & quia in exigendis pecunijs ſibi debitis adeo acerbi ſunt, vt ex iuſtis negotiatoribus nulli poſſint, hoc nomine cum ipſis cõparari, vt intelliges ex ſcriptis ſupra n. 10.

80 Ad regulas ergo iuris confugiant campſores, ſi volunt audiri, dum aſſerunt, ſibi licere conuertere acceſſiones in ſortem, & ex vniuerſa ſumma nouum facere cambium: licet autem Cagnolus, Menochius, & non nulli alij putauerint, firmandam eſſe regulam, quod liceat conuertere in ſortem id, quod debetur propter lucrum ceſſans, receptiſſimum tamen eſt apud Doctores, in propoſito eſſe parem cauſam vſurarum, & intereſſe lucri ceſſantis; vt ſcilicet non poſſit conuerti in ſortem, vt per hoc lucrum ex eo creditores faciant; ſic autem reprobata cõtraria doctrina clarè ſcripſerunt *Ruinus conſ. 55. col. penult. vol. 2. Lupus de vſur. com. 1. §. 6. nu. 120, Franchus deciſ. 254. nu. 14. vbi teſtatur, Sacrum Conſilium hanc ſententiam ſequi. Morotius conſ. 65. nu. 3, Bolognetus ad l. vnicã C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt n. 123, & ſeqq. Anna conſ. 48. lib. 1, Gratianus c. 987. nu. 2. cum ſeqq. Honded. conſ. 50 nu. 28. lib. 1, Caſtillo controuerſ. forenſ. tom. 2. c. 1. nu. 55, Fælicius de ſociet. c. 24. nu. 60, & 61, Peregrinus conſ. 85. num. 28. lib. 3. Rodericus de annuis red. lib. 3. q. 7. nu. 28, & 29, Raudenſis conſ. 33. nu 63. cum ſeqq. lib. 1; Rota Genuenſis deciſ. 87. nu. 8. vbi dicitur ſic in ea iudicatum fuiſſe in verſ. dubitatum fuit, Martha voto 165. nu. 15, & 16, Bellonus conſ. 25 nu. 7, vbi teſtatur, Senatum Pedamontanum ſic paſſim iudicare, Rota deciſ. 301. nu. 20, & ſeq p. 5. recent. addentes ad deciſ. 17, Minandoi, vbi allegant varias deciſiones Sacr. Concilij ſecũdum hanc doctrinam editas, Fontanella decis. 204. nu. 2. cum ſeqq. Maſtrillus deciſ. 124. num. 30, Sperellus deciſ. 90. nu. 20, vbi dicit hodie videri temerarium recedere ad hac doctrina, Senatus Sabaudiæ apud Ant. Fabrum deciſ. 4, Larrea deciſ. Granatenſi 84. nu. 5. p. 2. Purpur. conſ. 282 nu. 3, Coſta de portione ratæ q. 142. nu. 4. cum ſeqq. Gutierez de tutelis p. 2. c. 9. nu. 36. verſ. reſpectu, Manentus conſ. 148. nu. 43. p. 2, vbi ſcribit, Duces Mantuę nunquam voluiſſe permittere Iudæis exigere intereſſe alterius intereſſe, Hermoſilla ad l. 10. tit. 1. p. 5. gloſſa 4. in add. in tract. de intereſſe nu. 280, Megalius de contratibus lib. 2. c. 6. nu. 29.: nullus itaq; bonus I. C. ab ea recedet.*

81 Et ſi autem ad excludendos campſores, in propoſito ſufficere deberet, Doctores, & vſum Tribunalium vetare ijs Mercatoribus, ſine quibus vllus populus ciuilis conſeruari non poteſt, conuertere in ſortem acceſſiones ipſis debitas propter lucrum ceſſans, ut ex ipſis lucri ceſſantis poſſint poſtulare compenſationẽ, ad eos tamen compeſcendos, qui probabilibus opinionibus modo ſuo conſtitutis anxiè ſtudent placere campſoribus, in primis conſiderandum propono id, quod clare ſancitur in dict. l. vnica C. de ſenten. quæ pro eo,

quod intereſt, vltra duplum crediti; per hoc enim hæc diſputatio ceſſabit, ſi cambia, & recambia tranſgrediantur ſummam principalis debiti, ſicq; docent Alciatus lib. 6. Parergon. c. 15. in fine verſ. qua ratione, Manentus conſ. 148. nu. 34. Verùm audio campſores clamantes, hoc eſſe peruertere artem ſuam, cum vbiq; accidat, eos hac ratione intra paucos annos longe, & largè vltra duplum augere pecunias, quas tradiderunt ijs, qui à negotiationibus alieni ſunt, conuertendo acceſſiones in ſortem in ſingulis cambijs, & recambijs: Hoc autem eſt id, quod bonos, & doctos iudices vehementer excitare debet ad tantam compeſcendam iniquitatem: quis vobis conceſſit eas leges tranſgredi, quæ vetant, id quod pro intereſſe poſtulatur, eo vſq; peruenire, vt per hoc creditor conſequatur vltra duplum ſui crediti? noſtræ artis dicent ipſi, ſtylus inueteratus id nobis indulget: Ergo ne miſerorũ debitorum infœlicitas veſtra immuni acerbitate oppreſſa à poterit inducere, fauore veſtræ artis illud ius, quod cæteris denegatur negotiatoribus ab vſuræ ſuſpicione alienis? Si valebit hæc argumentatio, fœneratoribus vtiq; licebit, ſuas corruptelas per cõſuetudinẽ ſuæ artis confirmare, nã & ipſi ſua habent inſtituta propria, quibus deuorant miſerè debitores. Quicunq; ergo allegauerit, campſores per conſuetudinem adeptos fuiſſe hoc ius, debebit confugere ad conſuetudinem generalem, vel ſpecialem, oſtendendo conſenſum gentium, aut maioris partis alicuius populi, hoc priuilegium abſurdiſſimũ campſoribus tribuiſſe: negligentur autem caſus ſingulares, niſi apparuerit, eos ſic à maiori parte populi fuiſſe approbatos, vt clarum ſit, voluiſſe idem obſeruari in poſterum: hoc autem nunquã probabunt, quia populus vehementer deteſtatur crudeliſſimas cambiorum continuationes: Tribunalium autem, maximè ſi à campſoribus pendeant, ſententias, & res iudicatas non ſuffragari in propoſito, intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 19. c. 40. nu. 8, & ſeq. nu. 25, & ſeq.: Ne offendantur autem campſores, quod eos fœneratoribus comparauerim; quia de ijs ago, qui continuationes cambiorum affirmant, poſſe excedere duplum pecuniæ, quam in primo cambio numerauerunt: nec pueris enim perſuadere poterunt, debitorem cambij, qui à mercatura ſit alienus, omiſſa numeratione pecuniæ pro recambio debitæ, nouum cambium eſſe contracturum bis, ter, quaterq;, ſi haberet paratam rationem ſoluendi in nundinis cambium in pecunia numerata: hoc autem remoto, cambium eſſe fœneratitium, negari non poteſt, ſi receptiſſimam, eamq; veriſſimã doctrinam magis, quam veſtros abuſus ſequi tandem placuerit, quæ docet, cambium eſſe fœneratitium cum campſor ſuſpicatus fuit, non eſſe numeraturum pecuniam in nundinis: receptiſſimã inquam, cum ab vno, quod ego ſciam, impugnetur Raphaele à Turri manibus innixo argumentis.

82 Secundò vobis conſiderandum propono eam doctrinã, quã anxius Aduocatus campſorũ Scaccia de re noſtra ſcribit §. 6. gloſſa 1. num. 82. ponens enim conditiones, propter quas campſoribus licet conuertere acceſſiones cambiorum in ſortem ait, id contingere, quia circa cambia tres illæ conditiones concurrunt, quæ in alijs idẽ admittunt cõmercijs, repugnando tamen receptiſſimæ, & veriſſimæ doctrinæ id abſolutè neganti: quas quæſo perpendamus, primam ſic exprimit: *primò requiritur, quod creditor certitudinaliter, & nõ per poſſibile paſſus fuerit intereſſe*: hoc autem quomodo tu poteris affirmare circa occaſiones cambiendi cum negotiatoribus, qui pecunias ſub cãbijs quærebant, cum ab ipſis non poſſit ſperari ea vtilitas, quæ habetur in cambijs initis cum ijs, qui ſunt alieni à negotiatione, niſi ſint modicæ fidei negotiatores? Secundam verò conditionem ſic exprimit Scaccia, *ſecundò quod quantitas intereſſe paſſi ſit certa*: Si autem in ineundis cambijs campſores inter ſe varijs precijs emunt ſcutos *di marche*, quomodo certum erit intereſſe, de quo agimus, cum nulla ratione poſſit concludenter probari, alium idoneum fide, & facultatibus fuiſſe ſingulis nundinis venditurum tibi ſcutos *di marche* eo pretio, quo tu emiſti à debitore recambij nõ habente, vnde tibi eius pecuniam numeraret, Cũ ex tempore hoc plerunq; pendeat? quò enim eſt remotior dies nundinarum, eo minori precio venduntur ſcuti *di marche*: Si circa eam mercedẽ quæ vocatur *la prouiſione* ſolent frequenter fieri conuentiones eam diminuentes dum agitur de magna ſumma pecuniæ in cambio comprehenſæ, quã ratione tu poteris plenè probare, inuenturũ te fuiſſe perſonas fide, & facultatibus idoneas, quæ cambia inirent abſq; eius diminutione? Si in nundinis infra precium taxatum plurima recambia ineuntur, quomodo tu poteris concludenter probare, inuenturum te fuiſſe perſonas fide, & facultatibus idoneas, quæ paſſuræ eſſent, recambia iniri in nundinis taxato precio ſcutorũ *di marche* iuxta ſummum eorum precium in loco deſtinatæ ſolutionis? Cũ .n. campſores, & alij mercatores quærentes pecunias ſub cambijs ſoleant circa hæc ex arte, hoc eſt callidè verſari; ſuã mentẽ perrarò detegunt proxenetis cambiorũ antequã venerit
83 tẽpus perficiendi cambij; *Tertiò ait Scaccia, quod commercium, ex quo procedit hoc intereſſe, ſit eius qualitatis, vt ſemper quando diſſolueretur, haberet promptam occaſionem renouandi*: Vt autem intelligas, hæc non conuenire arti campſoriæ, conſidera, ad tres ſpecies perſonarum eos redigi, qui per cambium, de quibus agimus quærunt pecunias: Prima eſt campſorum; hoc autem contingit tribus modis, primo quando habent paratas occaſiones exercẽdi huiuſmodi pecunias in cambijs vtiliter: hi autẽ accipiunt pecunias eo viliori precio, quo cambia eo loci exerceantur; idem accidit quando adeſt veriſimilis occaſio cambiendi eaſdẽ pecunias cum alijs, quod contingere non ſolet, niſi quando S. M. multa centena millium aureorum per viam cambiorum quærit; ſecunda cauſa eſt, cum quærunt ad ſuas trahere arcas maximam pecuniæ numeratæ partem, vt eam cũ alijs deinde cũ magna vtilitate cãbire poſſint: Hoc vero raro accidit, quia perpauci campſores pecunias habent huiuſmodi monopolijs faciendis neceſſarias: Tertiò id contingit, cum campſores verentur, ne res ſuæ pereant, de quibus non eſt in propoſito agendum, cum prudentes campſores ab ipſis abſtineant: hæc de campſoribus.

84 Ad mercatores me conuerto, quorum multi

ſolent

Digitized by Google

ſolent accipere pecuniam per cambia ſoluenda in ijs nundinis, ad quas ſuas mittunt merces: ſed hoc non ſpectat ad eas nundinas cambiorum, ad quas merces non deferuntur: ſecundò id accidit in mercatoribus, qui non valent ſuis ſatisfacere creditoribus, vel neceſſarias merces comparare, niſi quærant pecuniam per cambia: Hi autem rari ſunt, quia illi, qui multas merces diſtraxerunt habita fide de precio, habere facile poſſunt pecuniam paratam; cum enim ſingulis diebus ſic merces vendant, ſolent ſingulis diebus pecunias accipere a ſuis debitoribus: Non ego de Mercatoribus, qui accipiunt per cambia pecuniam, vt eam exerceant in mercatura; quia id perpaucis in locis contingit, cum valde magnum oporteat eſſe queſtum mercaturæ, vt expediat eam ſic exercere.

85 Ad tertiam ſpeciem me itaq; conuerto; hoc eſt ad eos, qui mercatura, & arte campſoria ſunt alieni. Ex his aliqui ſunt, quibus opus eſt habere in preſentiarum pecuniam numeratam, quam poſſunt quidem ex venditione ſuarum rerum conflare, verum id facere nolunt, cum certam habeant ſpem habendi paratos nummos tempore ſolutionis recambij: horum autem numerus rarus eſt, & eorum cambia finiuntur citiſſimè. Alij verò ex his ſunt, qui poſſent per venditionem annuorum cenſuum pecuniam, quam deſiderant, comparare, à qua tamen ratione abſtinent, quia non putant congruere id ſuæ exiſtimationi: hi quoq; rari ſunt, & eorum cambia non ſolent tres, vel quatuor excedere nundinas: Tertium genus eſt eorum, qui & ſi diuites ſint, ob ſumptus tamen magnos ſuos annuos reditus ſuperantes nō poſſunt facilè conflare pecuniam ſibi neceſſariam ex fructibus rerum ſuarum, nec ex venditione annuorum cenſuum, quia exiſtimantur difficilis exactionis; quia tamen verè diuites ſunt, reperiunt fideiuſſores idoneos apud campſores, eoſq; propterea adeunt, & ea cambia ineunt, quæ multis continuata annis eam pariunt dubitationem, de qua agimus: Ad hoc genus ſpectant Ciuitates, & Oppida inſignia, quando qualitas temporum fert, in multis ſumptibus grandibus inuolui: ſicut enim largiores ſumptus in ijs diuitibus, de quibus mox diximus, & negligens ratio adminiſtrandi patrimonij, tribuit occaſionem campſoribus perſeuerādi diù in renouandis cambijs, ita in Ciuitatibus, ac Oppidis ſumptus grandes frequenter occurrentes, preſens omnino pullulantes remedium, facile ſuadent, non cogitari de extinctione illius cambij, quod fortiter quidem, verum tacitè deuorat diuitias debitorum: Et hoc eſt illud, quod odioſiſſimos reddit Campſores apud bonos viros: Si enim ſeriò interpellarent debitores cambiorum ad ea ſoluenda, non ſequerentur miſeriæ illæ clades debitorum huiuſmodi cambiorum, quę accidunt paſſim: hoc quoq; eſt illud quod non permittit ſeparari hos campſores à fœneratoribus: proprium enim ſignum fœneratorum eſt, eo magis lætari, quò longiori tempore debitores eorum retinent ſuas pecunias, vt cum Scoto docent Doctores com. quos recenſui ſupra lib. 9. c. 13. nu. 35.

86 His diligenter perpenſis apparebit, tantum abeſſe, vt poſſit dici de arte cāpſoria, adeſſe ſemper occaſiones paratas cambiendi cum perſonis idoneis fide, & facultatibus, vt omnino dici debeat, in pleriſq; mercatorum, & negotiatorum ſpeciebus, euidentes exiſtere occaſiones comparandi merces ſibi opportunas; quibus tamen Doctores noſtri frequentiſſimis calculis negauerunt ius petendi intereſſe eius, quod ſua interfuit, moram ſibi factam non fuiſſe. Vnde autem errandi occaſio orta Scacciæ fuerit videamus: Didicit ipſe praxim Cambiorum Genuæ, dum eſſet eius Rotæ Ciuilis Auditor, quo tempore Sua Maeſtas cum negotiatoribus Genuenſibus paſſim contrahebat *partiti di millioni di ſcudi*. Cum enim ipſi non poſſent ex ſuo, maxima ex parte, Regi ſatisfacere, à Campſoribus magnis grādes nūmorum ſummas accipiebant ſub cambijs, hi autem à minoribus, ſicq; res gerebatur, vt omnes queſtum facerent: non deerant propterea vnquā tunc temporis occaſiones cambiendi idoneæ: Dupliciter ergo errauit hac in re Scaccia, primò dum ex ſtatu artis Campſoriæ Genuæ exercitæ deduxit regulam generalem, cum clarum ſit, maximam exiſtere quò ad hoc, differentiam inter Ciuitates, quæ habent hanc artem: ſecundò errauit, quia fundauit doctrinam generalem ſuper ea circunſtantia quæ facile poterat deficere, proue verè defecit vt intelliges ex Raphaele diſput. 3. q. 10. nu. 21: Equidem, multis ab hinc annis, nullam audiui frequentiorem querelam Genuenſiū, quorum plurimos Piſis, & in hac noui Regia Ciuitate Ticinenſi in patria habentes domicilium, quam eorum pecunias manere ocioſas, quia non inueniebantur perſonæ idoneæ fide, & facultatibus, cum quibus cambia poſſent iniri: Abſurdum ergo eſt manifeſtè, ſupponere, quod nunquam deficiant occaſiones campſoribus exercendi cābia cum debitoribus idoneis cum ea vtilitate, qua exercentur per cōtinuationes, de quibus agimus. Quod ſi interrogationes opportunæ colligentur ex hac mea diſputatione, eò deducentur proxenetæ, & alij teſtes campſorū, vt velint, nolint, ſuis teſtimonijs iugulent propriam exiſtimationem, vel ſuorum campſorum cauſas Scacciam autem non fuiſſet ſecutus Duardus §. 1. quæſt. 42. nu. 25., ſi hæc ei veniſſent in mentem.

87 Oſtendimuſq; errores patentes Scacciæ, dum anxiè fauet campſoribus: haud melius ſe ſe geſſit Dominicus Gairus; retinens enim ſuum perpetuum morem fauendi largiſſimè aſpirantibus ad lucri ceſſantis compenſationem d. tit. 7. n. 1489. cum ſeqq. hanc proponit in noſtra dubitatione distinctionem: Aut intereſſe debetur ex mora, aut ex promiſſione certa debitoris, eius quantitatem decernente: in primo caſu non debetur intereſſe eius, quod creditoris intereſt, in ſecundo autem caſu debetur; & proinde ſemper debetur in cambijs, quia in perficiendis nouis cambijs ſemper decernitur quantitas debita ob cambia antecedentia non ſoluta: Circa hanc diſtinctionem primo eſt not. eam reddere vanam receptā doctrinam, quia in poteſtate creditoris eſt, determinata quantitate intereſſe nouam extorquere promiſſionem: hanc autem cautionem vt euitaret Iuſtin. edidit l. vt nullo 28. C. de vſuris, vbi id apertiſſimè damnatur in vſuris, quarum cauſam in propoſito authores receptiſſimè ſen-

rentiæ eaq; parant cum intereſſe, explicitè hunc caſum damnando, quo per conuentionem in ſortem conuerterunt intereſſe; ex profeſſoq; hoc damnat Faber de error. pragmatic. decade 20. c. 3: abutitur autem Gaitus ſcriptis Fabij de Anna conſ. 48. nu. 19. cum ſeqq. cum de eo caſu agat, quo ſolutum fuit realiter intereſſe, & ipſe num. 31. ſic clarè ſuam reſtringit doctrinam: Abutitur etiã exemplo prouentuum annuorum cenſuum, quia non debentur veluti intereſſe, ſed per ſe, & abſolutè, vt declarant Franchus ab eo allegatus deciſ. 254. nu. 14. Griuellius deciſ. 103, Fontanella deciſ. 205. nu. 5; hoc autem non poteſt dici de intereſſe determinato ab ipſomet debitore, quia non promiſit per ſe, ſed propter lucrum ceſſans, huiuſmodi ſummam; & proinde non poteſt promiſſio aliter intelligi, ac dicta cauſa patiatur l. 2. §. circa primam ff. de doli mali, & metus exceptione: vt interim non omittam, irrationabilem eſſe hanc diſtinctionem, dum enim omittunt determinationem, quatenus creditoris interſit ſibi moram factam fuiſſe, vtiq; parent legibus non permittentibus hanc ipſis determinationem vt intelliges ex ſcriptis ſupra nu. 62. & ſeq.: Cum ergo in re par ſit ius, cur plus fauemus creditori, qui elegit viam reprobatam determinandi id, quod ſibi debetur?

88 Pari fœlicitate hanc diſtinctionem applicuit cambijs: in continuandis enim ipſis nulla vnquam fit mentio inter eos moræ, aut intereſſe; nã hoc modo res geritur: Campſor mittit ad nundinas primi cambij literas, inſtitor autem, reſponſalis, aut ipſemet campſor, ſeu eius ſocius, acceptatis literis ſcribit in libro cambiorum, ſe ſolu ſſe ſibimet debitos ex cauſa cambij ſcutos *di Marche*: Cũ verò debitor cãbij deinde non ſoluat in pecunia numerata huiuſmodi ſcutos intra tempus ſolutionibus cambiorũ ſtatutũ, ſcribit literas cambij ad debitorem pro quo ſoluit cambium, vt ſoluat tot ſcutos *di Marche* campſori, quot literæ cambij exprimebant, taxato in huiuſmodi literis valore dictorum ſcutorum iuxta decretum in nundinis publicatum ſuper precio eorum; addendo tamen eam ſummam ſcutorum, quæ ſibi debetur *per la ſua promiſſione*: Campſor autem receptis huiuſmodi literis, eas exhibet debitori, qui carens pecunia numerata, ad nouum cambium ipſum prouocat: cui hilariter conſentit campſor, quia tunc viliori precio ſcutos eos *di Marche* æſtimabit, ex quibus conflatur ſumma cambij noui ineundi; conſcribit itaq; epiſtolam cambij, quam campſor mittit ſuo tempore ad nundinas, vbi is, qui eam ſoluit, idem prorſus obſeruat, quod fuit obſeruatũ circa primum cambium: ſicq; res progreditur quouſq; adeo enormis ſumma conflata fuerit, vt eius vel ipſum pudeat campſorem; in cambiorũ ergo, vel recambiorum ſumma conflanda nunquã habetur conſideratio eius, quod interfuit campſoris, ſibi moram factam fuiſſe, nam literas cambij, quas pro ſolutione accepit, nulla interpoſita mora voluit à miſero conſcribi debitore: adeas Raphaelem diſp. 3. q. 9. Scacciam §. 7. gloſſa 2. n. 51. Nullus autem campſor vnquam tractabit de intereſſe in propoſito, ſed aget de ſcutis *di Marche* à ſe emptis, & ſibi ſoluendis in nundinis, & de ſcutis pariter *di Marche* debitis virtute recambij; quia ſcilicet fateretur, cambia, & recambia illicita fuiſſe; ſtultum enim eſſet, id quod ſibi clarè debetur per cambia licita, incertum reddere reuocando ipſum ad conſiderationem eius, quod ſua intereſuit, morã ſe paſſum fuiſſe; agitur autẽ de hoc, cum declaratum fuit, aut mox declarandum creditur, cambia illicita fuiſſe; tunc enim campſor conſcientia eũ admonente cambia fuiſſe illicita, confugit ad prætextum lucri ceſſantis, aut damni emergentis. Campſores itaq; ineunt quidẽ pacta ſuper intereſſe abſq; aliqua eius taxatione, vel cũ taxatione; nõ deuenitur tñ ad eius taxationẽ præciſã durante continuatione cambiorũ, quia ſingulæ epiſtolæ cambij ſic decernunt quantitatẽ debiti, vt nullam prorſus admittat dubitationem, ſi debitum per cambia, & recambia contractum fuerit legitimum; Diſſoluta autem negotiatione, ſi orta fuerit inter eos diſcordia, accidere poterit, vt ad certam deueniant taxationem, quę nouis det cambijs occaſionem, verum id rarum eſt; quod ſi accideret, erit determinandum iuxta dicta ſupra.

89 Veritatem receptiſſimæ doctrinæ nunc breuiter oſtendemus, deinde expendemus ea fundamenta quæ proponit Scaccia pro campſoribus §. 7. gloſſa 2. nu. 41. cum ſequentibus: Cum autem clarum ſit, vetitum eſſe, inito calculo vſurarum, eas in vnam ſummam vna cum ſorte coaceruare, & de ea coniunctim vſuras poſtulare l. vt nullo 28. C. de vſuris, difficultas in hoc conſiſtit, an id, quod ſancitum fuit circa vſuras, habere debeat locum in intereſſe, quod negant ſequaces partis contrariæ, quia vſuræ vetitæ ſunt iure naturali, ac Diuino, cũ tamen intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis omni iure licitum ſit, & eſt fauorabile, cum æquitas naturalis iubeat ei, qui ſua culpa damnũ intulit, vel lucrum impedit alicui, ei omnia reſtituere, quæ ipſi ademit; non reſtituet autem omnia, niſi reſarciat amiſſionem lucri, quod percepturus erat ex pecuniæ debitę acceſſionibus; Hęc eſt ſumma eorum, quæ afferuntur, vel probabiliter afferri poſſunt pro huiuſmodi ſententia, quæ ſpecioſa quidem valde ſunt, verum re ipſa ſub ſpecie æquitatis apertam nutrire iniquitatem mox oſtendam: ex quo patet Scortiam in conſilit. Pontificijs epitome 107. theorem. 289. inaduertenter nimis verſatum fuiſſe hac in re, dum putauit, ſatis eſſe probatum, acceſſiones cambiorum poſſe conuerti in ſortẽ, & ex ipſis poſſe nouũ conflari cambiũ, ex eo quod extinctis prioribus cãbijs, noua contrahuntur: quem tamen ad vnguẽ ſecutus fuit Diana tract. 8. de contractibus reſolut. 5. re, de more, leuiter perpenſa.

Dico in primis, clarè in iure noſtro deciſum eſſe, ne poſſit exigi intereſſe alterius intereſſe, quando per hoc cogeretur debitor ſoluere vltra duplum pecuniæ debitæ; nam hoc eſt deciſum clarè in l. vnica C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt profer. etiam in intereſſe damni emergentis: & proinde hæc diſputatio ſolum pertinebit ad eos caſus, in quibus quantitas intereſſe nondum exceſſit quantitatem debiti principalis; ſi n. eam exceſſerit, ceſſat diſputatio, an intereſſe alterius intereſſe debeatur, cum ſublato fundamento corruat ædificium.

91 Secundò dico, in l. finali C. de vſuris rei iudicatæ clarè

clarè deciſum eſſe, quod non poſſit peti acceſſio eius acceſſionis, quæ conceditur ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens, dum abſolutè vetat creditori habenti pro ſe rem iudicatam, aſpirare ad vſuras earũ vſurarũ, quæ ex die litis conteſtatę ei deberi iudicatum fuit: Cum enim facillimè accidere poſſet, vt creditor ſuis pecunijs exercendis vacaret, abſonum eſt dicere, id non veniſſe in mentem Imp.; & proinde non poteſt dici, hos caſus non compræhendi ſub lege iuxta regulam l. non poſſunt ff. de legibus, quam exornaui ſupra lib. 12. c. 41. nu. 3. cum ſeqq.: Quod melius intelliges perpendendo rationem huius conſtitutionis expreſſam in illis verbis: *Cum enim iam conſtituimus, vſurarum vſuras penitus eſſe delendas: nullum caſum reliquimus, ex quo huiuſmodi machinatio poſſit induci*: Vbi de vſuris agebatur debitis ei, qui rem iudicatam obtinnit, ibi agebatur de vſuris debitis ei, cuius pecunia, vel res retenta fuiſſet à debitore contra eius voluntatem; & per hoc agitur de ijs caſibus, in quibus propriè habet locum poſtulatio lucri ceſſantis, & damni emergentis: Ergo Iuſtiniani conſtitutio de vſuris vſurarum lata cõprehẽdit eos ẽt caſus, in quibus ideo debebãtur vſuræ, quia pecunia retinebatur contra voluntatẽ creditoris, alias nihil habuiſſet ſimilitudinis cũ caſu propoſito: Hoc autẽ in caſu nominabãtur quidẽ vſuræ ex pecuniæ, quæ ſoluebantur creditori; verũ non erant vſuræ formales quò ad eam partem, quam complectebatur conſideratio lucri ceſſantis, vel damni emergentis; Cum ergo abſolutè lex vetet ſtipulari vſuras vſutarum, clarè vetuit, id facere quò ad eam partem, quæ pertinebar ad lucrum ceſſans, & damnum emergens: Cum itaq; abſolutè prohibeat, initis calculis, conflari ſummam vnicam ex vſuris, & ſorte, vt ex ea promittantur vſuræ, vtiq; id etiam prohibuit quò ad eam partem, quæ ſpectat ad lucrum ceſſans, & damnũ emergens; alias eas partes ſeparauiſſet.

92 Æquitatem noſtræ ſententię nunc excutiamus: Dum dicunt, vſuras eſſe contrarias iuri naturali, ac diuino, benè dicunt per ſe; non autem inſpecta opinione authorum iuris ciuilis, qui id non credebant, quia nondum clarè deciſum fuerat à S. Eccleſia, & pleriq; ex ipſis erant Etnici: Ex ea enim veritate, quam nos profitemur, non eſt deducendum, odioſas apud eos fuiſſe vſuras legitimas; ſed eſt colligendum ex opinione, quam ipſi ſequebãtur, etiam ſi errarent, iuxta regulam l. quo loco §. 1. de hæred. inſtit. quam latè exornat Mantica de coniecturis lib. 3. tit. 10: eos autem habuiſſe velut odioſas vſuras legitimas nunquam oſtenſurus es: notanda autem ſunt illa verba Iuſt. d. l. finalis *ex quo huiuſmodi machinatio poſſit induci*: cum enim machinari ſignificet ea, quæ occultè fiunt l. 1. §. 1. ff. de dolo, non poteſt trahi commodè ad acceſſiones, quæ ex ijs inducuntur, quæ manifeſta ſunt; commodiſſimè autem applicatur acceſſionibus, quę inducuntur ſuper prætextu lucri ceſſantis, & damni emergentis, cum ex ijs dependeant, quæ occulta ſunt: Cum autem Imp. abſolutè id ſanciat, ſequitur, eum appellauiſſe machinationes, eorum poſtulationes, qui vltra ſortem aliquid poſtulant ſub prætextu lucri ceſſantis, & damni emergentis; & proinde probat hic textus, odioſas fuiſſe apud conditores iuris ciuilis has poſtulationes, quia facile in ipſis latere poſſunt machinationes fraudem facientes legibus non patientibus, creditores expectare acceſſiones à debitoribus vltra certum modum.

93 Perpendamus nunc lucri ceſſantis prætextum, quem recentes ſcriptores adeò facilè recipiunt: Ante Nauarrum omnes huius materiæ ſcriptores docuerunt, non eſſe locum lucro ceſſanti, ſi quis, intuitu proprij commodi ſuam pecuniam auerterit à mercatura, & emptione rerum, quæ fructum erant ſibi redditura; Nauarrus autem dixit, hoc non eſſe neceſſarium, ſed ſatis eſſe, quod pecuniã deſtinauiſſet negotiationi, vel emptioni rerum ferentium fructum, per hoc docendo, eos, qui proprij commodi intuitu principaliter id fecerint, poſſe aſpirare ad lucrum ceſſans; quam tamen ſententiam deinde mutauit, velut paradoxicam, & clarè aduerſantem primis principijs huius materiæ: Hæc omnia vera eſſe oſtendi ſupra lib. 9. c. 13: Superuenerunt deinde multi ex recentibus ſcriptoribus, qui non animaduerſis difficultatibus doctrinę Nauarri, eam ſecuti fuerunt adeò quidè, vt clarè ſibi contradixerint in ſuis principijs ut eo loci oſtendi à n. 45. ad n. 57: & hoc capite n. 47. cũ multis ſeqq.: Hæc cũ ſic ſe habeant tu affirmabis, eſſe fauore dignum hoc intereſſe? Receptiſſimum eſt, ceſſare prætextũ lucri ceſſantis, ſi negligens fuerit creditor in exigendo eo, quod ſibi debetur, vt intelliges ex authoribus allegatis ſupra nu. 83, & 48: tu autem affirmabis, eſſe fauore dignos eos, qui non curant conſequi ſuũ ab eo, qui ſibi acceſſiones præſtat annuas ſub colore lucri ceſſantis? Ea eſt differentia inter fœneratores, & eos, qui iuſtè negotiantur, quod illi deſiderant magis, obtinere acceſſiones, quæ ſibi promiſſæ fuerunt, quam ſuum, hi autem è contra, vt cum Scoto docent com. Doctores, quos recenſui lib. 9. c. 13. nu. 35; tu autem putabis, eſſe dignum fauore, tribuere ius poſtulandi compenſationem lucri ceſſantis ei, qui ſui commodi gratia, deſiderat ſuas pecunias retinere ab eo debitore, qui eſt idoneus fide, & facultatibus? S. Põtifex in c. in Ciuitate de vſuris docet, male cõſulere ſuæ ſaluti eos, qui exercent eum contractũ, qui, & ſi per ſe iuſtus ſit, tamen facile, ob prauam mentem, poteſt vitiari, tu verò putabis, eſſe dignum fauore, tribuere compẽſationem lucri ceſſantis eo in caſu, in quo omnes ante Nauarrum, & poſt eum pleriq; docent, fieri non poſſe abſq; labe vſuræ, cũ magna facilitate interuenire poſſit animus accipiendi aliquid vltra ſortem ob ſolam dilationem?

94 Hactenus oſtendimus, quantum vacillet ſubſtantia lucri ceſſantis prætextus hoc tempore admiſſus à pleriſq;: ad praxim nunc conſiderandam accedamus. Appellatur lucrum ceſſans, quia propter mutuum expreſſum, aut tacitum ceſſauit creditori lucrum illud: Cum verò aliud ſit dicere, ceſſauit hoc lucrum, & dicere, veriſimile eſt, me lucraturum fuiſſe ex hac pecunia, cur ſuſcipis pro fundamento ipſius eam probationem, quæ concludit per poſſibile, non autem per neceſſe? Experientia docet, raros eſſe negotiatores, qui ex omni ſua pecunia omni anno queſtum faciant; quo colote ergo admittis, omni anno ſolui debere acceſſiones, quæ præſtantur pro lucro ceſſante? Si

te? Si

Digitized by Google

te? Si experientia docet, in omni, omnino regione magnam partem perſonarum nõ eſſe idoneam negotiationi nummorum; & eos, qui ſuas pecunias deſtinauerunt emptioni rerum corporalium, ac incorporalium fructum ferentium, rariſſimè eas mutuare ob compenſationem lucri ceſſanti, cur admittis pro eius fundamento, indubitato, quod creditor poterat, ex pecunijs mutuatis emere aliquas ex huiuſmodi rebus? ad eas ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 22. c. 31; Hæ ſunt illæ difficultates, quę plerunq; cõcurrunt in ijs caſibus, in quibus hodie admittitur à multis compenſatio lucri ceſſantis, & tamen nos dicemus, eſſe materiam fauore dignam? Dices, quò ad hanc poſtremam partem in foro conſcientiæ credi pœnitentibus: verùm non per hoc ceſſare debes ab opportunis interrogationibus, quas ſi accuratè, prout materia poſtulat propoſueris, facilè intelliges, rariſſimè adeſſe fundamentum lucri ceſſantis; Deindè dico, quod vbi agitur de damno alterius, non debet facilè confeſſarius credere pœnitenti, cum proprij commodi ratio poſſit facilè eum excæcare; & proinde tunc debet omnes quærere vias, quas ſubiecta materia præbet, euitandi occaſiones, vt quis ſit iudex in propria cauſa; faxit Deus, ne Medici corporis ſint diligentiores in curando corpore infirmo, quã ſint nõnulli Medici ſpirituales in curandis morbis animæ.

95 Verum audio dicentem, hæc nihil ad æquitatem, quam quærimus pertinere, verum dicis, plurimum tamen hæc valebunt apud eos, qui fœnus oderint; ad æquitatem nunc me conuerto: Habemus duo extrema hac in re; primum eſt, ne culpa debitoris noceat verè creditori, ſecundum ne calliditas creditoris noxia ſit debitori: Medium autem eſt, vt res ſic geratur, ne vllus ex ipſis grauetur. Quò ad creditorem autem ſpectat, ſi ſpem habet veriſimilem capiendi maiorem vtilitatem ex ſuis pecunijs, quam præbeat poſtulatio ſimplicis intereſſe, cur acriter non vrget debitorem, & eo non ſoluente, ad iudicium ipſum non prouocat? optimè Doctores communiter, vt intelliges ex ſcriptis ſupra nu. 83, & 84. docuerunt, & in propoſito Menochius conſ. 1180. n. 12. in fine, & nu. 13, & cum eo Gratianus c. 987. n. 13. 14. & 27, ceſſare prætextum lucri ceſſantis in negligente exigere creditum: ſi enim putaret, id ſibi noxium futurum eſſe, ad iudicium deueniret: Si ergo mora in ſoluendis acceſſionibus promiſſis ſibi noxia eſt, cur ad iudicium non vocas eum? dicere vtiq; debet, quia verebar, ne mihi pecuniã meam reſtitueret; charitatem enim proximi allegare res erit riſu digna; ergo manifeſtum eſt, eum non amiſiſſe lucrum, re vera ob huiuſmodi moram; Quò ad debitores verò ſpectat, magis ipſis nocent plerunq;, creditores aſpirantes ad compenſationem lucri ceſſantis, quam faciant ij, qui acerbè exigunt ſuum; horum enim diligentia efficit, ne pecunias in ſumptus conuertant non neceſſarios; hi verò, haberis laxatis tribuunt anſam non cogitandi de fraude ſuorum creditorum, qui eò magis ſilent, quò magis credunt, poſſe debitores debitam ſibi pecuniam comparare, expectando illud tempus, quo rebus ipſorum in arctum coniectis, ſperant ex ſua acerbitate, ac duritię maximum capere fructum; Odioſiſſimi ergo bonis, ac prudentibus viris erunt creditores, qui leniter ſe ſe gerẽdo cum ſuis debitoribus, eis magnam occaſionem dederunt retinendi ſuas pecunias, vt deinde per lucri ceſſantis colorem magnas eis auferant vltra ſortem, pecuniarum ſummas; cum itaq; legum conditores corrigant diminutionem charitatis debitæ proximo, errant grauiter illi, qui tanta facilitate in foro conſcientiæ liberant Chriſtianos à vinculis legum ſaluberrimarum, dum contendunt, hac in re eſſe obſeruandum merum ius naturale, cum abſurdũ ſit dicere, in foro conſcientiæ non obligare eam legem, quæ curat, optimo allato remedio, occurrere peccatis ex diminuta charitate orientibus: Verum hæc nolunt ij capere, qui ſua, non quæ Dei ſunt, quærere ſolent.

96 Expendamus nunc ea, quæ proponit Scaccia pro campſoribus §. 7. gloſſa 2. nu. 33. cum ſeqq. Primò allegat authoritates ſcriptorum ſequentiũ hanc partem, quæ nulla ex parte ſunt comparandæ cum ſequacibus alterius ſententię, leuiſſimiſq; adhærent rationibus, vt mox oſtendam: ſecundò allegat, paſſim intereſse cambiorum à Genuenſibus ſic taxari; cũ verò vſus campſorum Genuenſium non poſſit derogare ſanctiſſimis ſanctionibus id vetantibus, non eſt ullius momenti hæc allegatio: maxime quia reciprocum eſt inter ipſos commodum ex hoc oriens, quod tribuit robur contractui, qui alias infirmaretur l. de fideicommiſſo C. de tranſ. & impedit extenſionem ad cambia cum alijs inita, quia requirit paritatem rationis etiam in materia fauorabili, vt intelliges ex ſcriptis ſupra lib. 12. c. 35. nu. 20 & 24; conſuetudoq; præciſe eſt probanda in caſu, de quo agitur, vt oſtendi ſupra lib. 19. c. 40. n. 19, & 20.

97 Allegat deinde nu. 34. argumentum deductum ex doctrina gloſsæ primæ in l. ſed & partus 12. de eo, quod metus cauſa, dum docet, venire fructus in huiuſmodi actione, quod ea ratione contingit, quia res in eo iudicio eſt reſtituenda cum omni cauſa, vt legitur in textu, & eſt adeo odioſus is, qui infert metum, vt acceſſiones quadruplicentur, vt ibi not. Baldus in prima lectura in principio; vbi Angelus nu. 2. oſtendit, doctrinã gloſsæ ex eo pendere, quod cum omni cauſa res eſt reſtituenda: concordant ibi Faber col. 2. verſ. ſed etiam cauſam omnem, & ante eos Odofredus poſt princip. verſ. & omnis cauſa: Non pertinet ergo ad rem noſtram, cum nulla lex ſanciat, pecuniam acceptam ſub cambijs reſtitui debere cum omni cauſa: ſecundò adducit l. ſocium 61. ff. pro ſocio cum ſua gloſsa, cui ſatisfacit Fabius de Anna conſ. 48. nu. 18. cum ſeqq. & cum eo Fontanella deciſ. 204. nu. 11, Ant. Faber. in rationalibus col. 1. verſ. quidquã obſeruandum eſt: Adducit etiam ea, quæ ſcribit nu. 54, & 55. ad probandum, quod ex fructibus poteſt augeri ſors, quod non negamus, verum dicimus, hoc non ſufficere, vt ſtipulari poſſit creditor vſuras, aut compenſationem lucri ceſsantis, cum leges id prohibeant.

98 Allegat deinde num. 36, quod ratio naturalis ſuadens concedi compenſationem lucri ceſsantis, habet locum in intereſse alterius intereſse, & proinde non debemus inter ea inducere diſcrimen. Reſpondeo, materiam hanc eſse ſubiectã

multis

multis machinationibus, & proinde placuit rectiſſimè conditoribus legum noſtratum id moderari: propterea q; coercendo poſtulationes creditorum, ad compenſationem damni emergentis aſpirantium, noluerunt, eam excedere quantitatem debiti principalis l. vnica C. de ſentent., quæ pro eo, quod intereſt profer.: Hæ autem machinationes ſpecialiter vrgent contra campſores, vbi enim venit tempus ſoluendi primi recambij debitore non ſoluente, cur eum non vocauerunt in ius, & ſuis acerbiſſimis proceſſibus non obtinuerunt contra eũ mandatum executiuum? quia nempe magis ſibi expediebat nouum inire cambium cũ eo, vel accipere pecuniam ſub cambijs à ſe ipſo, aut ab alijs campſoribus, vt poſſent conflari illę crudeliſſimę coaceruationes pecuniarũ, quas omnes boni deteſtantur; & dignas eſſe moderatione, cum æquitati nimis repugnent, ipſemet Scaccia admonet nu. 59; quod ipſi ſufficere debebat ad cognoſcẽdam diuerſitatem exiſtentem inter ſimplex intereſſe, & intereſſe alterius intereſſe.

99 Ait Scaccia, æquiparati intereſſe damni emergentis, & lucri ceſſantis: cum itaq; in intereſſe damni emergentis omne omnino damnum reſarciri debeat, ita debet haberi ratio omnis lucri: in primis obſtat huic arg. deciſio l. ſi ſterilis 22. §. cũ per venditorem ff. de act. empti, & venditi, vbi clarè deciditur, venditorẽ moroſũ in tradenda re vendita non poſſe condemnari ad intereſſe damni emmergentis ſecundum modum propoſitũ: diſtinctio enim debiti coſiſtentis in pecunia numerata, & eius, quod conſiſtit in certa ſpecie, nulla ratione veriſimili comprobari poteſt, maxime dum agitur de partu ipſiuſmet rei debitę, cum culpa debitoris pari modo in vtroq; caſu lędat creditorem: ſecundò dico, quod in damno emergente ſancitum eſt, ne excedat duplum l. vnica C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt. profer. & proinde hoc argumẽtum non poteſt ſuffragari ad comprobandas eas continuationes cambiorum, quæ duplum excedunt. Tertiò dico, quod in damno emergenti inſpicitur diminutio patrimonij creditoris, quæ contingit ob culpam debitoris, hæc autem per ſe contingit, nec admittit ullo modo conſiderationem vſuræ vſurarum: adeas Fontanellam cũ Doctoribus ab eo allegatis deciſ. 204. nu. 12. cum ſequentibus vſq; ad finem.

100 Affert deinde Scaccia argumentum ductum à venditione ad cambium, quod ſicut vna, & eadem res poteſt per varios contractus vendi, & reuendi, ita poſſit ſequi ſæpius ea venditio ſcutorũ *di marche*, ex cuius multiplicatione pendent continuationes cambiorum: Verum hoc argumentum egreditur limites huius dubitationis, cum diſputatio noſtra non pertineat ad eam ſummã ſcutorum *di marche*, quã induxit continuatio cambiorum vt oſtendi nu. 95: ſed ad eam, quam moram debitoris inducit, quando debitor, aut creditor non vult renouare cambium, & tamen non ſequitur numeratio pecunię debitæ: ſecundo claudicat argumentum, quia in venditione adeſt materia capax emptionis, & venditionis; in hoc autem caſu non adeſt materia cambij, ſed mutui, cum non habeat eius debitor, ſciente id creditore, rationem conflandi pecuniam, ex qua poſſit ſolui cambium in nundinis: tertiò ſupponit pro bono eo contractu, quod à plurimis reprobatur, & omnes fatentur habere magnam fœnoris ſpeciem vt in propoſito large oſtendit Iuſt. de contin. camb. q. 4. nu. 6. cum ſeqq.

101 His addidit Scaccia nu. 50. in cambijs hanc doctrinam facilius procedere, quia campſores degunt in Ciuitatibus magnis, in quibus ſemper adſunt occaſiones cambiendi, & quia intereſſe cambiorum eſt ſemper certum, & per hoc non pendet à probationibus incertis: Verũ errat manifeſtè in vtroq; Scaccia vt oſtendi ſupra num. 89. cum ſeq.: Quibus addo, quod tempore legum, de quibus agimus, queſtus per vſuras legitimo modo exactas, ſuſcipiebatur vt iuſtus: ergo erat pro mutuantibus manifeſtior ratio obtinendi vſuras vſurarum, quam noſtri habeant campſores, cum enim moderatæ vſuræ, & prohibitio anatociſmi excitaret ciues ad ineunda mutua ſub vſuris dum pecunia indigebant, longe frequentiores erant occaſiones exercẽdi vſuras moderatas, quam adſint cambiendi vt ſupra oſtendi: reſpectu autem Vrbis Romæ, quæ nam eſt hodie Ciuitas, quæ vllam habeat cum ipſa, reſpectu illius temporis comparationem? tunc ergo creditores pecuniæ mutuatæ ſub vſuris poterant allegare, ſe ob debitoris morã priuatũ fuiſſe lucro, quod percepiſſent, ſi ſoluiſſent vſuras ſibi debitas, cum notorium eſſet, occaſiones fœnerandi nunquam deeſſe; cur ergo ijs hoc fuit denegatum, etiam ſi certitudo lucri eſſet clara, cum ſuum haberent vſuræ modum legis authoritate decretum? Eò autem difficilius eſt campſoribus probare, quod initum erãt cambia ſi ſibi fuiſſet reſtituta ſua pecunia, quia de ſingulis nundinis id probandũ eſt: nã mutui reſtituendi tempus leges arbitrio contrahentium reſeruabant: Ne autem dicas, leges non ademiſſe facultatem fœneratoribus poſtulandi lucrum ceſſans, efficiunt ratio iuris, & verba conſtitutionũ; nam ſuperuacuę fuiſſent huiuſmodi leges, cum per hanc viam cõſequi poſſent facillime vſuras vſurarum; Iuſtinianus autem profitetur in d. l. vt nullo C. de vſuris, d. l. finali C. de execut. rei iudicatę, ſe induxiſſe, ne vllo modo vſuras vſurarum fœneratores conſequerentur, eaſq; penitus eſſe delendas: eſt enim mera verborum diſtinctio, cum partẽ vtroq; modo vtilitatem conſequantur, dicere, aliud eſſe, id conſequi tanquam vſuras, vel tanquam lucrum ceſſans: legem autem ſe rebus ponere non verbis tãtum Iuſt. profitetur: Et proinde manifeſtiſſimum eſt, per has conſtitutiones pari iure determinari poſtulationem lucri ceſſantis, & legitimarum vſurarum, & abſurdum eſſe, recedere à receptiſſima ſententia docente, non licere poſtulare intereſſe alterius intereſſe, cũ manifeſtiſſimã habeat veritatem, ac æquitatem, & contraria grandem aperiat fœneratoribus machinationũ viam; & conſequenter nullus remanet cãpſoribus prætextus obtinẽdi id, quod iuſtis denegatur negotiatoribus: nõ conuenit .n., ſeuerius ſe gerere cum ijs, qui alieni ſunt à ſuſpicione vſurarum, quã fiat cum campſoribus, qui exercent ea cambia, quæ à Doctoribus huius materię velut fœneratitia cõmuniter ſuſcipiantur: acerbitaſq;, quã in exigendis ſuis creditis exercent eſt ſupra omnẽ ciuilem modum aſpera: nã occaſiones cambiendi

Digitized by Google

endi habet valde incertos, queſtuſq; cambiorũ varios; Continuationes autem cambiorum, circa quas hæc naſcitur diſputatio, habet omnino coniunctã negligentiam exigendi ſua credita; quæ apud Doctores noſtros viroſq; doctos ſimul ac pios omnem adimit pretextũ lucri ceſſantis.

102 Hactenus expoſui ea argumenta, quæ cãbia vſitata ſic oppugnant, vt nullã protſus videã rationẽ defendendi ipſa per ſe, vel tatione lucri ceſſantis. Ante oculos autem ponã eorum ſpeciem cordatis uitis vt vno ictu, qnalia ſint facillime intelligant; poſita pto vera ea doctrina, quam oſtendi receptiſſimã eſſe, & veriſſimã. Omnia ſcilicet cãbia tealia habere pro fundamento, vt campſor putet ptobabiliter, debitotem cambij eſſe numeratorum pecuniam pet ſe, vel per alium in loco deſtinatæ ſolutionis. Omnia autem, quæ pono pro ueris quo ad praxim cambiorum, ſuis locis ptobaui authoritate tecentium ſcriptorum artis campſoriæ vſus optime callentium. Hæc cambia fiunt lucri faciendi cauſa: lucrũ autem conſiſtit in tecãbio inito fauore campſoris; hoc vetò recambiũ iniri nõ poteſt, ſi ſequatur numeratio pecuniæ in nũdinis vel aliquid ei æquipollens: Quomodo ergo putare poſſumus, campſorem ea mente inire hæc cambia, vt ſequatur numeratio debitæ pecuniæ in nundinis vel aliqnid æquipollens, ſi hoc ſequente ceſſabit lucrum? Horum cambiorum ſolutiones in pecunia numerata rariſſime fiunt in nnndinis, quo colore ergo dici poteſt, hæc cambia ex genete ſuo, ſic fieri, vt eorum ſolutiones fiant in nundinis? In nundinis nunquam adſunt nummi neceſſarij pro ſoluendis cambijs, quæ ſoluenda ſunt in ipſis, non ergo poteſt dici, ſic iniri vt ibi ſoluantur. Campſot non patitur, mitti litreras cambij ad eum, quem ſcit, poſſe ſoluere ipſum in nundinis pecunia præſenti, ſed vult, vt debitor eas ad ſe mittat, vel ſuum inſtitorem, vel reſponſalem, eis mandando, vt ſoluant nudo calamo cambiũ: qua fronte ergo dices, cũ iniuiſſe hoc cambium, vt ſoluatur pecunia in nundinis? Campſnres ſciunt, longè magis expedire debitori cambij, ſoluere pecuniam numeraiain in loco initi cambij, quam in nundinis, quis ergo probabiliter exiſtimabit, ſolutionem in pecunia præſenti eſſe ſecuturam in nundinis? Campſoribus ineuntibus cambia pro nundinis fetè ſemper noceret, ſequi numerationem in nundinis, idq; ſciunt tempote initi cambij, quo colore ergn dices, eos inire cambia, vt ſoluantur in nundinis? In continuationibus cambiorum palã eſt campſori, debitorem ea de cauſa nouum inire cambium, quia non poteſt, aur non vult ſoluere ipſum tunc temporis: qua tatione ergo poteſt probabiliter exiſtimare, id eſſe ſecuturũ in nundinis quæ mox celebrandæ erunt? Cambia vſitata ſunt plerunq; grauiora debitotibus, quam ea eſſent, quæ Pius V. declatauit vſuraria, quomodo ergo negatur, per ipſa fieri fraudem ſaluberrimæ, ac iuſtiſſimæ conſtitutioni? Cambia vſitata ſic exercentur, vt magis grauia ſint debitotibus quam ſit fœnus illud, quod Gentiles improbum declatauerunt, & infamiæ nota puniuerunt; quis ergo pietatis, & Catholicæ fidei amator poterit ipſa perpeti? Ea eſt differentia inter fœneratorem, & iuſtum negotiatorem, quod hic mauult habere debitam pecuniã, quam acceſſionem crediti, quæ ſibi obuentura eſt ob moram debitoris: E contra verò fœnerator mauult acceſſionem, quam ſuum: Campſotibus autem moleſtiſſimum eſt, idoneos debitores ſibi ſuam reddere pecuniam; ergo in campſoribus exiſtit illud deſiderium, quod ſepatat fœneratorẽ à iuſto negotiatore: quæ ratio ergo tibi ſupereſt ſepatandi à claſſe fœnerator campſores.

103 Hactenus ea expoſui, quę dicenda mihi viſa ſunt citca celebrimam hanc cambiorum diſputationem; Cum veto in hac materia facile ſit accidere, vt ij, qui cambiorum defenſionem meditabuntur, ſua magis, quam quæ Dei ſunt, ſtudioſè quærant, valde opportunum erit, me nonnulla proponere, quæ fraudes eorum valeant detegere: Primum eſt, quod in hac quęſtione illud quæritur, an ea cambia, quæ ſctiptores huius materiæ velut vſuraria ſuſcipiunt, poſſint conſuetudinis clypeo defendi; & conſequenter de ea re agitur, in qua clarum eſt, conſuetudinis authoritatem ceſſare, cum non valeat derogate iuri Diuino, aut naturali c. finali de conſuet.: inter Catholicos enim eſt de fide credere, vſuram à iure Diuino teptobari c. 4. de vſuris, Clement. vnica eodem titulo: Omneſq; fetè Catholici docent, eam aduerſari iuri naturali, & quidem rectiſſimè, vt intelliges ex ſcriptis in c. anteced. n. 68. cum ſeqq. Hacq; de cauſa ſcriptores huius materiæ nemine diſcrepãte concordant, cambia, quæ verè vſuraria ſunt, conſuetudinis authotitate non potuiſſe effici licita, etiam ſi conſuetudo à pœnis, quas leges poſitiuæ conſtituerunt contra fœneratores, eorum authores defendere valeat; Non eſt ergo allegãda ſimpliciter conſuetudo generalis exercẽdi hæc cambia; ſed ſatisfaciendum eſt, ſaltem probabiliter rationibus, & autoritatibus, quibus oſtendimus hæc cambia eſſe fœneratitia, & deinde etiã confugiendum ad generalem conſuetudinem ea tecepientem, quaſi quod per ipſam comprobata fuerit ſoliditas huiuſmodi rationum, idcoq; non video, quo colote ſe poſſint excuſate illi confeſſarij, quibus eſt ſatis, quod campſores dicant, ſe ſe in cambijs non recedere à conſuetudine generali cambiorum: quod enim dicturi ſunt, ſe non intelligete modos quibus vtũtur in cambijs ineundis, eorum redarguit temeritatem, cum ſint immemores Oraculi Diuini, ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt.

104 Secundò exponendum eſt id, quod multi capete non poſſunt, qua ſcilicet ratione tecipi potuerint in tot regionibus Catholicis florentibus gloria pietatis, ac doctrinæ, cambia fœneratitia, & proinde eſt exponendum, quomodo id acciderit. Cambia non ſunt per ſe mala, ſed propter abuſus, quos campſores mali circa ipſa introduxerunt: proprium autem fœneratorum eſt, virorum inſignum authoritate, ſi id ipſis contingere poſſit, ſuos tegere contractus: ęſtimando itaque hanc rem iuxta regulam l. in obſcuris ff. de reg. iuris dicimus, eos campſotes, qui introduxerunt cambia vſutaria hodie vſitata, adiuiſſe viros inſignes pietate, ac doctrina ſuæ patriæ; eiſq; ſua commercia ſic natrauiſſe, vt nihil praui continerent: quid aliud autem illi facere poterant, quam ipſa approbate? de his ſic ſcribit Iuſt. de contin. camb. q. 5. num. 5. *Io non sò certo come Sua Santità*

poteſſe

poteſſe parlar più chiaro, ne meglio decider la queſt. tuttauia, ciò non oſtante ſi trouano molti Cambiſti, ch'a tempi noſtri fanno di tai ſorti de cambi ſenza mandare le lettere, e pure ſi confeſſano, e ſono aſſoluti, e ſono ſtimati timorati di DIO: idem author in epiſtola ad lectores hæc ſcribit. *Al che m'hà ſpinto, il parermi ſtrano, e diſpiacermi inſieme, l'hauer da vn canto trouati tutti i Dottori Canoniſti, e Legiſti dichiarar vſurarij quei cambij, che ſi fanno con coloro, che non hanno, ne ſono per hauer denari da reſpondere in Fera, e veder dall'altro canto, come perſone virtuoſe, e di bona conſcienza ſenza vn minimo ſcrupolo, o timore d'errare, ſi fanno le continuationi de cambi, doue tante volte ſi replica il ſopradetto dannato, & ingiuſto contratto.* Euulgata autem inter populum huiuſmodi cambiorum, vt putabat, approbatione virorum eo loci inſigniũ; cum non poſſet ſibi perſuadere, huiuſmodi campſores fraudulenter tractare cum ſuis confeſſarijs, cæperunt homines exiſtimare, ea eſſe commercia licita: quod eo facilius contigit, quia praxim cambiorum pauci norunt: Hac autem opinione confirmata ij, qui bona fide in exercendis cambijs verſabantur, dum à ſuis confeſſarijs de ſuis interrogarentur cambijs, ſincere ea exponebant: Dum verò à confeſſario audiebant, ea eſſe vſuraria, replicabant, huiuſmodi cambia palam exerceri à cãpſoribus N. N. N. cum conſilio præcipuorum Theologorum illius Ciuitatis: Confeſſario autem interrogante eos, an eadem forma prorſus contraherentur, ſi reſpondebant, nullã adeſſe formalem differentiam, ſic deterebatur confeſſarius, qui ſciebat ſe eſſe mediocris ſcientiæ, & exiſtimationis virum, vt non auderet eis denegare abſolutionem; ſicq; de vno ad alium re delata, in ea Ciuitate inualuit cõſuetudo ineundi huiuſmodi cambia. Cum autem facilis ſit vt ille monuit, deſcenſus Auerni, morbus ſerpendo cæpit alias inuadere Ciuitates, quæ eò facilius ab eo occupabantur, quo maior erat illa Ciuitas, quæ morbum induxit: ſic enim dicebant, multi in ea ſunt uiri pietate, & doctrina florentes; non eſt ergo credendum, paſſuros eos fuiſſe, vt hoc commercium publice exerceretur in ea, niſi probabiliter defendi poſſet.

105 Euulgatis autem his cambiendi modis, cæperunt homines pij, ac docti ea apertè impugnare, verum conſuetudinis prætextus, & magna campſorum potentia eò rem redigebãt, vt ſubtilitates pugnantes pro ipſis, pro idoneis ſuſciperentur argumentis; cum enim meri Theologi eſſent, etiam ſi lumine naturæ intelligerent, eas eſſe meras cauillationes, exagerationibus tñ magis, quam formalibus reſponſionibus eis ſatisfaciebant; omnes enim fictiones, & variarum perſonarum, ac negotiorum diſtinctiones, quibus rationes campſorum innituntur, pendẽt ex meris iuriſprudentiæ principijs; & per hoc campſorum andacia creſcente, odioſos valde reddebant oppugnatores cambiorum, quaſi quod ſine idoneo fundamento ea impugnarent cambia, quæ erant media optima trahendi ad ſuam Ciuitatem alienigenarum diuitias.

106 Aucta per hoc cambiorum authoritate, tot breui tempore regiones infecerunt, quot ſcimus, liberè hac tempore ea exercere: Morbo adeo confirmato, generali multiq; quidem pij, ac docti viri medelam parare curauerunt editis commẽtarijs ſuis de cambijs, viribus tamen morbo difficillimo imparibus: Cum enim conſuetudinis tot ac tantarũ nationum authoritate confirmatæ, vis magna nimis ſit, nulla ſupererat ſpes eradicãdi adeò grandia auaritiæ inſtrumenta, niſi omnis eis adimeretur ſpecies probabilitatis: Hoc autẽ duo requirebat, primò vt oſtenderent, ſcriptores huius materiæ reprobare huiuſmodi cambia: ſecundò opus erat, eorum ſic euertere ſundamenta, vt nulla ſupereſſet ſpes ipſorum defenſoribus, aſſerendi replicationes probabiles. Primum quidem præſtare potuerunt, cum cambia huiuſmodi paſſim à ſcriptoribus huius materiæ reprobentur tacitè, aut expreſsè: verum ab hoc labore ſuperſedere voluerunt; nemo enim eorum in hoc accuratam tribuit nobis operam: Alterũ verò præſtare non valuerunt, cum exactam id requirat iuriſprudentiæ notitiam, ex iuris enim fontibus omnino pendent; nam fuerunt authores huiuſmodi tractatuum Theologi Religioſi, qui iuris ciuilis fontes, non niſi per accidens, adire conſueuerant: Et ſi autem formalibus adhibitis diſtinctionibus non ſatisfacerent cauillationibus campſorum; lumine tamen naturali, facilè erat intelligere, ſublatas eſſe ab eorum reſponſionibus; proptereaq; omnes, vſq; ad huiuſmodi tempora huius materiæ explanatores, quorum ſcripta edita fuerunt, hæc cambia repudiauerunt; vt non immerito quærere poſſimus, qua ratione docti, ac pij viri, qui horum cambiorum praxim plenè intelligebant, ea poterant ſuſcipere velut probabilia, ſi reprobabantur ab omnibus ſcriptoribus? Præclarè acutiſſimus Pater Iuſtinianus de continuat. camb. quæſt. 3. nu. 19, ait, *ciò, che s'è praticato contro le dottrine di tanti Dottori ſaggi, letterati, e Religioſi, che hanno gridato in tutti i tempi contro tal pratica, non s'hà da chiamar vſo, non conſuetudine, ma abuſo, e corottela, come molt'altre attioni ſono, & vſitate, e frequenti, nondimeno vitioſe.*

107 Superuenit deinde tractatus de cambijs Sigiſmundi Scacciæ, qui anxie in tutandis abuſibus campſorum adeo verſatus fuit, vt rariſſimè ab ipſis diſcedat: noluit quippe ingratus videri ſuis magiſtris, campſoribus ſcilicet Genuenſibus, à quibus, dum ibi Auditor eſſet Rotæ Ciuilis, vniuerſam cambiendi formam didicit: factaq; per hoc eſt cambijs vſitatis magna authoritatis acceſſio: non tamen tanta, vt præualerent quò ad numerum, & authoritatem defenſores horum cambiorum: Tot enim ac tanti viri ea oppugnabant, vt Sereniſſima Collegia Genuenſia neceſſarium putauerint, ſuper ipſis conſulere Summũ Potificem Vrbanum VIII. vt ex eorum verbis intelliges, quæ ſupra recenſui. Ad ſummam verò authoritatẽ vſitata cambia deducere nixus eſt Raphael à Turri, ſuo edito de cambijs tractatu: tanta enim ſubtilitate ex varijs iuris locis adminiculauit abuſus campſorum, vt opus ſit, ad eius rationes euertẽdas eo Iuriſperito, qui in enucleandis iuriſprudentiæ principijs verſatus diu fuerit: Quod cũ triginta tribus, & amplius annis ea diligentia præſtiterim, quam mea præ ſe ferunt controuerſiarum volumina, ad euertendum huiuſmodi tractatum, quatenus cambiorum illecitorum defenſionem reſpicit, animum applicui meum,

Hoc autem, Deo vires dante ſic præſtiti, vt author eius, acutus licet, & doctus I. C. ſilentio ſuo malam cauſam ſe ſouere ſit confirmaturus luculenter: id enim euenturum eſſe vt prædicam, illud efficit, quod nulla remanet probabilis ratio defendendi ſuas doctrinas, ſiue argumentis pugnādū ſit, ſiue authoritatibus: Eius autē exemplo admoniti Theologi cauere ſibi debent, ne ſuſcipiant horum cambiorum defenſionem: eius enim iuriſprudētiæ notitiam, haud prudenter ſe ſuperare, Theologum quantumuis doctum non poſſe ſperare, quis non videt? acuminis autem nomine, ne poſſit quis eum ſuperare, vtiq; fatebitur ille, qui eius tractatum perſcrutatus fuerit; tot autem annorum curſum, quibus haſce materias ſecum ipſe, & cum acutiſſimis examinauit campſoribus, quis aſſequetur? ſubtilitatem verò campſor in ſua arte exercenda nemo vtiq; poterit ſuperare: Expendendum eſt nunc inſtitutum piorum illorum virorum, qui animaduertunt, multos ex ijs, qui cambia illicita exercuerunt, diuitias per ea quæſitas omnino retinere velle: charitateq; proximi impellente ab impugnandis his cambijs abſtinent: Verum animaduertere debent, ſe concurrere cum illis, qui velut probabilia hęc cābia defendunt, & conſequenter concurrunt in conſeruando eo commercio, quod plurimorum hominum animas perditurum eſt, niſi ſic reprobetur ab illis, qui putant, eſſe illicitum, vt eorum ſilentium probabilitatem ipſi non acquirat. Et proinde ſimiles ſunt ijs medicis, qui pharmaca ſanos inficientia componunt, vt ægrotis dubiam parent medicinam. Si hi, quorum charitas linguā doctam, ac piam reſtænat, capaces non ſunt alicuius ex illis medelis, quæ à Theologis in materia reſtitutionis recipiuntur; dicemus, expedit vt vnus morti valde proximus moriatur, ne tota gens pereat: quod ſi id omiſerint, ſciant, ſe reos futuros eſſe non exerciti talenti ſibi à Domino traditi.

108 Antequam autem accedam ad poſtremam partem huius diſputationis, operæ precium erit, me propius aggredi eos, qui aſtutè ſuſcepturi ſunt horum cambiorum defenſionem. Eos autē ſic interrogo; perpendiſti ne accurate ea, quę propoſui aduerſus cambia, quæ defenditis? reſpondebunt autem, perpendimus; & ſi autem euincāt ſcripta tua, probabiliorem eſſe ſententiā illa reprobantem, non tamen definit eſſe probabilis ea, quam defendimus: Eos autem ſic compello; putatis ne probabilitatem huiuſmodi deduci ex authoritate Doctorum ea defendentium, an ex rationibus, quibus defenduntur? Non confugient, vt puto, ad authoritates; nam ſunt perpaucæ, & leues: in confirmādis .n. doctrinis, quas cum ſcriptoribus huius materiæ confutauimus, nimis negligenter, abſit verbo inuidia, verſati fuerunt: in multis apertè lapſi fuerint, vt ſuis locis oſtendi: Sequi nanq; Doctores negligentes in exponendis quæſtionibus valde periculoſis, abſq; examine rationum hinc inde vrgentium, facit locum Oraculo Diuino, *ſi cæcus cæcum ducit, ambo in foueam cadunt*. Ad rationes itaq; confugient; eas autem allegatis, quas confutaui, an alias? Si primas dicetis, veſtra doctrina valde eſſe debet ſuſpecta, cum deducatis ipſam ex ijs rationibus, quas ſcriptores huius materiæ paſſim neglexerunt; & ego apertiſſime confutaui: Hæ rationes non ne dependent ex meris iuriſprudentię principijs? Non poterunt ergo prudentes viri ſine ſtomacho audire, non quidem vnum, aut alterum, ſed omnes defenſores cambiorum dicentes, in ijs expendendis acutius verſatos fuiſſe, quam eum iuris magiſtrum, qui triginta tres annos ſic tribuit examinandis arduis iuris difficultatibus theoricis, practicíſq;, vt illuſtria extent ſuorum ſtudiorum argumenta; quod ſi dixerint, ſeſe nouas excogitauiſſe rationes, quæ oſtendunt probabilitatem horum cambiorum, ab ipſis quæram, an ex iuris fontibus eas deduxerint, aut ex proprijs Theologiæ principijs? Cum verò vt dixi, ſupponantur, & eodem modo intelligantur à defenſoribus vtriuſq; ſententiæ ex doctrinæ deductæ ex proprijs Theologiæ fontibus, quæ huic congruunt diſputationi, vtiq; eos oportebit dicere, ſe ex iuriſprudentia deduxiſſe huiuſmodi rationes: Eos autem decipi, vel nos decipere velle, aperto ore profitebor; Contendentibus autem ipſis, me non poſſe de eorum cogitatis iudicium ferre, niſi mihi innotuerint, meo iure affirmabo; mihi ante oculos mentis verſari eſſentiam, proprietates, accidentia, praximq; horum cambiorum, & omnia iuris principia, quæ commodè, incommodeq; poſſunt afferri ad ea comprobanda; ex ijſq; nullum eſſe aio, quod poſſit ſuggerere argumentum, quod faciliimè non valeat penitus euertere vnus ex ijs, qui iuris principia mediocriter calleat: Defenſoribus autē cambiorum contendentibus, ſua argumenta ſufficere ad inducendam eam, quam aucupantur, horum cambiorum probabilitatem, ipſis ne credendum ſit, docti, pijq; viri, quæſo, mecum inquirant.

109 Defenſores cambiorum poſſunt magnum hinc ſperare ſibi, ſuiſq; vtilitatis, & exiſtimationis augmentum apud eos, qui ſolent, aut meditantur exercere hanc artem: Ego autem per hoc efficior valde odioſus plurimis; ijſq; potiſſimum campſoribus ditiſſimis, qui in ſuis litibus enucleandis ſolent mea vti opera; Cur verò affirmem, exiſtimationis augmentum me nō poſſe hinc expectare à iuriſperitis, apud quos florere ſtudeo, efficiunt meę vigilię de ambiguitatibus iuris theoricis, practicíſq; longè, largèq; difficilioribus, quæ hoc volumen, & alia continent; optime Conradus de contractibus quæſt. 100. col. 7. in concluſ. 4. ait, *Si materia ſuper qua eſt dubietas, tangit lucroſitatem temporalem minus credendum eſt illis quos illa temporalitas reſpicit, quam illis, quos non reſpicit*: Rem ergo, per ſe conſiderando, prudentes viri vtiq; affirmaturi ſunt, me quidem ea quærere, quæ Dei ſunt; de ijs autem, qui cambia defendunt, id incertum eſſe: Sin autem de iuriſprudentiæ notitia maiori tractabitur, erit ne vllus Theologus, qui ſua comparaturus ſit in iure ſtudia, cum meis, qui quadraginta ab hinc annis, aſſiduo ſtudio ei incumbo? Sed proprius ad rem accedamus: Habetis ne, unde defendatis probabiliter hæc cambia? uobis utiq; ex animi ſententia gratulor, meamq; operam ſic uobis polliceor, ut nō minori, hilariori certe animo, ſim hæc cambia propugnaturus, quam ea hucuſq; oppugnauerim: me enim ualde afficit plurimos, qui poſſident di-

diuitias

Digitized by Google

uitias per ea comparatas, nolle eas reſtituere; doleoq; vehementer, plurimos in ipſis exercendis perſeueraturos eſſe, & multò plures ad eandē artem ſuo exemplo eſſe tracturos: Anxio itaq; animo expectabo veſtras doctrinas ęte cuſas. Verùm audio dicentes, non videbis noſtras vigilias cur autem non videam, cum quinquageſimum ſex eum non expleuerim annum, & valdè bona vtar valetudine? Non euulgabimus dicent, noſtras de cambijs lucubrationes: Non ne hæc eſt materia digna, in qua veſtri luceant intellectus? Non congruit, dicturi ſunt, nobis, laudem quærere ea editione noſtrarum vigiliarum. O hypocritæ triſtes, maior ne eſt veſtra humilitas ea, qua floruerunt plurimi Sanctiſſimi viri, qui ſua opera in rebus longè minoris momenti euulgauerunt? ſed laruam iam auferamus ſæuiſſimis lupis Ouilis Chriſti, Ad publicam vos prouoco diſputationem: edite veſtras hac de re lucubrationes, Siletis? Audite claſſicum: Nullus veſtrum editurus eſt deſenſionem horum cambiorū ære cuſam, Inter plurimos tot Nationum Theologos, qui audiuerunt ſacras confeſſiones campſorū, qui hęc cambia, ipſis permittentibus exercuerunt, nullus erit, qui oſtenſurus ſit, probabilitatem ſuorum conſiliorum durare nullus: Doctorum virorum viuentium, qui ea deſenderunt in ſuis operibus iam euulgatis nullus ſuſcepturus eſt ſuarum opinionum deſenſionem? Nullus. In tanta doctorum hominum copia nullum poterunt inuenire campſores ſuis ingentibus diuitijs, qui probabiliter poſſit defendere hæc cambia? Nullum. Si euentus huic reſpondetit prædictioni (reſpondebit autem utiq;) alterum te dicere oportebit; uel me eſſe propheram, uel nullam adeſſe rationem oſtendendi, hęc cambia eſſe probabilia: Cum autem primum falſum ſit, ſecundum verum eſſe neceſſe eſt, cum nihil adſit inter hæc medium, re accepta moraliter, prout fieri debet in moralibus diſputationibus.

110 Accedamus nunc ad poſtremam partem noſtrę diſputationis, in qua explicandum eſt, quid congruit officio boni confeſſarij circa exercentes hęc cambia, volentes ſibi ſua confiteri pecata; Primo autē explicandum eſt, an ſacerdos mediocris doctrinæ, & exiſtimationis poſſit ſine ſcandalo concedere abſolutionem ſuorum peccatorum exercentibus ipſa ſub ſpecie probabilis opinionis, euulgatis his vigilijs. Secundò an ars campſoria ſit ex ijs, quibus congruit Diuinum Oraculum, qui amat periculum, peribit in ipſo. Tertiò an hæc ars ſit interdicenda pœnitentibus velut continens ſcandalum. Quod ſpectat ad primam, ponendum eſt pro explorato, arduum nimis eſſe penetrare ſubtilitates campſorum vt omnes docent ſcriptores huius materiæ, quod ex eorum verbis intelliges, quæ mox recenſebo; Illis autem quibus ſatis eſt, campſores, quorum confeſſiones ſacras audiunt, dicere, ſe ſe non recedere à conſuetudine aliorū campſorum congruit Diuinum monitum, Sinite eos abire; cæci enim ſunt, & duces cæcorum: Cum omnes ſcriptores huius materiæ proſiteantur, ſub ſpecie cambiorū frequenter latere vſuram, quæ ratio perſuadere tibi poteſt, ſatis eſſe, cambia exerceri iuxta conſuetudinē, vt haberi poſſint pro iuſtis? Si nō es aptus ad perſcrutandos modos vſitatos cambiendi, relinquas munus audiendi ſacras confeſſiones campſorum ijs, qui eos bene callent, arduum etiam nimis erit defendere probabiliter cambia vſitata apud campſores; Mediocris autem doctrinæ virū profiteri ſe ſe idoneū penetrādis, & benè decidendis quæſtionibus difficillimis in materia valde periculoſa, eſt quid habens, vt leuiter dicam, ſpeciem mali: ergo continet formale ſcandalum, mediocris doctrinæ ſacerdotem his cognitis, audire ſacras confeſſiones eius, qui exerceat actu, velitq; deinde exercere hæc cambia; ſcandalum enim definitur dictum, vel factum minus rectum præbens occaſionem ruinæ proximo, vt per D. Thomam 2. 2. q. 43. artic. 1. ſed dicet quis, habeo recentes ſcriptores illuſtres teſtantes de probabili opinione, quid aliud mihi querendum eſt? Vt cætera prætereaṁ dico, ſcriptorum huiuſmodi dicta in hac diſputatione examinata fuiſſe valde diligēter, & detecta fuiſſe in multis manifeſtè defectiuas, & proinde deducere ex ipſis probabilem opinionem non perſcrutatis funditus rationibus, quibus eorū doctrinę impugnantur, eſt ignorantia affectata vel præcipitatio haud incōſideratis, quæ inducunt mortale peccatum propter periculum grande, quod imminet erranti, vt bene declarat Leſſius de iuſt. & iure lib. 1. c. 2. dub. 4. n. 19, & 20. hoc autē mediocris doctrina nō pręſtabit ſibi: Dices rurſus, neminē ex ſcriptoribus huius materię propoſuiſſe hanc doctrinam: etiam boni viri, dū .n. exaggerauerunt grandē huius materię difficultatē, quid aliud ſignificauerunt, quā ab ea abſtinere debere eos, qui mediocrē habent circa contractuū iuſtitiam cognitionem? ex hoc autē genere ſunt dubio procul, qui ea profeſſo ijs perſcrutandis nō incubuerint; qui enim poſt grandes in Theologia ſpeculatiua progreſſus ſic vacant caſibus conſciētiæ, vt, prout occaſio fert, præſentem perſcrutentur difficultatem, ſcopum veritatis attingunt per accidens, hoc eſt ſi ſcriptores, quos adierint, eam enucleauerint.

111 De ijs nunc tractemus, qui ſunt grandis doctrinæ magiſtri in caſibus conſcientiæ, quorum numerum exiguum eſſe oſtendunt libri, qui frequēter eduntur ab eorum profeſſoribus celebribus; ſi hi dixerint, ſe ſe perſcrutatos fuiſſe rationes vtrinque adductas, & tandem veniſſe in ſententiam, quę his cambijs tribuit probabilitatem, non erunt repræhendendi ab ijs, qui id audierunt, donec labatur tempus opportunum ad ſuas edendas vigilias, niſi alius antea id benè præſtiterit. Statim .n. ac aderit occaſio idonea exiſtimād., eos nolle ſuas euulgare ſuper cambijs lucubrationes, erunt valde ſuſpecti doctis, ac prudentibus viris: Cum enim agatur de ea materia, in qua multorum animę periclitantur, niſi defendatur probabilitas cambiorū in hac diſputatione impugnatorum (quia nolunt reſtituere acquiſita per ipſa, nec volunt abſtinere ab ijs exercendis) vtiq; euidens eſt, eos qui dicunt, ſe habere paratas rationes defendendi probabilitatem horum cambiorum, omittere id, quòd à peccato liberaret ingentem numerum perſonarū; quod continet grande eorum peccatum aduerſus charitatē proximo debitam: proinde omnino indigni ſunt fide, niſi oſtenderint cauſam idoneam, cur non ſubueniant tot perſonis conſtitutis in pe-

Digitized by Google

riculo ſalutis, adeas D. Thomam 22. q. 43. artic. 7. ad quartum in clauſula quod patet.

312 Recenſeamus nunc teſtimonia ſcriptorum huius materiæ circa grandem eius difficultatem, & Gaetanus in principio ſui tractatus de cambijs hæc ſcripſit. *Tanta ſi quidem eſt huius rei obſcuritas, & inuolutio, vt hinc conſuetudine non ſine fautoribus, & inde doctoribus plurimis, modernis tamen, tacendum potius videretur.* Sotus de iuſt. & iure lib. 6. q. 8. art. 1. in princip. ſic ait, *materia hæc vt cognitu maximè neceſſaria, ita cum per ſe ipſam abſtruſiſſima, tum etiam mercatorum nouis, quotidianiſq; inuentis intricatiſſima, ac ſubinde doctorum opinionibus plurimum offuſcata:* deinde inquit. *Secundò ratione finis: quia ſcilicet huiuſmodi commutatio non ad prouidentiam proxime neceſſariorum vitæ, ſed propter lucrum fit, quod infinitam appetendi ſitim, atq; adeo ſic nude conſiderata male ſonat. Accedunt etiam huic arti eadem incommodorum periculorumq; genera, ac ſubinde fraudes, & alia mala, quæ ſuperiori libro q. 2. negotiationi annecti oſtendimus: imo vero hæc eſt pluribus delinquendi occaſionibus expoſita.*

313 Io: Lupus de vſuris com. 3. §. 2. cum nu. 45. approbauiſſet dictā Soti de eius difficultate ſententiam nu. 53. ſic ſcribit, *in quo erit diligentiſſime animaduertendum, quando ſub huiuſmodi colore huius noſtræ ætatis mercatores ob explendam illam inexauſtā diuitiarum ſitim, tot vſuras palliant, atq; confingunt, quæ in dies magis magiſq; graſſantur in Rep. Chriſtianā, vnde hoc cambiū legitur à pluribus diuiſum: & n. 55. inquit. quamobrem propter huius lucri inexauſtam ſitim mortales cambium in negotiationis artem mutarunt, prout hoc colore menſam in foris publicis ad hoc tantumodo videmus illos retinere, in quibus, vt plurimum grauiſſimum fænus exercetur ſub hoc cambiorum clypeo &c. & ideo non ſine ratione cambia nonnulli grauiſſimi ſcriptores reprobant: quæ hac de cauſa eſſent à Chriſtiano commercio penitus reiicienda, atq; exterminanda: Et meritò quot quot ſunt Sancti, & prudentes viri ab iſta nummularia, quæſtuariaq; arte deterrent homines, & qui illi ſe dedunt male audiūt apud populū.*

314 Io: Baptiſta Cauatius in proemio ſui tractatus de cambijs hæc habet: *Cum autem mecum ipſe cogitarem tot, ac tantos PP. erraſſe, ea præcipue ratione, quia campſores habent particulares terminos, quos vt plurimum viri docti ignorant, & tamen ſine illis natura, & ſubſtantia contractus dignoſci non poteſt, & multò minus qualitas iuſtitiæ vel iniuſtitiæ &c. redditur, etiam difficilior propter vafrities, & ſubtilitates malorum:* in titulo autem de cambijs idem author hæc habet *quia nō ſolum in cambijs, ſicut in alijs contractibus poteſt exerceri vſura, ſed etiam eorum vſus maioribus iniquitatibus expoſitus eſt, vt dicit Lud. Carb. in tract. de reſtit. c. 59. in principio; & non ſolum contractus cambij eſt contractus periculoſus ſecundum Bernad. de cambijs nu. 17. in fine, ſed cæteris omnibus in quibus Chriſtianus ſe ingerere poteſt pro conſcientia magis periculoſus, adeò quod nullus eſt, qui longo tēpore cambijs incubuit, qui non cōmiſerit multas vſuras, vel pro vſurario non ſit habitus.* Et non multò poſt ait; *Ego autem exiſtimo, quod ſalubre, & bonum foret, ſimpliciter prohibere recambia ſub grauiſſima pœna quia vel omnia, vel maior pars apertiſſimum fænus redolent, & illis male vtuntur homines: in tit. autem ſeq. idem author ſcribit, nullus eſt contractus, de quo tura magis ſuſpicentur de fraude, quam ſit contractus cambij.*

315 Thomas Boninſegnius in ſuo tractatu de cambijs c. 4. in principio ſic ſcribit; *Maggior dubbio di gran lungha s'offeriſce, ſe vorremo giuſtificar quel cambio, che s'eſercita con arte, & col negotio, il cui vſo appreſſo di tutti è creſciuto, etiandio appreſſo di quelli che non ſono negotianti, mentre che vanno riuolgendo di cōtinuo i ſuoi denari ne cambij ſenza alcun fine di contrattar le merci, mandandoli à diuerſi fori, & facendoli ritornare per altri nomi cambij. La qual ſorte di cambio, oltre à queſto, che non ſi ſcorge, come ſi poſſi ridurre ad alcun fine honeſto di negotiatione, & per tanto non ſi vede, ch'arrechi alcuna vtilità alla ſocietà humana, è ſottopoſta ad aſſaiſſimi dubij, per le frodi, & inganni, in che facilmente puote incorrere, nella qual ſorte di cābio manifeſtamente ſi ſcuopre, come l'auaritia, & cupidigia ſia venuta al ſommo;* in capite autem ſeptimo in fine. *Che ſe alcuno addura, che quaſi ne' medeſimi modi s'eſercitano in Leone, & altre parti, tanto più ſi deue hauer dolore, e paſſione di tanta corruttione, ch'hoggimai hà preſo forza per tutto. E ſe douemo, non ſolo aſtenerſi dal male, come inſegna S. Paolo, ma anco da ogni ſorte di male, ſi doueremo aſtenere da quella ſorte di contrattare, doue ſi grande, e manifeſtiſſimo pericolo d'ingiuſtitia vi ſi ſcorge, ch'à pena vi potiamo fermare il piede, per non cadere in precipitio, percioche, chi ama il pericolo, dice il Santo perirà in quello,* & c. 4. nu. 8. ait, *E veramente molte coſe s'offeriſcono difficili intorno à queſto modo di cambiare, che ſtimolano grandemente, e conturbano le menti de gl'huomini timorati di Dio.*

316 Franciſcus Lud. Lopez de contract. lib. 2. c. 1. in principio hæc ſcripſit. *Materiam cambiorum auſpicantibus nobis tria ſunt, quæ magnam nobis ingerunt difficultatem. Primum, quod materia hæc valde difficilis eſt explicatu, ita vt à rudioribus vix intelligatur propter intricationem magnā aliquorum contractuū, de quibus agit. Tum quia ferè inacceſſibilis eſt modus omnis, quo cambia celebrantur propter eas vafricies, ac ſubtilitates, quas noſtri temporis mercatores annectunt. Tum maxime quia operoſum negotium eſt, inter tot, ac tam varias, in hac parte, Doctorum opiniones, punctū veritatis attingere, aut ſententiam veram, ſolida, & ſuffultam ratione ſtatuere;* Et c. 3. in principio hæc habet. *Supereſt, vt de cambio per litteras diſſeramus, quæ quidem materia inter omnes materias de contractibus, vt pote intricatior, maius ſcribentibus faceſſit negotium, & maiorem ingerit difficultatem, & proinde peculiari ope Diuini Numinis ad hoc indigemus, quo recto ordine, & diſtincto procedentes viam ad tam difficilis materiæ intelligentiā aperiamus.* In c. autē 5. in princ. ſic ſcribit. *Sicut qui profundum, latumq; flumen tranſmeare aggreditur, quantò ad profundiora eius magis accedit, maiori labore, & difficultate vrgetur, ſic etiā in hoc cambiorū labyrinto, quo magis ad interiora pergimus, magis præ difficultate materiæ deterremur.* Idem author in c. 14. col. final. ſic ſcribit. *hæc res de materia cambiorum eſt plena periculis, quæ non facile cauentur, ab his præſertim, quos pecuniarum ſitis in multa præcipitia iniuſtitiæ tranſuerſos agit quorum infinitus eſt numerus: Eos autem, qui iam ſe huic negotio applicuere, animaduerſos eſſe cupimus de his periculis, vt quam caute in exercendo hac arte ſe debant habere, quare oportet eos præſcriptas ſibi vias licitè cambiendi & à peritiſſimis, expertiſq. DD. approbatas obſeruare ad vnguem.*

317 Thomas Mercatus in prohemio ſui tractatus

de cam-

de cambijs ſic nos admonet. *Per trattar conuenientemente queſta materia de' cambi, biſognaria ſecondo il mio giuditio, tanta chiarezza, e reſolutione in queſto negocio, quanto ella, in ſe ſteſſa è oſcura, e confuſa, perche ſono tante le ſottigliezze, e tiri ingegnoſi di queſti negotianti; & le tele, & trame di eſſi ſono ordinariamente intricate, che maggior capacità biſogna per intenderle à chi non ne fà profeſſione, che à chi ne fà per eſercitarle; quanto dunque dourà eſſer più difficile l'eſplicarle, & il metterle in termini diſtinti, & chiari?* Et non multis interiectis clauſulis ait; *Ne interuiene quà, come nell'uſura (quantunq; habbino inſieme gran parentado) la quale eſſendo infame, rariſſime volte ſe ne fà profeſſione &c.* In c. 1. eiuſdem tractatus nu. 6. legimus. *Perche veramente queſt'arte, & queſto traffico è per la conſcienza il più ſcrupoloſo, & pericoloſo de' quanti ſi poſſono in queſto mondo, lecitamente eſercitare &c. ma di quelli, che ſi poſſono eſercitare, queſto è il peggiore.* Et in fine eiuſdem capitis hæc ſcripſit, *conoſceranno chiaramente, che meſſo à riſcontro quello, che ſi deue fare, con quello, che ſi fà, riuſcirà di così brutta apparenza, che il miglior conſeglio per ſaluar la conſcienza sarà di ritirarſi, & attender ad altro; perche tutto quello, che hora s'eſercita, & pratica è per la più parte corrotto, e mortifero,*

Michael Salon de cambijs q. 1. artic. 2. nu. 2. in fine in clauſula alteram partem ſcribit; *Campſoriam non eſſe ſimpliciter, & omnino licitã, & honeſtã, ſicut ſunt aliæ artes, quæ in Rep. exercentur hæc oſtẽdunt. Nam in primis campſoria malè inter omnes audit, quod non eſt de alijs artibus. Secundò, campſoria, quod negari non poteſt experientia teſte continet in ſe maxima pericula fœnerandi, quibus periculis non ſunt ita expoſiti alij artifices:* nu. 6. in principio ſic ſcribit. *Ars campſoria, per ſe, & nudè ſumpta, habet ſpeciem mali, & turpitudinis, licet poſſit ex fine, & circumſtantijs honeſtari:* in controuerſia autem 10. huius articuli idem auctor hæc ſcribit: *Humana induſtria, ſeu potius cupiditas excogitauit in hoc genere contractus lucrandi artes, ut ſuperejſſent illæ cuiuſuis ingenij, dum ad explicandas controuerſias, in quas modo incidimus, acceſſerit, aciem, & acumen. Quò circa implorandum maximè hoc loco Diuinum lumen, quo illuſtrati per hos anfractus, intricabilemq; labyrinthum certam veritatis viã tenere valeamus:* Et controuerſia 12. nu. 5. de modo cambiendi frequentiſſimo hæc ſcribit *illum igitur ſatis periculoſum eſſe, & occaſionẽ maximã fœnerandi afferre, neminem exiſtimos dubitare.*

118 Sigiſmundus Scaccia de cambijs §. 1. q. 2. nu. 11. hæc admonet. *Hæc cambij materia apud omnes Theologos, & I. C. reputatur obſcura, difficilis, & intricata: Prima reſpicit factũ ipſius artis campſoriæ: Secunda reſpicit diſpoſitionem iuris: & ex vtraq; parte innumeræ exurgunt difficultates, quibus mirum in modum ſcriptores torquentur:* idem author à num. 13. vſq; ad 27. adductis doctorum virorum teſtimonijs oſtendit, plurimum difficultatis, & periculi hãc artem continere. Dominicus Gaitus de credito c. 2. tit. 7. nu. 1160. ait, *materia cambiorum adeo difficilis, obſcura, & intricata per noſtrates iudicatur, quod eam de in his encomijs perſtringunt, nempe cambium dici labyrinthum con'cientiarum, præcipitium ſalutis, conflictum ſine concordia, pelagũ ſine portu, ædificium ſine fundamento & nu. 1186. tamen ego dicerem, lectorem beneuolum contentum eſſe reddere, vnam tamen inueſtigare cauſam, ob quam peritiſſimi in vtraq; diſciplina in hoc profundo pelago ſubmerguntur, quæ illa erit, nempe mundana hodierna cupidigia, ex qua homines mercatores excogitant tot artes lucrandi in cambijs, per quas naturam cambiorum inextricabilem reddunt.* Idem in Scaccia §. 6. gloſſa 1. n. 88. ſic ſcribit, *quamuis hoc cambium ex magis probabili, & veriori ſententia ſit licitum, tamen illud exerceri viri docti communiter diſſuadent, inter quos ſunt Leonardus Leſſius de iuſt. lib. 2. c. 23. nu. 71, Io: Azor. de inſtit. moral. p. 3. lib. 10. c. 9. queſt. 2. late Michael Salon ad D. Thom. 22. poſt. q. 78. in diſp. de cambijs q. 4. artic. 2. contr. 12. nu. 5. verſ. ego certè, & ſeqq: hecq; diſſuaſio illi præcipuo nititur fundamento, quod mutuum facile palliari poteſt cambio, ideoq; cambium eſſe valde ſuſpectum de vſura, ſcribunt ij, quos citaui ſupra §. 1. q. 2. nu. 26, & præſertim hoc cambium recurſæ, cum in eo maior ſit ratio ſuſpicionis.*

119 Romualdus Coli ante ſuum tractatum de cãbijs ſic lectores alloquitur: *Il negotio del cambio è pieno di molte difficoltà; ſi per eſſer diuerſi i pareri trà i migliori, e i più dotti Theologi, mà anche per le inſolite aſtutie, e ſottigliezze de' mercanti di queſti noſtri tempi rimane queſto negotio da molti non ben conoſciuto: e perciò pieno d'ingiuſtitie, d'vſure palliate, e di cambi ſecchi, o finti: hò trouato con molto mio diſguſto alcuni non conoſcere la vera giuſtitia, mà ſolo il proprio intereſſe: altri di qualche intelligenza, & autorità sforzarſi di giuſtificare qualche cambio ſecco; Pieno dunque di marauiglia, & amaritudine inuocato il Diuino aiuto, mi preparo à darne qualche breue, e facil notitia.* Bernardus Iuſtinianus in epiſtola ad lectorem ſui tractatus de continuat. cambiorum hæc ſcripſit. *Naſce, per mio parere, l'inconueniente, dall'eſſere i cambi poco inteſi da molti Theologi, e Confeſſori, come auertì anco il Soto: non perche nella Filoſofia, e Theologia non ſi trattino, e non s'intendino coſe molto più ſolleuate, e difficili, che i cambi non ſono; ma perche ſi capiſce malamente vn tal contratto da chi non ne hà la pratica, e quella eſperienza, che eſſi non hanno.* Molina de contractibus diſp. 410. nu. 9. ſic ſcribit. *Non verò quod cambia quam ſæpiſſimè non ſint diſſuadenda hominibus propter actus, quos ſæpe in eis committunt, & propter pericula amittendi ſempiternam beatitudinem, quibus ſe exponunt parum timorati, qui huic negotiationi incumbunt.*

120 Conradus de contractibus queſt. 99. in fine ſic admonet confeſſarios. *Et hæc de cambijs dicta ſufficiant, quantum eſt de rigore ſcholaſtico: Et quia multifariam fraus, & corruptio poteſt latere in quibuſdam modis cambiorum ſupra memoratis, & ideo circa illos modos, de quibus eſt problema, & varietas opinionum apud Doctores an ſint liciti, vel illiciti, & ſignanter circa illos, qui ſunt habiles ad hoc, vt ſub illis latere valeant vſurarij, & homines mente corrupti: & circa illos, qui habent ſpeciem mali, debet confeſſarius ſeruare documentũ illud, quod ſæpe eſt comemoratum ſupra circa contractus difficiles, & ancipites, atque periculoſos, prout q. 30, 66, 67, 80, & 84. ſcilicet, vt quantũcumq; poſſent tales caſus de rigore Scholaſtico defenſari tanquam non vſurarij, aut alias contra iuſtitiam commutatiuam: tamen ante factum ſunt omnino diſſuadendi immo poſt factum eſt imponenda pœnitentia actoribus, prout patuit q. 80, & etiam poſt actum ſunt actores inducendi ad omninno abſtinendum de cætero à talibus ex cauſis membratis q. 80, & etiam alijs locis.*

121 Franciſcus Fabronus apud Amatũ deciſ. Ferrar. 45.

tar. 45. nu. 44. cum ſeq. hæc habet, *ea eſt humana mentis conditio praua admodum, ab adoleſcentia ſua cupiditatibus ſuis inſeruiens, proprijsq. voluptatibus, & vtilitatibus ducta, vt eò paulatim labatur, vnde difficilis exitus detur, cumq; hoc in innumeris, vbiq; locorum cernatur rebus, attamen magis apparet in ijs caſibus, in quibus homines dira pecuniæ cupidine tracti operantur, ſæpiſſimè namq; ſub honeſto aſpectu latet vſuraria prauitas, pecuniaq; ex ſterili iam fæcundiſſima aliam pecuniã gignit; hocq; licet varijs modis contingat, tamen vel ille potiſſimus eſt, quo ſimulatur cambium Placentiæ, & miſſis manibus litteris, deniq; ſoluitur cum intereſſe, vbi prius accepta fuerat;* Reginaldus lib. 25. nu. 466. ait; *Interea autem monendi ſunt seriò, valdè lubricam, & plenam periculis eſſe cambiorum materiã, proindeq; caueant diligenter, ne pecuniarum cupiditas eos tranſuerſos agat, & diaboli laqueis innectat. Quare nihil temerè moliantur, nec ſuis aut alienis inuentis nimis facilè inſiſtant, in aucupando aurum, & argentum per cambium; ſed à doctiſſimis, & peritiſſimis præſcriptas, & approbatas, tanquam licitas cambiendi rationes ad vnguem in omnibus ſequantur:* Numero autem ſequenti ſic ſcribit. *De praxi cambiorum vſitata hodie malo tacere, quam perperam dicere in expertus cũ tot ſubtilitatibus lateat tenebras offundentibus.*

122 Homobonus in examine Eccleſiaſtico p. 2. tract. 9. quæſt. 54. in principio ſuppoſitorum hæc ſcripſit. *Suppono primò, materiam cambiorum per ſe abſtruſiſſimam eſſe, & multis difficultatibus inuolutã, ac nouis quotidianiſq; mercatorum inuentis intricatiſſimam, ac ſubinde Doctorum opinionibus plurimum offuſcatam: ſi quidem inter plurimas artes, & induſtrias, excogitatas, huiuſmodi profectò ſolertia, lucrandiq; exquiſitus modus, qui ex ſola pecuniæ negotiatione per cambij contractum prouenit, comentum, dubio procul, acutiſſimum, ac ſubtiliſſimum Doctoribus ſemper viſum eſt; vt proinde nemini dubium eſſe debeat; ſi hoc contrahendi genus, tot doctiſſimis, grauiſſimiſq; authoribus, tam abſolutis Theologis, quam iuris Canonici iuriſperitis, magnum negotium fecit. Et quamquã à compluribus rerum moralium, & ad conſcientiam ſpectantium ſcriptoribus copioſe, accurateq; de his diſceptatum eſt, non ſatis tamen ob nouos, quos præſens ætas inuexit, & quaſi in auditos cambiendi modos, quos præſens ætas inuexit cambiendi modos, veritates (ſicut nec nos) perceperunt, nec latentem vſurariam prauitatem denudauerunt.* Raphael à Turri in tractatu de cambijs diſput. 3. queſt. 14. in fine hæc ſcriptis tradidit. *Non fuit conſilium aliena omnia rimari, & quaſi mea facere, ſed quantum poſſem huic conuentioni luminis afferre, quod non putaui ex ijs me conſequi poſſe, qui licet optimè meriti de hoc eodem argumento, tamen de ſuo pauca comenti in referendis, & interpretandis aliorum dictis ſumma cum laude verſati ſunt.*

123 Hieronymus Llamas in ſumma, ſeu instructione confeſſar. p. 3. §. 32. hæc habet: *poſtquam in tantum creuit cupiditas, vt mercatoribus augmentũ, & vtilitas mercaturæ parua videatur, eximiè ab hinc 60. annis diminuta eſt mercatura, & modo ferè totaliter deperdita mundũ à cardine ad cardinẽ mouet: eſt quædã pluſquam metaphiſica, & imaginaria machina, quæ negotiorum homines, per fidem, ſiue (vt ipſi vocant) creditum, & litteras, omnium nundinarum mundi molem portant, & omnis negotiatio redacta eſt ad pecuniarum contractus, præſentium pro futuris, litterarum pro litteris, & multoties fit, vt credito in ære (vt aiunt) fundato; vt iam neq; vlna panni, neq; feriet interueniat, & in tantum creuit acuties, & humana prudentia filiorum huius ſæculi; vt à D. Auguſtino, S. Thoma, vſq; ad vltimum Theologorum, & à primo vſq; ad vltimũ iuriſperitorum, quos innumeros circa præſentem materiam ferè, & vidimus, & legimus; nemo tamen eſt, qui in facto omnes rimauerit latebras, vnde & in doctrina hoc tempore apparebunt diminuti; nec mirum cum huius ſæculi filij, filijs lucis prudentiores ſint, tamen in generatione ſua.*

124 Philippus Faber de reſtid. 47. n. 265. hæc habet. *In hoc contractu cambiorũ eſt valde difficile, inuenire iuſtitiã, & iniuſtitiã ſecundum omnes.* Scorta ſuper Conſtit. Pontificis theoremate 283. col. 3. poſt principium hæc ſcribit. *Negotiatores frequenter addunt, & variant plures circumſtantias, cum magno animarum ſuarum periculo, & Theologorum perplexitate:* & theorema 279. poſt principium inquit, cambiorum materia perdifficilis eſt, & docti viri in ea explicanda deſudauerunt. Duardus in prohemio ſui tractatus de cambijs in principio inquit; *Si verò permixtas fraudes & illiciti lucri cupidinem; eius malitiam deteſtaberis:* & in octaua queſt. prohem. conſtit. nu. 32. hæc ſcribit, *artem campſoriam fæneratitiam per prius exercebat, non autem veram, & realem. Et quatenus veram exercuiſſet; adhuc tamen ad eam noluit redire; quia negare non poteſt, quin etiam hæc ſit valde periculoſa, & ſicut fæneratia cambiorum negotiatio, citra peccatum nullatenus exerceri poteſt; ita etiam realis non ſine magna difficultate: nam ob id Greg. in illud Io. c. 21. loquitur alternatiuè inquiens,* Nullatenus, aut vix non poteſt exerceri ſine peccato, *ideſt nullatenus fæneratia: vix, hoc eſt cum magna difficultate realis, ob periculũ ponendi in ea vltimum finem; eandemq; exercendi ſola maioris lucri cupiditate, & pecuniam in continuo cambiendi circulo ponendi,* Idem Duardus §. 1. quæſt. 26. nu. 1. in fine ait, *in huiuſmodi cambijs verſatur tota ferè nummulariorum negotiatio, & innumeræ ſub eorum pallio committuntur vſuræ.* Hæc ſunt teſtimonia ſcriptorum huius materiæ clarè probantia, in exercendis cambijs ſæpiſſimè fieri contractus vſurarios, & difficile eſſe, ſubtilia penetrare inuenta campſorum; ex his verò ſequitur, apertè errare eos, quibus ſatis eſt, campſores, quorum confeſſiones ſacras audiunt, affirmare, ſe ſequi cõſuetudinem aliorum campſorũ: cum enim exercentes cambia ſint ſuſpecti de fænore; ſimpliciter ſequi conſuetudinem campſorum, nihil aliud eſt, quam ſequi ducem ſuſpectum; Ex eo autem, quod eſt difficile penetrare ſubtilitates campſorum, ne colligas, valde difficile eſſe intelligere modos ineundi cambia, quia falſum id eſt; nam pendent ex modis contrahendi claris per ſe, ſi declaretur ſignificatio terminorum huius artis, & negotium à ſua origine vſq; ad finem explanetur; Sed difficultas conſiſtit in penetrandis conſequentijs quas deducturi ſunt campſores ex conceſſis, quas præuidere ij ſoli poſſunt, qui optimè callent hanc artem: & ideo magna temeritas eſt, approbare nouum modum negotiandi in hac arte, quò ad eos, qui coniunctam non habent magnam contractuum ſcientiam, quæ perpaucis contigit, cum exacta cognitione artis cambiendi.

125 Exponamus nunc, an exercere hæc cambia ſit, per ſe adeo periculoſum, vt non ſit permittendum

dum pœnitentibus ea exercere, ſuppoſito, quod ſit probabibilis, opinio ipſis fauens. Primò autē dico, quod probabilis opinio non eſt tuta in conſcientia, quando pœnitens de eius veritate dubitat, ſic præciſe docet D. Thomas quolibet 8. artic. 13. in fine, dum hæc ſcripſit. *Aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem: ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum: & ſic remanente tali dubitatione, plures præbendas habere, periculo ſe committit: & ſic procul dubio, peccat, vt pote magis amans beneficium temporale, quam propriam ſalutem. Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem ducitur; & ſic non committit ſe diſcrimini nec peccat*: quam doctrinam clarè exprimit Clem. V. cum Vienenſi Concilio in Clemēt. exiui de Paradiſo §. item quia in illis verbis. *Attendentes, quod in his, quæ animę ſalutem reſpiciunt, ad vitandos graues remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda*: remotſus enim conſcientiæ tunc omnino adſunt, cum pœnitens inducitur in dubitationem practicam ex fundamentis contrariæ opinionis. Nec his repugnat probabilis opinionis authoritas hoc ſæculo adeo exaltata, in tanta copia eorū ſcriptorum, qui, bona venia dixerim, melius feciſſent, ſuas ſi occultauiſſent lucubrationes, quia eius ſequaces ſupponunt, abeſſe ab eo, qui ipſam ſequitur, dubitationem practicam: audi Michaelem Salon de iuſt. & iure quæſt. 64. artic. 2. concluſ. 4. col. 5. ſic ſcribentem. *Nunc ad arg. pro prima opinione: ad primum reſpondeo, ſequentem probabilem creditam veram, non ſe exponere periculo errandi, nec ſequi regulam dubiam, quia (vt diximus) iudicat illam veram; eiq; adhæret vt optimæ regulæ, quamuis, quia opinio eſt, ſit cum aliqua formidine; vnde licet ſpeculatiuè ſit dubius, quænam ex illis ſit vera; quia vtraq; probabiliter eſt vera; practice tamen certus eſt, licere ſibi amplecti eam, quæ probabilis eſt, & probabiliter credita*, quæ doctrina, ſi bene in ſuis fundamentis conſidetabitur, non poteſt reuocari in dubium: non eſt autem omittendum id, quod idem Salon in col. antecedenti ſcribit in ſecundo fundamento in illis verbis. *Hoc tamen eſt ſolatij in tanta opinionū varietate, vt ſi quis, omni humano ſeclusſo affectu, ſimplici, ac nudo affectu attingendæ veritatis, diligenti ſtudio, ac oratione ad Deum (qui omnis veritatis, ac lucis fons eſt) & his medijs adhibitis, hanc vel illam probabilem opinionem, quæ ſibi vera videtur, amplectatur, manet tutus in conſcientia; etiam ſi opinio illa à parte rei ſit falſa*: Quod eſt illud, quod deſiderat Sanctus Thomas, vt non moueatur ex bono temporali ad ſequendam eam opinionem probabilem, quę ſibi tribuit ius retinendi. His ſic propoſitis dico, nos verſari in ea re, quam campſores lumine naturali, & negotiandi arte inſtructi, non minus intelligunt, quam cōtingat viris doctis exercitatiſq; in perſcrutanda iuſtitia cōmerciorū; quia fundamentum opinionis receptę à ſcriptoribus huius materiæ, conſiſtit in doctrinis lumine naturæ, & apud negotiarores clariſſimis: An ſcilicet poſſit conſiderari animus permutandi pecuniam præſentem cum abſenti, vel emendi pecuniam abſentem in eo, cui noxium eſſet, ſibi numerari pecuniam abſentem in loco deſtinatę ſolutionis: Nec pueris quidem perſuaderi poterit, campſores, qui exercent hanc artem lucri faciendi cauſa, dum ineunt cambia habere animum conſequendi pecuniam numeratā in loco deſtinatę ſolutionis, quando id eſſet ſibi damnoſum: & proinde exercentes hanc artem id non ſunt inficiaturi: detracta autem mēte conſequēdi ſcutos *di marche* in loco deſtinatæ ſolutionis per numerationem pecuniæ, euidentiſſimum eſt, & receptiſſimum, eſſe cambium fœneratitium: hoc eſt ea mentę factum, vt pecunia ſoluatur in loco initi cambij.

126 Illam ſcriptutam, in qua inſtitor, reſponſalis, aut ipſemet campſor ſe ſe ſcribit debitorem ſummæ ſcutorum *di marche* debitorum virtute cambij, non eſſe veram ſolutionem, quia nullum parit effectum verę ſolutionis, omnes omnino negotiarores intelligūt; quia omnes ſciunt, quod extinguitur debitum illud, cuius ſolutio vera interuenit præciſe, vel æquipollenter: & conſequenter omnes intelligunt, eſſe actum ſimulatum mandare, ſolutionem horum cambiorum fieri in nundinis; quia nolunt liberari, ulla ex parte, debitorem cambij per ſolutionē ſecuturam in nundinis; & conſequentur omnes intelligunt, recambia ſuo carere fundamento, cum in eorum literis dicatur, ideo ſe ei mandare, vt ſoluat ſcutos *di marche* expreſſos in literis, quia ipſe ſoluit pro eo cambium in nundinis.

127 Omnes intelligunt, cambia *con la ricorſa* rariſſime, idq; cum dolore campſoris, ſolui in nundinis in pecunia numerata, ſed id ferè ſemper ſequi in loco, in quo inita fuerūt, quomodo autē poteſt mens alicuius negotiatoris auerti à cogitatione, quod fuerit id introductum in fraudem conſtitutionis Pij V. cum videant, ſolutiones, quæ fiunt per ſcripturam in nundinis, nullam alium effectum realem parere, præterquam ſternere viam recambijs? Vident campſores, magis grauari per ſe debitores per cambium *con la ricorſa*, quam fiant per cambia damnata à Pio V.: qua ratione ergo poterunt, ſibi perſuadere, ea eſſe fœneratitia, hoc vero licitum.

128 Sciunt campſores, apud ſe, cæteroſq; ſuæ artis profeſſores, plerunque manere otioſos multos ex ijs nummis, quos exercent in cambijs; & longe minoris vtilitatis eſſe, cambia inire cum campſoribus, mercatoribuſue, quam cum ijs, qui non ſunt negotiatores: qua ratione ergo poterit eorum mens credere, ſibi deberi propter lucrum ceſſans queſtum, quem feciſſent in continuationibus cambiorum, quas exercuerunt cum ijs, qui non ſunt negotiatores? ſi confeſſarij diligenter eos ſuper his interrogauerint, nullum inuenturi ſunt, quem nō cognoſcant, practicè, vt leuiſſimè dicam, circa hæc eſſe dubium: quomodo ergo poterit ipſis ſuffragari prætextus probabilis opinionis? preclare Iuſtinianus de continuat. cambiorum queſt. 3. nu. 18. ait. *Hora inteſo il fatto, chiamo i negotianti al tribunale della propria conſcienza, e li chiedo, ſe in effetto paiono loro queſti veri cambi, veri pagamenti, e contratti reali, ò pure giuochi da fanciulli? ſe hanno veduto mai, che vn creditore dia danari al ſuo debitore, acciò che lo paghi, ſe non fuſſe fintamente in frande di qualche ſtatuto, ò legge: ſe giudicano bon contratto, cambiare il ſuo con il ſuo, e con i ſuoi ſoldi comprare lo ſuo ſteſſo ſcudo di marche. Aſcoltino tutti i Dottori, che di commun conſenſo gridano vnitamente, eſſere al vero cambio neceſſario, che chi prende in Genoua, habbia il denaro da ſodisfare in Piacenza.*

129 Ad

129 Ad hęc confirmãda ſpectat doctrina Conrădi de contractibus queſt. 100. col. 21. in fine, & col. 22. in principio dum ait. *Septimò arguitur Eccleſ. 3. qui amat periculum peribit in illo, Igitur quis peccat damnabiliter, qui ſequitur opinionem illam, quæ iuſtificat aliquem actum, quem alia opinio damnat: quia talis ſe exponit periculo. Dicendum, autoritas prædicta intelligitur de periculo probabili, vel æquilibri: non autem de periculo improbabili, & leui, & ſcrupuloſo. Modo ſtat quod ſequens opinionem iuſtificantem actum, non exponat ſe probabili, aut æquilibri periculo. Puta quia nec probabiliter credit, nec æquè credit, ſe peccare, ſicut credit, ſe non peccare. Immo probabiliter credit, ſe in nullo peccare: licet habeat aliquem leuem motum formidinis de oppoſito: qui tamen non adeo poteſt ſibi obſtare, vt læſa concientia dicatur, eum actum facere; & ſic non peccabit ex parte temeritatis; nec ex parte actus acti: etiam ſi ſit alias in ſe illicitus: quia per inuincibilem ignorantiam excuſatur, ſi ſe habet, vt ſecundus caſus docet,* concordat Salon dicta controuerſia 2. concluſ. 4. col. 2. in clauſula quartò ſi quæ ratio eſſet in illis verbis; *Opinio enim probabilis credita, verum non habet dubium; habet quidem formidinem, non tamen dubium, quod patet; quia aſſenſus dubius eſt anceps, & in neutram parte declinans; aſſenſus autem probabilis opinionis non eſt anceps, ſed determinatus in vnam partem, vt ſic fiat, vti indicatur; quamuis cum aliqua formidine, quod parum refert, cum in opinione quoq; probabiliori, quæ non eſt euidens, vel ſcita, ſit etiam formido: eſt enim de natura opinionis quantumcunq; probabilis, vt habeat annexam formidinem.*

130 Oſtendimus periculum magnum euidensque horum cambiorum quò ad inducendam mentem campſorum ſic aſſentiendi ijs, qui ea defendunt, quæ exercent, vt poſſit ſuffragari ipſis prætextus probabilis opinionis: oſtendamus nunc, hæc cãbia per ſe, eſſe adeo periculoſa, vt eis conueniat oraculum Diuinum Eccleſiaſtici c. 3. num. 27. *cor durũ habebit locum in nouiſſimis; qui amat periculũ peribit in eo:* Periculum magnum eorum exagerant ſcriptores allegati ſupra nu. 112. cum ſeq. quibus accedit Michael Salon coripheus inter deſẽſores cambij *con la ricorſa* hodie vſitati: is enim in controuerſia 12. nu. 5. ſic ſcribit, *illum igitur ſatis periculoſum eſſe, & occaſionem fœnerandi maximam offerre, neminem exiſtimo dubitare:* huiuſmodiq; cambiũ omnium difficillimum eſſe, *ſcribit Filiuccius vnus ex eius defenſoribus tract. 35. p. 2. nu. 426. c. 8. in principio:* neminemq; ſanæ mentis id eſſe inficiaturum puto, ſi vel mediocriter ea perpenderit, quę ſcripſi ſupra, dũ hęc cambia ſuis expreſſi coloribus num. 109.

131 Perpendamus nunc deciſionem S. Pontificis in c. 6. de vſuris, Archiepiſcopus Genuenſis interrogauit S. Pontificem circa vſum mercatorum Genuenſium, qui ſolebant vendere quaſdam merces habita fide de pecunia, iuxta illud preciũ, quod veriſimile erat, eas eſſe valituras tempore ſolutionis faciendæ, reſponditq; S. Pontifex; *licet talis contractus ex tali forma non poſſit cenſeri nomine vſurarum, nihilominus venditores peccatum incurrunt, niſi dubium ſit, merces illas, plus, minuſue venditionis tempore eſſe valituras:* Contractus ergo huiuſmodi, per ſe erat iuſtus, verum facile erat, eum vitiari ex mala mente venditoris merces vendentis huiuſmodi precio, etiam ſi putaret, eas non eſſe tanti valituras tempore ſolutionis precij: inde S. Pontifex infert, *ideoq; ciues tui ſaluti ſuæ bene conſulerent, ſi à tali contractu ceſſarent;* Ex eo itaq; quod deprauata voluntas venditoris facilè poteſt vitiare hunc contractum, colligit S. Pontifex, benè conſultutos eſſe eos ſuæ ſaluti ſpirituali, ſi ab huiuſmodi contractibus ineundis abſtinuerint: & hoc eſt illud, quod ſignificant ſequentia verba: *Cum cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeant occultari.* Nota autem illa verba *ſaluti ſuæ benè conſulerent;* nam ſignificant, eos, ſi ſecus fecerint, malè conſulere ſaluti ſuæ: ſicq; hunc textum eius interpretes intelligunt, *gloſſa in verbis niſi dubium, Hoſtienſis nu. 7. in fine, & 8. Io: Andr. nu. 2. in fine, Butrius nu. 4. Anchar. nu. 4. Abbas nu. 4. Zabarella nu. 4. Anan nu. 5.*

132 Deduxit autẽ S. Pontifex hanc doctrinã ex D. Paulo 1. ad Timoth. c. 6. nu. 19: *Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, in deſideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorũ eſt cupiditas:* hinc enim ſequitur, materiam negotiandi, lucri faciendi cauſa, eſſe ex ijs, quæ maioris periculi ſunt: & conſequenter in ipſis habet locum regula, *vbi maius eſt periculum, ibi cautius eſt agendum c. 3. de elect. lib. 6:* & ſi ergo cautè procedatur admonendo negotiatores de omnibus, quæ vitanda ſunt in commercijs, quæ exercent; non tamen cautius verſamur, dum permittimus eis, exercere illud commercium, quod in poteſtate eorum eſt, cum ſuo commodo vitiare; ergo debemus eis interdicere huiuſmodi commerciũ, ne imprudenter in hoc verſemur cum periculo ſalutis negotiatorum: imprudens enim ille eſt, qui putat, ſe ſatisfeciſſe muneri ſuo, cautè verſando in eo negotio, quod ex ijs eſt, in quibus cautius eſt procedendum.

133 Huc reſpicit doctrina D. Thomę p. 3. q. 41. art. 2. ad 2. dum ait. *Duplex eſt tentationis occaſio. Vna quidem ex parte hominis; puta cum aliquis peccato ſe propinquum facit, occaſiones peccandi non euitans. Et talis occaſio tentationis eſt vitanda ſicut dictum eſt. Lot. Geneſis 19. ne ſteteris in omni regione circa Sodomam. Alia verò tentationis occaſio eſt ex parte diaboli, qui ſemper inuidet ad meliora tendentibus: & talis occaſionis tentatio non eſt euitanda.*

134 Ad hæc confirmanda ſpectant ea, quæ ſcribit Conradus de contractibus quæſt. 80. col. 23, cuius verba recenſebo: implebunt enim aures eorum, qui ſciunt laudes Dei, ait autem. *Et ſi illa prima cauſa non ſufficit ad hoc, vt omnino abſtineat à talibus; tamen ſecunda cauſa eſt; quia homo attendere debet, quod facit, non ſolum, an licitum ſit, ſed etiam expediens. Omnia (inquit Apoſtolus) mihi licent; ſed non omnia expediunt. Vnde homo abſtinere debet etiam à licitis, quatenus maleuolis non detur frons, & via agendi iniquitatem, ſicut Apoſtolus non accepit ſumptus ab his, quibus prædicabat, vt non poneret offendiculum Euangelio, & vt pſeudo apoſtolis non eſſet locus ad peccandum, & quia valde vicinus eſt ille contractus, præſertim in tertio caſu, mutuationi vſurariæ, ei præ cunctis alijs ſimillimus: & ideo illi, qui non verentur mutuationem vſurariam exercere, acciperent viam eam exercendi ſub illius contractus nomine: vnde in foro confeſſionali dico, abſtinendum eſſe ſimpliciter à tali contractu ante factum, quantumcunq; poſt factum*

poſſet

Digitized by Google

poſſet de rigore ſcholaſtico ſaluari: vnde ex eadem cauſa poſſet Rector Reip. illum prohibere, debet confeſſor ei diſſuadere, & ipſe ex eadem debet abſtinere; imo etiã pro præterito contractu tali, etiam ſi in ſe licitus ſit, poteſt confeſſor, & deberet, ad cautelam ei pœnitentiam iniungere propter mentalẽ malitiam, quæ fortè acceſſit.

135 His expoſitis, largè quidem, ſed neceſſariò, ſequitur euidenter, cambia de quibus agimus, etiam ſi per ſe licita eſſent, quod nemo probabiliter oſtenſurus eſt, facillimè depravari à mala mente campſoris; ſi enim finis eius eſt lucrum: lucrum autem non poteſt ei obuenire, ſi numeretur pecunia in nundinis, quomodo poterit, ſe continere, ne abhorreat huiuſmodi numerationẽ? Si ferè ſemper damnoſum eſſet campſori, numerari pecuniam in nundinis, quomodo poſſumus credere, campſores eſſe regulariter inituros cambia ea mente vt numeretur pecunia pro ipſis debita in nundinis? Si lucrum conſiſtit in eo, quod ſuæ pecuniæ retineantur à debitoribus idoneis fide, & facultatibus, quomodo poſſumus ſperare probabiliter, campſores id non eſſe deſideraturos? quam facile autem accidant contractus vſurarij in negotiatione cambiorum, quæ damnamus, exponit Raphael diſput. 3. q. 11. num. 11; dum ait. *Plures, quos ego cognoui, timoratæ conſcientiæ, & qui toto animo abbominantur vſuras, pluries, mihi conſtat contractus vſurarios celebrauiſſe, quos tales fuiſſe conſtitit, non propter ſimulationem, ſed propter incompatibilitatem*; ad idem ſpectant ſcripta à P. Iuſtiniano in epiſtola ad lectorẽ ſui tractatus de continuatione cambiorum, quæ recenſui ſupra num. 110. in eadem epiſtola ſcribit. *Molti Confeſſori dunque da vn canto, non intendendo il fatto, i negotianti dall'altro, come che non veggono, ne ſtudiano i trattati de i Theologi, non s'auedendo dell'ingiuſtitia del contratto, ne riſulta, che con quella ſerenità di mente fanno tali continuationi, con cui farebbono vna limoſina, ò vn digiuno.*

136 Ad hæc defenſores callidi cambiorum dicturi ſunt, nullum ex ſcriptoribus, qui ea euentur, monere confeſſarios, vt non permittant pœnitentibus perſeuerare in his cambijs exercendis: ergo hæc opinio ſingularis eſt. Verùm hoc non eſt expendere doctrinas ſcriptorum, ſed in eorum verba iurare: Si ipſi hanc excitauiſſent dubitationẽ, & re diligenter perpenſa dixiſſent, poſſe confeſſarium ei permittere, vt perſeuerent in exercendis his cambijs, non deeſſet cauſa allegandi eos pro hac ſententia: Cum verò manifeſta ſit, abſit verbo inuidia, eorum negligentia hac in re, non examinando hanc dubitationem, meritò dicemus, non eſſe allegandam ipſorum negligentiam pro confirmatione ſententiæ valde pernicioſæ: Imprudentiam in rebus neceſſarijs ad ſalutem cũ eorum detrimento, continere peccatum mortale, docet nos D. Thomas 22. q. 53. art. 1. in corpore, quæſt. 54. artic. 3. in corpore: ad neceſſitatem autem ſalutis ſpectat, euitare peccata mortalia: ergo perſeuerare in exercenda arte tribuente continuas occaſiones proximas peccãdi mortaliter, continet, vt leuiſſimè dicam, imprudentiam circa neceſſaria ad ſalutem cum eorum detrimento: ergo continet peccatum mortale; Scio, callidos defenſores cambiorum exclamaturos eſſe (quaſi quod proponant aliquid ad augendam pietatem fidelium valde opportunum) me nimis recedere ab eo vſu, quem plurimi ex ijs obſeruant, qui ſacris confeſſionibus audiẽdis vacant: Verum mecum conſidera doctrinas, quas propoſui, an ſint veræ nec ne, & an benè applicentur cambijs, de quibus agimus; quod ſi id negari non poteſt, mea doctrina vera erit vtiq;.

137 Ne te autem decipiant doctrinæ recentes inconſideratè propoſitæ (vt frequenter ijs accidit, qui profitentur, ſe ſequi plerunq; benignas opiniones) aut abuſus eorum confeſſariorum, qui nõ valent, vel nolunt, ſuum implere munus (cuius generis ſunt ij, quibus ſatis eſt, ſuos pœnitentes affirmare, ſe cambire iuxta conſuetudinem aliorũ campſorum) conſidera mecum, multum referre, an tractetur de arte neceſſaria populo, aut de ea, quæ non eſt neceſſaria, vt eſt vſus cambiorum, de quibus agimus; Aliud eſſe agere de eo, quod non poteſt omitti abſq; periculo exiſtimationis propriæ, vel alienæ, vel patrimonij graui iactura, aut de deſerenda ea arte, quæ ſine vllo incommodo deſeri poteſt, prout accidit noſtris cambijs. Multum etiam refert, tractare de ijs, quæ exercentes non poſſunt penetrare, & per hoc non poſſunt intelligere vitia eorum latentia; & de illis agere, quorum malitiam intus, & in cute, quod aiunt, cognoſcunt, prout accidit campſoribus reſpectu cãbiorũ, quæ cum receptis ſententijs reprobamus. Aliud deniq; eſt agere de ijs, quæ poſſunt appræhendi facile velut licita ab ijs, qui ipſa exercent, tractare de illis, quorum iuſtitiam nõ poſſunt ſine maxima difficultate capere illi, qui ea exercent, prout ſunt hæc cambia: His conſideratis nihil remanebit, quod impugnet hanc ſententiam, ad extirpanda cambia vſuraria mirum in modum opportunam, præter obſtinationem eorum, qui ex defenſione ipſorum expectant exiſtimationis, aut pecuniarum augmentum: nihil enim inueníes ſimile apud ſcriptores, vel in vſu practico, in quo admittantur pœnitentes ad abſolutionem ſacramentalem, dum habent animum perſeuerandi in exercenda arte expoſita periculis ſimilibus ijs, quibus expoſiti ſunt exercentes hæc cambia: maximè ſi non adhibeant ſpeciales cautiones ad euitanda fœnora, quibus obnoxij ſunt frequenter, ſi credimus ſcriptoribus huius materiæ, campſores; quorum numero ſunt, dubio procul ij, qui ſe ſe expediunt ab interrogationibus confeſſariorum, dicendo, ſe ſequi conſuetudinem aliorum: ne autem ratio habeatur defenſorum horum cambiorum, illud euidenter efficit, quod velut clarum ſuppoſuerunt, valere hoc arg.: hæc cambia probabiliter defendi poſſunt, ergo permittendum eſt pœnitentibus, in ipſis perſeuerare; cum tamen id ſit, vt leuiter dicam, valde dubium.

138. Ne putes autem, Homobonum p. 2. examinis Eccleſiaſtici tract. 9. queſt. 56. qui de hoc ex profeſſo egit col. 2, 3, & 4, aliud ſentire; quia reſtringit ſuam doctrinam *dumodo, vt dixi, debitis conditionibus veſtiatur, & realiter exerceatur*: explicans enim has conditiones in queſt. antecedenti hæc ſcripſit. *Tertia conditio eſt, vt campſor, qui pecunias alibi ſoluendas dat, probabiliter ſciat, campſarium habere illas, vel fidem, & ſatisfaciendi voluntatem in illo præſumat, ita vt actu, vel virtute ibi nummos habeat, quos reddat; & vt illi, qui præſentem pecuniam*

N *dat,*

dat, velit illam abſentem.

139 Sigiſmundus autem Scaccia §. 1. q. 7. p. 1. nu. 64. cum ſeq. tractans de arte campſoria in genere, ſtuduit oſtendere, periculi conſiderationem non poſſe adigere confeſſarium ad denegandam abſolutionem ſuorum peccatorum volenti perſeuerare in exercẽda ipſa, cuius dicta poſſunt trahi ad noſtram dubitationem, ideoq; perpendere ea oportet. Primò autem dicit, *licet ars campſoria inclinet vehementer ad malum, tamen adhibitis honeſtis, laudabilibuſq; circunſtantijs ſit licita, & bona*: nota autem confeſſionem Scaccię acerrimi campſorum propugnatoris, artem campſoriam valde inclinare ad malum: *Secundò, ait, reſpondeo, negando eſſe malam, imo dico, hodie de ſui natura eſſe bonam, quia eſt veluti anteſignana negotiationum, quæ neceſſitatibus humanis neceſſaria ſunt*, quod non facit ad rem noſtram, quia cambia quę reprobamus, non deſeruiũt mercaturæ: dicit deinde, in eodem periculo verſari mercatores, negotiatores, & omnes diuites; & tamẽ eorum ſtatus non reprobatur à S. Matre Eccleſiæ: verum æquiuocat euidenter, quia actus proprij mercatorũ, negotiatorum, & diuitum, in genere conſiderati, per ſe non ſunt periculoſi, ſed propter defectum eorum, qui nolunt, vel neſciunt agere ſecundũ dictamen rectę rationis: quãdo verò deuenimus ad eam actuum ſpeciem, quæ præbeat facilitatem magnã peccãdi, interdicitur vſus ipſius vt oſtendit deciſio S. Pontificis in explicato c. 6. de vſuris: & conſequenter non pertinet ad noſtram dubitationem, quia non damnamus artem campſoriam per ſe; ſed quò ad vſum cambiorum, de quibus agimus, cum nimis periculoſa ſint, vt oſtendi.

140 Deinde ait Scaccia, ita demum peccare mortaliter, qui ſe exponit peccati mortalis periculo, quando ſe ſe exponit in aliquo caſu particulari; ſecus autem eſſe, ſi id contingat per electionem ſtatus, quia ſequeretur, peccare mortaliter eum, qui accipit Epiſcopatum, aliud ve Officium, quia hi ſtatus habent propriam materiam peccandi: adducens ad hoc ſcripta Nauarri ad c. qualitas num. 18, 19, & ſeq. q. 3. de pœnitent. diſtinct. 5; Verum animaduertendum eſt, cũ affirmare, hanc eſſe nouam doctrinam, quæ re vera eſt falſa euidenter: Si enim peccat mortaliter ille, qui ſe exponit periculo peccandi ſemel mortaliter, abſurdum vtiq; eſt, dicere, cæteris paribus, eum non peccare mortaliter, qui ſe exponit periculo peccandi ſæpius mortaliter: Aquiuocatio autem in hoc conſiſtit, quia aliud eſt, agere de periculo ſpeculatiuo, aliud tractare de periculo practico: At argumenta Nauarri verſantur in periculo ſpeculatiuo, nos autem in practico: ſi enim retineatur paritas terminorum; hoc eſt, quod adſit ille timor peccandi in accipiente Epiſcopatum, aliudue officium, qui exitit in eo, qui peccat mortaliter, dum vult exercere aliquem actum ſpectantem ad Epiſcopatum, vel aliud officium, propter periculum peccandi mortaliter in eo exercendo, nemo reuocabit in dubium, multo magis peccare accipiendo ipſum Epiſcopatum, ac officium.

141 Poſtremò ait Scaccia, duplex eſſe periculum; aliud adeo magnum, vt humanas fere vires ſuperet, & huic periculo nemo ſe debet exponere; & per hoc peccat, ſe ei exponendo: Alterum verò eſt periculum, quod quis firmo propoſito nõ peccandi poteſt ſuperare, & in iſto periculo dicit, quod exponens ſe periculo non peccat, dumodo ſeruet propoſitum; adducit autem pro hac diſtinctione Medinam de reſtitut. quæſt. 30. verſ. ad illud, Michaelem Salon diſput. de cambijs q. 1. artic. 2. nu. 9. verſ. ad quintum. Hęc diſtinctio non eſt admittenda, quia abſolute damnantur amantes pericula grauia, & iure meritò, quia eſt actus de directo repugnans propriæ animæ charitati; ſicut enim eſt peccatũ mortale, præbere occaſionẽ proximo peccandi, etiam ſi, per ſe non ſit ad id ſatis, ſed propter infirmitatem, vel ignorantiam eius, quia eſt contra charitatem debitam proximo vt explicat D. Thomas 2. 2. q. 40. artic. 1. in corpore, & artic. 7. in corpore; ita peccatum mortale erit, ſibi ipſi prębere occaſionẽ peccãdi iuxta modum, quo eſſet peccatum mortale reſpectu proximi, quia ordinata charitas incipit à ſe met ipſo: qua comparatione retenta, quæ in dubium reuocari non poteſt, probatur manifeſtè, quod voluntas perſeuerandi in exercendis cambijs, de quibus agimus, præbet ſibi ipſi occaſionem ruinæ, cum nimis facile ſit, in ipſis mortaliter peccare: hanc autem conſiderationem habuit S. Pontifex in d. c. 6. de vſuris: quia nimis difficile eſt, ſe priuare eo lucro, quod ex ſuo ſimplici verbo pẽdet, etiam ſi ſit illicitum, quia natura hominis corrupta eſt, & per hoc nimis procliuis ad malum, audi D. Auguſtinum id præclare explicantem de ſingularitate clericorum: *Nimis præceps eſt, qui tranſire contendit, vbi conſpexerit, alium cecidiſſe: & vehemẽter infranis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte. Amor autem eſt ei ſalutis ſuæ, qui, & vitat aliena mortis incurſum, qui, & prouidus eſt, & ſolicitus ſit cladibus aliorum.*

142 Inſuper conſiderandum eſt, periculorum alia eſſe leuia, alia grauia, alia grauiora, alia grauiſſima; quæ vtiq; deſiderant remedia proportionata ſibi: cum itaq; infimum remedium aduerſus pericula ſit, cognoſcere ipſum, rationemq; eius euitandi, & firmo propoſito præparare ſe ad reſiſtendum tentationi; ſequitur, hoc non eſſe remedium proportionatum periculis grauibus, ac grauioribus; & proinde non ſatisfaciet qualitati periculi grauis aut grauioris ille, qui ſe dicto modo præparauerit contra ipſa: ergo aliquid amplius præſtandum eſt circa hæc pericula: hoc autẽ eſt, illa à ſe auertere: hocq; eſt id, quod monuit S. Pontifex in c. vbi periculum 3. de elect. lib. 6. vbi maius periculum intenditur, ibi cautius eſt agendum: Cum itaq; ſit ex grauiſſimis periculis peccandi, ſaltem ex grauioribus, exercere cambia, de quibus agimus, ſequitur, non ſatisfieri charitati, quam ſuæ animæ debent campſores, niſi ea omnino dereliquerint.

143 Hæc in abſtracto dicimus, rem autem contrahendo ad perſonas ſingulares: confeſſarij interrogando campſores, quomodo ſe habuerint pręteritis menſibus, annuę in exercenda hac arte, ſi eos ſic verſatos fuiſſe intellexerint, vt graue extet periculum peccandi, quomodo poterunt permittere ipſis perſeuerare in hac arte? Secundò perpendi debent ſingulorum vires propriæ iuxta dictum Philoſophorum, quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur: quomodo ergo pote-

go poterit confeſſarius permittere pœnitenti, cuius vires ignorat, exercere cambia adeo periculoſa? Si cæcus cæcum ducit, ambo in ſoueam cadunt: In c. 6. diſtinct. 5. de pœnit. dicitur, eſſe falſam pœnitentiam quam habet ille, qui non vult dimittere artem, quæ ſine peccato difficulter poteſt exerceri, vt ibi not. gloſſa in verbis non poſſit; Ad idem ſpectat canon. 2. eiuſdem diſtinct. vbi ex S. Leone Papa hæc legimus. *Qualitas lucri negotiantem aut excuſat, aut arguit; quia eſt, & honeſtus queſtus, & turpis. Veruntamen pœnitenti vtilius eſt, etiam diſpendia pati, quam periculis negotiationis obſtringi: quia difficile eſt, inter ementis, vendentiſq; commercium non interuenire peccatum.* Cum nulla ſit comparatio inter pericula eorum, qui eam mercaturam exercent, quæ conſiſtit in emendo, & vendendo, & peccata, quæ offerunt cambia, de quibus agimus; quia huiuſmodi mercatura per ſe ſic iuſta eſt, vt mens nullo modo laboret in aſſequenda eius iuſtitia: Item facile eſt homini bonæ mentis, in ea exercenda verſari abſq; peccato mortali; ergo nulla eſt cõparatio inter eam, & noſtra cambia: quod itaq; dicitur de hac mercatura, eſſe vtilius pœnitenti, ad eam non redire, neceſſarium debet dici de noſtris cambijs; alioquin neceſſaria proportio violabitur, maximè ſi pœnitens dicat, ſe ſe ea exercere iuxta conſuetudinem aliorum, cum in arte per ſe ſuſpecta ſit nimis periculoſum, eam exercere abſq; peculiaribus cautionibus.

144 Quod ſi de ijs agatur, qui diuitijs abundant, multò magis id erit dicendum vt intelliges ex D. Thoma 22. q. 77. artic. 4. in corpore, dũ ait. *Prima commutatio laudabilis eſt, quia deſeruit naturali neceſſitati. Secunda autem iuſtè vituperatur: quæ quantum eſt de ſe, deſeruit cupiditati lucri, quæ terminum neſcit, ſed in infinitum tendit; & ideo negotiatio ſecundum ſe conſiderata quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de ſui ratione finem honeſtum, vel neceſſarium: nihil tamen prohibet, lucrum ordinari ad aliquem finem neceſſarium, vel honeſtum, & ſic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem, vel etiam ad ſubueniendum indigentibus. Vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam vtilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ patriæ deſint, & lucrum non expetit quaſi finem; ſed quaſi ſtipendium laboris:* Hactenus hoc fundamentum expoſui.

145 Ad poſtremum me confero, quod exercere hæc cambia, ſit exercere artem ſcandaloſam: vt autem id oſtendam apertiſſimè, capio definitionem ſcandali, vt ſic, & quatenus eſt ſcandalum puſillorum: Scandalum per ſe, eſt dictum, vel factum minus rectum prębens occaſionem ruinę, quam definitionem exponit D. Thomas 22. q. 43. artic. 1, & communiter recipitur: Scandalũ autem puſillorũ ſic accidit, vt explicatur in artic. 7. d. quæſt. in corpore. *Quandoq; ſcandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & huiuſmodi eſt ſcandalum puſillorum; propter quod ſunt ſpiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum imminet, quòd ſi reddita ratione, huiuſmodi ſcandalum duret, iam videtur ex malitia eſſe. Et ſic propter ipſum non ſunt huiuſmodi ſpiritualia bona dimittenda:* Si ſcilicet talis ratio ſit proportionata capacitati puſillorum: ſi enim ſecus ſit, durat ſcandalum, vt ibi monet Gaietanus, & cum eo alij com.: quod ſi ſpiritualia bona ſunt interim omittẽda propter puſillos, in temporalibus multò magis id accidet, vt in ſeq. articulo exponit D. Thomas.

146 Tribus modis hoc ſcandaloſũ eſt, primò quia præbet occaſionem ijs, qui non habent vires ſufficientes, cambia exercendi: Cum enim euidentiſſimum ſit, difficillimum eſſe, ſic eis incumbere, ne campſor expectet lucrum per modum debiti ob dilationem conceſſam debitori cambij ad reſtituendam pecuniam acceptam, vtiq; abſurdum eſſet, affirmare, facilè reperiri homines valentes ea exercere abſq; huiuſmodi ſpe: ergo exercere hæc cambia præbet occaſionem ruinæ ijs, qui eius exemplo excitati ſe conferunt ad ipſa contrahenda: Huc reſpicit D. Paulus ad Romanos c. 14. num. 38: dum hæc ſcripſit, *noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda: Sed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat; bonum eſt non manducare carnem, & non bibere vinum, in quo frater ſuus offenditur, aut ſcandalizatur, aut infirmatur*; cum his conueniunt ea, quæ ſcribit idẽ D. Paulus 1. ad Corinthios c. 8. nu. 9. cum ſeq. *Videte autem, ne forte hæc licentia veſtra offendiculum fiat infirmis: Si enim quis viderit eum, qui habet ſcientiam in idolio recumbentem; non ne conſcientia eius, cum ſit infirma ædificabitur ad manducandum idolo thyta? & peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt; quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum. ne fratrem meum ſcandalizem.*

147 Secundò ſcandalum interuenit reſpectu populi; cui ſunt ſuſpecta cambia *con la ricorſa*, vt teſtatur Scaccia §. 6. gloſſa 1. num. 90: non poteſt autem conſuetudinis prætextus adimere hoc ſcandalum, niſi inducendo errorem peiorẽ primò; quod ſcilicet credatur, poſſe conſuetudinẽ facere licitas vſuras: neq; etiam poteſt allegari, praxim cambiorum *con la ricorſa*, ignorari à populo, quia inter negotiatores, & mercatores plurimi ſunt, qui eam benè cognoſcunt. In Ciuitatibus autem, in quibus frequentia ſunt cambia, paſſim ſciunt, pecuniam, quæ accipitur per cambium ſoluendum in nundinis, verè ſolui in loco initi cambij: & conſequenter non poteſt reuocari in dubium, multos ex ijs, qui non exercent hæc cambia, noſcere ipſorum praxim; & per hoc non poteſt negari, eos ſcandalum pati propter hoc, cum cognitio huius praxis ſic pateſaciat vitia horum cambiorum, vt nulla ſuperſit ſpes probabilis, eis perſuadendi, hæc cambia vera cãbia eſſe, non autem mutua vſuraria: & in hoc differunt hęc cambia à cæteris contractibus, actibuſue controuerſis, quia ex illis rariſſimi ſunt, quorum vitia ſic populo innoteſcant, vt non poſſint velari per eam rationem, quæ viris illiteratis poſſit videri probabilis: Hoc enim ideo in his cambijs ceſſat, quia eorum vitia pendent ex ijs, quorum vim populus optimè intelligit; quis enim eſt, qui neſciat, ſolutionem cambij per ſe ſcripturam nudam factam, non eſſe veram ſolutionem, cum per eam non diminuatur debitum cambij vlla ex parte, & exactor non teneatur ad aliud, quam ad ſcribendas, & mittẽdas litteras recambij ad campſorem?

147 Tertium ſcandalum eſt reſpectu doctorum virorum, cum nulla ratio exiſtat perſuadēdi ipſis, poſſe campſores ea mente inire hæc cambia, vt pecunia in nundinis ſoluatur, cum id eis damnoſum futurum ſit. Non poſſunt etiam capere, quomodo exiſtimare poſſint campſores, veram eſſe ſolutionem cambij, quæ fit in nundinis, cum nolint, per eam vlla ex parte diminui priorem obligationem: Capere non poſſunt, quomodo poſſit campſor exiſtimare in continuationibus cambiorum, debitorem habere animum ſoluendi pecuniam numeratam in nundinis. Deniq; intelligere non valent, qua fronte campſores aſp tent pro compenſatione lucri ceſſantis, ad acceſſiones cābiorum, quæ in eorum continuationibus liberis contigerunt, cum ſciant, ſe ſe nullo modo tantū quæſtum facturos fuiſſe, ſi pecuniam apud ſe habuiſſent: Hoc autem ſcandalum hucuſq; non ademerunt defenſores horum cambiorum, cum nec tentauerint quidem, propius ad rei medulam accedendo, his ſatisfacere; & conſequenter ipſi eius participes ſunt, & per hoc tenentur deſiſtere à defenſione cambiorum, vel oſtendere rationes adeo probabiles, vt ſcandalum Phariſeorum ſit, defendentes hæc cambia habere ſuſpectos.

148 Hucuſq; expoſui officium Confeſſariorum circa exercentes cambia, de quibus agimus: Ea autem, quę propoſui procedūt cum ſuppoſito, quod ſit probabilis iuſtitia ipſorum, & proinde poterūt confeſſarij, apud quos hæc cambia ſunt probabiliter iuſta, euitare difficillimum ſcopulum obligationis reſtituendi acquiſita per hanc negotiationem: Cur autem difficiles aliqui futuri ſint in prohibendo ſuis filijs ſpiritualibus perſeuerare in his cambijs exercendis, videamus; non allegabunt vtiq; prætextum publicę vtilitatis; quia vtilitatibus mercaturæ, aut aliorum negotiorum tendentium ad commodum populorum hęc cambia nullatenus ſeruiunt: Alterum ergo eos neceſſe eſt allegare, vel ſui proprij commodi cauſa id facere; vel ob timorem, ne alium confeſſarium adeant, qui ſibi id permittat, apud quem eorum ſalus magis periclitetur: neq; enim dicturi ſunt, ſe miſericordia commoueri familiæ eius, quæ ſine hac arte incommodè viuere cogetur, quia difficultas maior ſpectat ad eos, qui confeſſarij ſunt campſorum diuitum. Cum autem ſcias ex D. Paulo, cupiditatem diuitiarum eſſe radicem omnium malorum, cuius verba recenſui ſupra nu. 137. & ex D. Thoma eam non habere modum, vt oſtendi ſupra num. 148. modica vtiq; ſibi ſupereſſe poteſt ſpes conſulendi ſaluti illorum filiorum ſpiritualiū, quos vides, ob cupiditatem diuitiarum perſeuerare velle in exercendis ijs cambijs, quæ ducunt ipſos ad interitum: E contra autem vides, exemplo tuo, alios ſacerdotes excitandos eſſe ad permittendum ſuis pœnitentibus perſeuerare in his cambijs exercendis; & per hoc intelligis, omnino conſeruata iri ea cambia, quæ à cætu fidelium extirpanda ſunt: qua ratione ergo admittis damnū, certū ob vtilitatē incertū, & lōgè, largèq; minorū.

149 Affirmat Sanctiſſimus Pontifex Pius V. in ſua conſtitutione de cambijs, ſuo muneri incumbere, adimere fidelibus occaſiones exercēdi vſuras ſub nomine cambiorum: Muneris Pontificij miniſtri vtiq; ſunt ſacerdotes vacātes ſacris cōfeſſionibus, & conſequenter abſurdum eſſet, eos inficiari, ſuo muneri incumbere, intra ſuum centrum adimere occaſionem exercendi fœnus ſub ſpecie cambiorum: qua ratione ergo quis te excuſabit, dum per diſtortas interpretationes contendis retinere vſum cambiorum, quæ nos receptis ſententijs expugnauimus, cum ex ipſis deducant campſores omnia fœnora, quæ exercentur ſub nomine cambiorum? Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari c. odia de reg. iuris lib. 6. cum ergo patimur defenſores cambiorum, dum per interpretationes difficillimas, ne dicā euidenter cauilloſas, cōſeruare curent inter Catholicos vſum eorū cambiorū, quæ occaſiones, vt leuiſſimè dicā, præbent frequentiſſimas fœnerandi? officium legiſlatoris eſt, bonos efficere ciues metu pœnarum l. 1. ff. de iuſt. & iure; quomodo ergo eos pati poſſumus, qui impediunt S. Pontificem Pium V. adimere ſtudentem occaſiones peccandi ſub prætextu cābiorum? impediunt autem eum defenſores horum cambiorum, cum admittant cambia peiora, ijs, quę Sāctiſſimus Pontifex nominatim probauit.

150 *Si operibus alicuius artis plures aliqui malè vterētur, quamuis de ſe non ſint illicita, ſunt tamen per officium Principis à Ciuitate extirpanda ſecundum documentum Platonis*: ſunt verba D. Thom. 2. 2. q. 169. artic. 2. prope finem: & de vitijs, quod eſſet occurrendum, docent Doctores com. de quibus ſupra lib. 16. c. 21. nu. 6. Cum itaq; conſtitutio Pij V. commodiſſimè euertatur per hæc cambia, vt oſtendi ſupra c. antecedenti num. 53. cum ſeqq. quomodo ferendi ſunt ij, qui per interpretationes euidēter diſtortas ea retinere volunt inter fideles etiam ſi negare nequeant, paſſim ſub eorum ſpecie latere fœnora pluſquam improba?

151 Eos autem doctos viros, qui voce, ſcriptiſue priuatim aut publicè oſtenderunt veritatem, quæ tunc temporis ſibi non erat nota, teneri, cognitæ veritati teſtimonium ſuum tribuere iuxta modum, quo nocuerunt proximo, euincit certiſſimum Sacrę Theologiæ principium, quod quilibet tenetur ſub pœna peccati mortalis tollere eā occaſionem ruinæ, quem proximo præbuit: Cum itaq; tua ſcripta, vt optimè intelligis, præbeant incautis nec non cauilloſis cambiorum defenſoribus occaſionem perſiſtendi in defenſione opinionum prauarum, & pernicioſarum, quis dixerit, te non teneri ea retractare, imitando S. Auguſtinum, ea, quæ perperam ſcripſit reuocantem? Perram enim te ſcripſiſſe fateberis, niſi editis eorum defenſionibus oſtenderis, tuas doctrinas in hac mea diſputatione ex profeſſo impugnatas, eſſe probabiles.

256 Hactenus expoſui ea, quæ doctos, ac pios viros alienare facile poſſunt à cambio nundinali defendendo: cæteros autem ad bonam frugem reducere Diuinam poſco virtutē. Cum autem doloſè ſe gerere ſoleant, exiſtimo, hac in re id eos eſſe obſeruaturos: Eorum autem fraudes detexi, vna excepta, quam nunc exponam: Dicturi ſunt, de cambijs eos ſolos agere poſſe, qui eorū praxim cognoſcunt: Verum te animaduertere oportet, nō paucos eam expoſuiſſe clariſſimè, & inter alios Raphaelem à Turri, qui inter cambia natus, educatuſq; ad ſenectutem vſq; perſeuerauit in conſuetudine campſorum illuſtrium; quicquid autem

dixi

dixi circa praxim campſorum, eius teſtimonio confirmaui: Quod ſi dixeris, cambia nundinalia, quæ defendis, ab his differre, petam differentiam; expone nominatim errores circa praxim cambiorum, quæ mihi opponis; indica locum præciſum, in quo id dixi; ne autem tuam illico indices calumniam, hæc te non eſſe præſtiturum prędico.

Intereſſe lucri ceſſantis an poſſit ab eo poſtulari, qui pecuniam negotiationi deſtinatam, apud debitorem remanere permittit, intuitu proprij commodi principaliter.
Cap. IV.

1 QVod ſcribit Nauarrus *in comentario de vſuris nu. 53. verſ. 16. noto, & n. 54. verſic. octaua, & in Manuali cap. 17. nu. 212. verſ. prima, & verſ. octaua,* non referre ſcilicet, an quis principaliter cogitet de ſua vtilitate, an de commodo proximi, quando mutuat pecuniam mercaturæ deſtinatam, aut emptioni rerum fructiferarum, ad effectum, vt poſſit cum eo paciſci de intereſſe lucri ceſſantis, vſuris latiſſimã aperuit ianuam; ideoq; conſtitui, hanc traditionẽ, ſi Deus dederit, euertere; primò autem oſtẽdam, refragari ſenſui Magiſtrorum Sacræ Theologię, & vtriuſq; iuris; ſecundò probabo, manifeſtè repugnare primis principijs huius materię; tertiò demonſtrabo, eos ſcriptores recentiores, qui hanc doctrinam receperunt, ſibi in ſuis principijs clarè aduerſari.

2 Innocentius in cap. finali de vſuris proponens caſum in eo, qui paratus erat emere merces quærit, *ſi & alius indigens pecunia ad eum veniat, & offerat eandem pecuniam accipere mutuò,* & deinde reſtituere, *cum lucro ſperato:* reſpondet autem his verbis, *vſura eſt contractus huiuſmodi, nec ſcio cũ excuſare.*

Hoſtienſis *ibi nu. 5. verſ. quid ergo ſi quis ait,* hunc mutuantem excuſari poſſe ſecundũ id, quod ipſe ſcripſit *in cap. ſalubriter eodem tit. num. 4. verſ. & ideo puto,* vbi ſic inquit, *ſi aliquis ſit mercator, qui conſueuit ſequi nundinas, & ibi multa lucrari; modo multùm indigenti ex charitate mutuaret pecuniam, qua negotiaturus erat, ex inde ſibi ad ſuum intereſſe remanet obligatus, dummodo hic nihil fiat in fraudem vſurariam, vt patet in eo, quod not. 5. eodem cap. tuas in fine:* non admittit ergo Hoſtienſis pactum illius, qui putat, ſibi vtilius eſſe mutuare cũ pacto lucri ceſſantis, quàm emere merces; quia hoc mutuum nõ deſcendit principaliter ex charitate proximi, ſed ex propriæ vtilitatis conſideratione: neque enim vlla ſuſpicio ſubeſſe poſſet fraudis, ſi ſufficeret ſecundaria conſideratio vtilitatis proximi; perrarò enim accidit, vt mutuans non deſideret, in vtilitatem mutuatarij ſuam pecuniam conuerti, vt libentius, & facilius ſuo tempore ſibi ſatisfaciat.

3 Abbas antiquus in expoſitione d. c. finalis in verſ. idem Innocentius, ad vnguem concordat cum Innocẽt. eundem ſenſum habuit ibi Ioannes Andreæ n. 5: propoſita enim opinione Innoc. & reprobatione Hoſtienſis, ſequitur Innocentium, *quia opinio Hoſtienſis, inquit ipſe, aperit viam vſuris; extaret enim vſurarius paratus cum Capello, ocreis, & calcaribus ad modum* foro Iulienſium (non autem vt quidam æquiuocando referunt Foroliuienſiũ) *dicens, ſe ad nundinas ire velle; ſi ſibi liceret taliter paciſci;* cum dictis autem Io: Andreæ ad vnguem concordant ibi Calderinus nu. 32. Petrus de Anchar. in fine, Ant. de Butrio nu. 8. Henricus Boic. in c. conqueſtus nu. 5. in fine eodem titulo; vbi Cardinalis Zabarella nu. 2. ad finem verſ. pone habeo, ponit caſum de eo, qui habet pecunias paratas ad emendas merces, an poſſit eas mutuare accepto intereſſe lucri ceſſantis; & reſpondet his verbis, *ſi omnino conſtaret, iſtum creditorem eſſe iturum pro mercimonijs, fortè poſſet concedi; ſed propter multitudinem fraudis omnino debet prohiberi.*

4 Abbas Panormitanus ibidem nu. 13. & 14. propoſitis contrarijs opinionibus Innocentij, & Hoſtienſis, ſic inquit, *quod vbi mutuans ducitur bona intentione, & potius mutuat, vt ſeruiat amico, quam in fraudem, quod tunc excuſatur à peccato, licet alia opinio ſit tutior;* cum Abb. concordat ibi Io. de Anania nu. 16: bonam autem intentionem deſiderat Abb. principaliter in mutuante; omnes enim vſurarij deſiderant ſecundariò, ſubuenire proximo.

5 Salic. in Auth. ad hæc num. 13. ad finem verſ. & quia C. de vſur. veluti vſurarium damnat mercatorem paratum ire ad nundinas, ſi mutuauerit pecuniam mercibus deſtinatam, certo ſibi conſtituto lucro, quia inquit Salic., videtur propoſitum mutuaniſſe intuitu vtilitatis certæ ſibi promiſſæ; & ibi Cyn. reddens rationem, cur peti poſſit intereſſe lucri ceſſantis ait, quia tale lucrum ex mutuo non ſperatur.

Fulgoſ. in l. 1. C. de SS. Trinit. & Fid. Cathol. quęrit de eo, qui habet ducatos mille apud mõtẽ, ex quibus mille accipit ducatos annuos 50. an poſſit eos alteri mutuare, & pro recõpẽſatione accipere tantundem à mutuatario? & vix inclinat in partem affirmatiuam: quia ſcilicet ſibi non erat exploratum, an mutuatarius id faceret ob charitatem proximi, vel ob propriam vtilitatem; cũ Fulgoſio autem ſentit Caccialupus in d. l. 1. num. 84. verſ. tangit, & hic Fulgoſ.

6 Rodulphus de vſuris p. 3. principali nu. 31. docet, eos, qui coacti à Rep. mutuant, non excuſari ab vſura, accipiendo aliquid vltra ſortem ratione lucri ceſſantis, niſi intentio principalis fuerit ſubuenire Reipublicæ, & cũ eo idem ſcribit Natta conſ. 498. nu. 12.

Ambroſius de Vignate de vſuris nu. 47. verſ. ſi pecuniæ ſcribit, mercatorem, qui eximit pecuniam è mercatura, vt eam mutuet certo ſibi conſtituto lucro, vſurarium eſſe, quia mutauit propoſitum præferendo lucrum certum, à mutuatario promiſſum, lucro ex mercatura ſperato: Guido Papæ de contractibus illicitis nu. 16. ſcribit, creditorem, qui concedit dilationem debitori, certo ſibi cõſtituto lucro dicta dilatione pendente, tunc euitare labem vſurariam, cum propter Deum, & ex charitate principaliter mouetur; ſecundariò autem ob lucrum promiſſum.

7 Crauet. conſ. 189. nu. 7. verſ. videamus modo concludit, mercatori mutuanti non licere paciſci de lucro ceſſante, quia facilè mercatores applicarent animum ad mutuandum, quia lucrum eſſet certius, & frequentius; vbi enim quis paſſim mutuat non poteſt conſiderari affectus principalis ſubueniendi proximo; & verſ. quartus, ibi iſtud. n. concludit, venditorem ob lucrum ceſſans non

poſſe

Digitized by Google

poſſe paciſci ſuper intereſſe lucri ceſſantis ratione dilationis, quando non omiſit in gratiam emptoris occaſionē rē venden. pecunia numerata; Cranettam autem ſequitur Peguera deciſ. 33. num. 4. vbi ſcribit, quod cum mutuum omnino voluntarium eſt, ibi neceſſaria eſt intentio lucrandi ex mutuo; & proinde hoc interueniente vſura committitur: Corſetus conſ. 25. nu. 82. & ſeq. lib. 2. conſ. criminal. maioris editionis docet, pactum lucri ceſſantis eſſe vſurarium, quando propter hoc mouetur principaliter ad mutuandum: Curt. Iun. in l. 2. §. mutui datio nu. 21. verſ. ſed iſtud eſt ff. ſi cert. pet. conſiderat, quod ſi indiſtinctè admittimus hoc pactum, aperta eſſet via committendi vſuram, quia mercatores dicerent, ego cum hac pecunia lucraturus ſum; ſi deſideras eam mutuò accipere, reſarcias iacturam lucri ceſſantis; aperta inquam eſſet via vſuris, quia affectus charitatis erga proximum non poteſt conſiderari in mercatore paſſim mutuante; quo deficiente, ait ipſe, vſura committitur ſtipulando aliquid pro lucro ceſſante, pendente dilatione.

8 Petrus Rebuffus in l. vnica C. de ſentent. quæ pro eo quod intereſt profer. nu. 12. recenſens cōditiones neceſſarias, vt lucrum ceſſans à mutuante, ante morā exigi poſſit, inter cætera, ait, oportere quod creditor maluiſſet pecuniam habere, quàm aliquid vltra ſortem accipere, idem repetit n. 276. verſ. ſecundò limita, & n. 594. vbi docet, lucrum ceſſans ſine vſuræ maculā haberi nō poſſe, niſi creditoris intentio ſit, lucrari ex mercatura, non autem per hanc viam; Cagnolus in d. l. vnica nu. 46. verſ. dum opponit, ſcribit, intereſſe ab vſura differre, quod intereſſe tunc habet locum, cum contra voluntatem creditoris differtur ſolutio debiti; quod vtiq; accidere non poteſt, vbi mutuans intuitu proprij commodi mutuam pecuniam tradit, quia deſiderat, vt eſſet in ſolutione debitor.

9 Lupus de vſuris comentat. 1. §. 6. n. 122. verſ. ſed quando, dicit, minimè dubitandum eſſe, in mutuo voluntario illicitum eſſe conuenire de certo intereſſe lucri ceſſantis ante morā; neq; enim dicitur voluntarium illud mutuū, quod quis facit charitate proximi vrgente; ſed illud ſolum, quod quis ob proprium commodum facit, vt declarat Caiet. 22. q. 78. art. 2. verſ. an autem poſſit quis.

Menoch. de arbitr. iudicum caſu 119. n. 3. inter conditiones neceſſarias, vt debeatur lucrum ceſſans mutuanti, pecuniam negotiationi deſtinatā, deſiderat vt à negotiatione abſtineat in gratiam amici, vt ei inſeruiat.

10 Rota Romana in Genuenſi pecuniaria 7. Iunij 1611. coram Lancellotto relata à Marcheſano in ſignatura p. 1. fol. 888. n. 10. ad finem, ad ſuſtinendum pactum factum fauore eius, qui ſuas pecunias extraxit è negotiatione, vt eas mutuaret affini indigenti, certum lucrum ſibi promittenti, conſiderat, quod nulla alia ratione fuit celebratus contractus, quam ad ſubueniendum vrgentibus neceſſitatibus Affinis pecunia indigentis; & num. 15. ad finem dicit, quod pecuniæ mutuatæ extractæ fuerunt è negotiatione, in qua exercebantur, non intentione lucrandi, ſed ſolum, vt rē vtilem faceret ſuo Affini indigenti, propter periculum ipſi imminens ob graue æs alienum, quo præmebatur, ceſſante dolo, & praua intentione; quæ omnia inquit Rota, efficiunt, vt ab initio quis paciſci poſſit de futuro intereſse; hanc autem deciſionem ſequitur Stephanus Gratianus tom. 2. diſceptationum cap. 377. nu. 29, & 30.

11 Fabius Accorombonus Rotæ Romanæ Decanus in quodā ſuo voto reddito Paulo IV. S. Pontifici relato in praxi Auditoris Cameræ *lib. 1. poſt cap. 23. & apud Farinac. conſ. 15. lib. 1. in verſ. ſed nunquid debeat aliquid habere, ibi qua propter*, ſcribit, creditorem, qui fuit negligens in exigendo credito, non poſse aſpirare ad lucrum ceſsans, quia præſumitur reliquiſse apud debitorem pecuniam ſub ſpe lucri ceſsantis, & ſic in fraudem vſurarum; tacitum ergo deſiderium eius, cui ſoluitur intereſse, vt debitor retineat pecuniam, vt poſſit inde vltra ſortem aliquid accipere, vſuram continet; quod eſt illud, quod nos aſserimus; Plotus de in litem iurando n. 466. docet, mulierem, cui hæredes mariti faciunt morā in dote reſtituenda, exigere poſse lucrum ceſsans, quando eſt ſolita mercari; ſi tamen eius intentio erat, potius recuperare ſuam dotem, quam huiuſmodi lucrum conſequi: Natta conſ. 449. nu. 16, ſcribit mercatores, qui mutuam tradunt pecuniam negotiationi paratam non poſse ſtipulari intereſse lucri ceſsantis.

12 Theologorum hac de re traditiones nunc recenſeamus; ex quibus S. Antoninus in primis occurrit in tractatu de vſuris cap. 2. §. 15. n. 28. in fine, vbi admittit hoc pactum, quando mutuum fit intuitu pietatis, & nu. 29. in fine & 30. dicit, quod ſi extra cauſam neceſſitatis, vel pietatis mutuum factum fuerit, mutuans conuincitur, quod mauult vti mutuo ad lucrandum, quam mercatura; & ideo vſurarius eſt, & n. 36. in fine excuſat creditorem, qui accipit aliquid vltra ſortem, vt dilationem concedat debitori, quia debitor contra ſuam voluntatem retinet pecuniam ſibi debitam, & cap. 3. nu. 5. ad finem damnat mercatores, qui vendunt carius ob dilationem conceſsā, reiecta allegatione lucri ceſsantis, quia nempe in venditionibus, quæ paſſim fiunt à mercatoribus, non poteſt conſiderari affectus charitatis; propter quem Sanctiſſimus Præſul admittit allegationem lucri ceſsantis; allegatam autem conſuetudinem mercatorum, carius dilata ſolutione vendentium, miſericordiam doloſam appellauit Socinus in Rub. extra de vſuris nu. 73. ad finem verſ. quartò, & vltimò.

13 Caietanus 22. *quæſt. 78. artic. 2. col. mihi tertia in reſponſione ad primum, verſ. initium autem inueſtigandæ, & col. ſeq. verſ. an autem poſſit quis pecuniam in tali ſtatu*, profundiſſimè, de more, explicādo id, de quo agimus, concludit, quod ad effectum, vt quis poſſit paciſci lucrum ceſsans pecuniæ deſtinatæ emptioni rerum frugiferarum, vel mercium, oportere, vt duret huiuſmodi deſtinatio; & conſequenter, inquit Caietanus, is qui affectu minoris lucri ſecuri tamen, pecuniam ſuam negotiatoriam, ſeu emptoriam transfert ad mutuum, volens ex pacto plus ſorte, vſurarius eſt: concludendo, quod non licet voluntariè diuertere pecuniā à negotiatione, vel emptione ad mutuum, vt aliquam ſperati lucri partem ex mutuo conſequatur; latè ſuper hoc inſiſtit, & omnino adeundus eſt,

quia

quia optimè hanc rem declarat.

14. Corradus de contractibus tract. 2. queſt. 30. in quarta ſuppoſitione verſ. tertia cunditio, docet, ad effectum de quo agimus, opus eſſe, vt mutuãs reſpiciendo ad vtilitatem propriam malit, non mutuare; & hac ratione euitare damnum ſibi ex mutuo contingẽs, quam mutuare, & aliquid vltra ſortem accipere in recompenſationem dicti damni.

Syluester in verbo vſura il primo, nu. 19. dicit, oportere, vt mutuans malit lucrari alia via, quam per viam mutui, & quod moueatur ad mutuãdum in gratiam amici; & quod ille præſumitur velle ex mutuo lucrari, qui facit pactum de lucro ceſſante, non quidem ad certum tẽpus, ſed ad ſemper, ideſt, quouſque ſuam retinuerit pecuniam.

15 Angelus *in verbo vſura il primo nu. 16. verſ. ſecũdum*, ſcribit, oportere, vt eius intentio principalis non ſit, lucrari per hanc viam, ſed potius per mercaturam, vel per emptionem rerum frugiferarum, & quod præſumitur velle lucrari per hanc viam, ſi non reſtringit pactum lucri ceſſantis ad certum tempus.

Gabriel Biel. in 4. ſententiarum diſt. 15. quæſt. 1. col. 9. in fine verſ. ſecundò quod non ſit, ſcribit, pactum vt mutuatarius aliquid ſoluat pro lucro ceſſante mutuanti, eatenus ſuſtineri, quatenus intentio paciſcentis non eſt, lucrari per hanc viam, ſed potius per mercaturam, vel per emptionem rerum frugiferarum; & quæſtione antecedenti reg. 3. ſcribit, non licere, vendere vltra iuſtum pretium, propterea quod venditori eſt damnoſum, tunc rem ſuam vendere, niſi inducatur ad vendendum ob magnam inſtantiam emptoris; & ideo concludit, eum vſurarium eſſe, ſi ſua ſponte, non autem inductus prece, miſeria, aut charitate proximi venderet.

16. Angles in Floribus quæſt. lib. 4. ſentent. in q. de contractu mutui artic. 2. different. 3. poſt principium dicit, quæſtionem de damno emergente, & lucro ceſſante, procedere in mutuante voluntariè, charitate tamen compulſo erga proximum, egeſtate laborantem, & concluſ. 2. verſ. eſt autem limitan. ſcribit, opus eſſe, vt mutuans malit negotiatione, quam per mutuum lucrari, & in quæſt. de vſura emptionis artic. 2. diffic. 1. concluſ. 1. docet, ita demum licere venditori exigere quid ratione lucri ceſſantis ob dilationem, ſi alij erat pecunia numerata venditurus, quod omiſit vt illi benefaceret: Armilla in verbo vſura n. 3. ſcribit, mutuantem poſſe aliquid petere pro lucro ceſſante, quando illud amittit ex eo, quod ſeruit amico.

17. Io: de Medina *in Codice de reſtitutione titulo de acquiſitis per vſuram quæſt. 9. de cambijs ad finẽ verſ. cum ipſi lucrum ſentientes* ſcribit, mercatorem, qui mauult, facere mutuum palliatum ſub ſpecie cambij, quam licitè negotiari, non poſſe aſpirare ad lucrum ceſſans, & quæſt. 3. dubit. 1. in reſponſione ad quartum in fine, & conditione 3. dicit, communiter teneri, quod ad effectum, vt mutuans paciſci poſſit de lucro ceſſante durante dilatione, opus eſt, quod non ſit magis inclinatus ad mutuũ, quã ad negotiandum; ſi enim ad lucrum ex mutuo percipiendum inclinaret, in vſurã incideret.

18. Bartholomeus Medina in inſtruct. confeſſ. lib. 1. §. 23. caſu 5. dicit, lucrũ ceſſans deberi mutuãti, quia amicus eũ impediuit à conſecutione ipſius.

Fabianus Genuenſis in tract. de cambijs cap. 6. n. 38. ſcribit, ad effectum, vt debeatur lucrum ceſſans campſoribus, opus eſſe, quod nollet mutuare ſub palliato nomine cambij, ſed quod vellet exercere pecuniam in cambijs iuſtis, quæ ſibi tunc in promptu ſunt; & quod ſolum, & præciſè ad inſtantiam amici ſui, cui iuſtis ex cauſis deeſſe non vult, deſineret id facere, vt amico pecunias iuſtis cambijs deſtinatas mutuaret; & tunc poterit, ob ſuam hanc rectam intentionem accipere à mutuatario id, quod lucraturus erat ex iuſtis cambijs; addens, non poſſe ad ſemper hoc pactum fieri; ſed debere reſtringi ad certum tempus, quia procedente tempore bona eius intentio facilè mutari poteſt ob cupiditatem inſitam hominibus, qua mutatione facta, vſurarius eſſet.

19. Boninſegn. in tract. de vendit. ad tempus c. 4. nu. 4. dicit, mutuantem quodammodo cogi ad mutuandum, & ad eximendum ſuam pecuniam à negotiatione, & propter hoc poteſt ſtipulari lucrum ceſſans, & in tractatu de Montibus c. 5. nu. 2. damnat eos, qui propria voluntate negotiari deſinunt, vt habeant intereſſe lucri ceſſantis.

Tabiena in verbo vſura il ſecondo n. 1. in fine ſcribit, non licere, voluntariè diuertere pecuniã deſtinatam mercaturæ ad mutuum, vt lucrum acquirat; ſed opus eſt, vt lucrum obueniat mutuatario impedito, mercaturam exercere per impedimentum inuoluntarium ſecundum quid oriens ex deſiderio ſubuentionis proximi.

20. Summa Corona tit. de vſuris circa mutuum n. 12. verſ. pri. concluſio eſt, ſcribit, licere mutuanti paciſci de lucro ceſſante, ſi modo precibus mutuatarij allectus fuerit, eiuſq; beneuolentia victus, itaut ex parte ſua mallet lucrari alia via, quam mutuando; quod tamen facere non poteſt, cum impediatur ab amico, cui ſubuenire deſiderat; Roſella in verbo vſura 2, n. 12. verſ. & rectitudo huius intentionis, ſcribit, venditorem, ob dilationẽ ſolutionis poſſe pluris rem vendere, quàm aliàs liceret, quando magis optat vendere numerata pecunia pro minori pretio, quia tunc, ob intereſſe poteſt pluris vendere; intentio enim eius non fertur in lucrum, ſed in conſeruando ſe indemnẽ.

21. Bannes de Iuſt. & iure quæſt. 78. artic. 2. col. 7. in fine verſ. ſecunda concluſio, præclarè confirmat, vſurarium eſſe eum, qui, ob proprium commodum eximit è mercatura pecuniam, ut eam mutuet, quia ei auffert illam qualitatem, ſuper qua fundatur pactum lucri ceſſantis, & col. 12. uerſ. debet tertiò aduertere, ſcribit, ad effectum, de quo agimus, opus eſſe, ut pecunia è mercatura eximatur ob commodum mutuatarij, & uerſ. obſeruandum eſt etiam, ſcribit, opus eſſe, ut mutuans negotiaturus fuiſſet, niſi commodum amici eum à negotiatione remouiſſet, & col. ſequenti uerſ. ad tertium, ait, debere concurrere moralem coactionem, quam inducit utilitas proximi, quæ compellit mutuantem, vt ei ſuccurrat.

22. Graſſius in deciſionibus lib. 2. c. 10. de intereſſe n. 11. ſcribit, opus eſſe, vt mutuans mallet pecuniam mutuatam in negotiationibus occupare, quam mutuare cum intereſſe, quia principalis cauſa mutuandi debet eſſe ſubſidium proximi indigentis; vel vt ſaltẽ ſe habeat indifferenter, vt non magis animus ejus inclinet in mutuum dandum

cum

Digitized by Google

cum certo lucro, quam ad negotiandum cũ lucro incerto.

23 Toletus in Inſtructione Sacerdotum lib. 5. c. 33. n. 4. in fine, ad hoc vt valeat pactum, de quo agimus, deſiderat, vt mutuans non moueatur ex lucro, ſed ex charitate ad ſubueniendum proximo; & in tit. antecedenti in principio, condicione prima ſcribit, mutuantem poſſe paciſci, vt aliquid ſoluat vltra ſortem, ſi fuerit moroſus in reſtituenda pecunia mutuata, quotieſcunq; eius intentio non fertur in lucrum ex hac pœna ſperatum; ſed id facit bona intentione deſiderans, vt mutuatarius in tempore debitum ſoluat, pœnãq; euitet.

Melchior Flauius in reſolutionibus quæſtionũ Scoti lib. 4. quęſt. 2. ſcribit, hoc pactum ſuſtineri, quatenus mutuans primò, & principaliter deſideret lucrari per emptionem mercium, vel rerum frugiferarum, non autem ex mutuo.

24 Michael Salon de Iuſt. & iure quæſt. 78. artic. 2. de valore pretij lucri ceſſantis, controuerſia 9. poſt ſeptimam conditionem lucri ceſſantis docet, ad exigen. lucrũ ceſſans oportere, vt mercator mallet negotiari, & in uerſ. argumẽta, docet, ad hoc, ut ualeat pactum, de quo agimus, opus eſſe, ut uoluntas mutuandi oriatur ex beneuolentia, uel pietate; & in fine eiuſdem columnæ inquit, oportere, ut uoluntas mutuantis non feratur in lucrum ex mutuo, ſed ad ſubuentionem amici; ſed quia ex beneficio non debet pati diſpendiũ, iuſtè deſiderat, ſibi compenſari lucrũ quod amittit, tanquam conditionem, ſine qua non. Et in diſputatione de cambijs quæſt. 4. artic. 4. contr. 3. nu. 5. uerſ. ſed dices ibi fateor tamen, docet campſorem, qui præ manibus habebat cambium uerum, ita demum poſſe accipere lucrum, quod ex eo feciſſet ab illo, cui pecuniam dicto cambio deſtinatam mutuauit, ſi ad utilitatem, & gratiam ipſius uerum cambium omiſerit, non autẽ intuitu proprij commodi, quia nempè credebat, ſibi utilius eſſe mutuare, quam cambire.

25 Mercatus de contractibus tit. de fitti, preſtiti, & uſura c. 10. nu. 7. ad finem uerſ. quanto poi al lucro ceſſante, ſcribit, non poſſe, pendente dilatione aliquid accipi pro lucro ceſſante, niſi ab importunitate debitoris inductus fuerit ad mutuandum, & nu. 8. ad finem docet, eum, qui ad ſimplicem poſtulationem mutuat pecuniam mercaturæ deſtinatam, non poſſe aliquid paciſci pro lucro ceſſante.

Abbas Villagut in tractatu de uſuris quæſt. 18. nu. 17. concluſ. 1. in principio uerſ. tertia, dicit, opus eſſe, ut mutuans, teſte conſcientia, indifferens ſit ad mutuandum cum recompenſatione lucri ſperati, uel negotiando lucrum ſperatum perſequi; & ante uerſ. maior propoſitio, requirit, quod mutuatarius præſtet mutuanti efficacem cauſam impeditiuam lucri, ex negotiatione, uel emptione rerum frugiferarum ſperati, & in dicto uerſ. maior, latè comprobat neceſſitatẽ huiuſmodi impedimenti ex parte mutuatarij, & uerſ. quapropter, docet, mutuatarium hoc in caſu ſimilem eſſe ei, qui artificem in carcerem conijcit.

26 Lopez de contractibus p. 1, lib. 7. c. 23. verſ. tertia autem conditio, ſcribit, opus eſſe, ut mutuatarius ſit in cauſa amiſſionis lucri agendo aliquid, quod impediat mutuatarium à negotiatione; quod tunc ait contingere, quando non deſinit ſponte negotiari, ſed gratia mutuatarij, ut ei complaceat, & uerſ. ſecundum aſſertum eſt, dicit, ita demum licere paciſci de lucro ceſsante, quãdo abſoluta uolũtate erat paratus negotiari, quod omiſit, non motiuo propriæ uoluntatis, ſed charitate adductus, ut eius neceſſitatibus ſubueniat.

27 Lud. Molina de contractibus diſputat. 315. nu. 8. dicit, ideo licere paciſci de lucro ceſſante, quia mutuans facit iacturam lucri ſperati ob bonam mutuantis intentionem, ut per mutuum illi ſubueniat, & diſput. ſeq. nu. 3. uerſ. illud, & num. 4. docet, mercatores, qui concedunt emptoribus ſuarum mercium dilationem ad ſoluendum pretium, non eſſe uſurarios, habendo rationem lucri ceſſantis, quando habent occaſionem uendendi pecunia numerata, quam tamen omittunt in gratiam ipſorum, & diſput. 317. nu. 5. docet, lucrum, quod facit mutuans ex mora mutuatarij in reſtituenda pecunia, non continere uſuram, quando mutuans in imponendo pœnam non deſiderauit mutuatarium retinere pecuniam ultra terminum ſibi conſtitutum, ut mediante d. pœna lucraretur.

28 Conradus reſponſo 229. uerſ. ad quæſitum docet, opus eſſe, ut mutuans poſſit paciſci de lucro ceſſante, quod beneuolentia uictus mutuauerit, ita ut, quantum in ſe eſt, mallet, alia uia lucrari, & quod quaſi coactus patiatur, lucrum ſperatum ſibi auferri.

Emanuel Sà in uerbo mutuum n. 4. ita demum admittit hoc pactum, ſi mutuum fiat in gratiam mutuarij.

Lud. de Beia reſponſionum caſuum conſcientiæ p. 3. caſu 29. uerſ. & ideo in ea ſum ſententia, ſcribit, eos qui non mouentur ad mutuandum ex neceſſitate, & indigentia proximi, ſed quia malunt lucrum ex mutuo, quàm ex negotiatione, eſſe uſurarios, ſtipulando lucri ceſſantis compenſationem; ibiq; præclarè ueritatem huius doctrinæ confirmat.

29 Homobonus in comentarijs reſolutorijs de examine Eccleſiaſtico tom. 1. tract. 9. de contract. mutui, & uſuris cap. 15. quæſt. 45. uerſ. tertia conditio eſt, ad ualiditatem huius pacti deſiderat, ut mutuans firmiter deliberauerit, negotiari, uel emere res frugiferas; cumq; alterius cauſa ſolummodo, pecunias extraxiſſe à dicta deſtinatione, dumodo principaliter ex charitate, uel amicitia, uel compaſſione, non autem ex ſpe lucri id agat.

30 Philippus Faber ad quartum lib. ſentent. tract. de reſtitutione diſput. 47. cap. 7. nu. 210. in mutuo facto cum pacto, de quo agimus, conſiderat, quod adeſt impedimentum impediens negotiationem, quam intendit mutuans, deſiderium nempe ſubueniendi neceſſitati proximi.

Paulus Comitulus lib. 3. reſp. moralium q. 15. de cambijs ad finem uerſ. deinde, docet, prętextũ lucri ceſſantis nõ ſuffragari campſoribus, niſi probauerint, quod eo tempore, quo pecuniam tradiderunt, ſe ſe impulſu egentium tradidiſſe, & ob aliena commoda ſuam omiſiſſe negotiationem, non autem ob lucrum à mutuatario ſperatum.

Iulius denique Tertius S. Pontifex hanc ſentẽtiam probauit in literis, ad Inclytam Vicintinam

Ciuita-

Digitized by Google

Ciuitatem ſcriptis circa Montem Pietatis ab ipſa erectum; in ipſis enim declarat eos, qui pecunias mutuas tradunt dicto Monti, accipiendo aliquid vltra ſortem, ita demum euitare labem vſurariam, ſi intentio eorum principalis fuerit, ſubuenire pauperibus; & quod hac intentione principaliter omiſerint emptionem mercium, vel rerum frugiferarum, cui deſtinauerant pecuniam Monti mutuatam prout refert Nauarrus conſ. 17. tit. de vſuris.

31. Eandem ſententiam non obſcurè firmauerunt Theologorum Scolaſticorum Principes D. Thomas, & Scotus, ille 22. quæſt. 78. artic. 2. ad primum; hic verò in 4. ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. dixerat D. Thomas in corpore articuli, eum vſuram committere, qui ex mutuo pecuniam, vel quidpiam pecunia æſtimabile veluti ſibi debitũ deſiderat; vt autem oſtenderet, eum, qui ex mutuo aliquid accipit, veluti ſibi debitum in compenſationem damni emergentis, non eſſe vſurarium; inquit, eum id exigere, ne amittat id, quod habere debet; & ideo ait D. Thom., tunc non dicitur vendere vſum pecuniæ; ſed dicitur, damnũ vitare; quia nempè is, qui vendit vſum pecuniæ, mediante hac venditione curat augere quantitatem ſui patrimonij exiſtentem tempore, quo mutuat; & proinde huiuſmodi venditio conuenire non poteſt ei, qui nihil aliud quærit, quàm conſeruare ſuum patrimonium ſecundum ſtatum, in quo reperitur tempore, quo mutuum fit.

32 Deindè tranſit D. Thomas ad lucrum ceſſans, & inquit, non poſſe in pactum deduci, quia mutuans non debet vendere id, quod non habet, & poteſt impediri multipliciter ab habendo; cum enim lucrum ceſſans nondum acquiſitum ſit, voluntas eius, qui ita paciſcitur, non poteſt coarctari ad cõſeruationem patrimonij in eo ſtatu, in quo reperiebatur tempore facti mutui; & conſequenter formaliter in eo repetitur voluntas augendi patrimonium mediante mutuo; ergo in eo reperitur voluntas formalis vendendi vſum pecuniæ; huiuſmodi enim voluntas alia ratione non excluditur à pacto circa damnum emergens facto, quã ex eo, quod paciſcens quærit conſeruationem patrimonij in eo ſtatu, in quo reperitur tempore facti mutui.

33 Supponit ergo D. Thomas, eum, qui facit pactum ſuper lucro ceſſante, mutuare ob commodũ proprium principaliter, non autem ob commodum mutuatarij; ſi enim ſupponeret, mutuantem moueri ob vtilitatẽ proximi principaliter; cumq; alienum eſſe à ſpe lucri ex mutuo venientis, non dixiſſet, mutuantem vendere vſum pecuniæ mutuatæ, dum conſentit promiſſioni compenſationis lucri ſperati ſibi factæ à mutuatario; id non facit intuitu proprij commodi, ſed vt adimat obſtaculum, quod impediebat, eum ſubuenire proximo egenti; media enim ſpecificantur à fine, vt idem S. Doctor declarat. 1. 2. quæſt. 1. artic. 3. quæſt. 18. artic. 6. & 22. q. 4. artic. 3. in corpore; & ita S. Thomam intelligit D. Antoninus de vſuris cap. 3. nu. 5. ad finem; dictam autem S. Thomæ doctrinam ſequitur Durandus, haud facilis eius ſectator in 3. ſentent. diſtinct. 37. quæſt. 2. nu. 7. ad primum.

34 Scotum autem, doctrinam, de qua agimus ſenſiſſe in d. l. 4. ſentent. diſtinct. 16. quæſt. 2. ex multis colligere poſſem, ſed cæteris omiſſis, duo tantum proponam; & primò dum inquit; ſi quis tum indiget re ſua, & per magnam inſtantiam inducatur ab alio, vt vendat, vel permutet pro re alia, cum poſſit ſe præſeruare indemnem; ex venditione autem, vel permutatione iſta multum damnificetur, poteſt cariùs vendere, quàm aliàs ſine tali damnificatione vẽderet, vel permutaret.

Clarè ergo ſentit, quod ſi venditor non fuerit inductus ad vendendum, habita fide de pretio, ob magnam inſtantiam emptoris; ſed quia credit, ſic ſibi expedire, non poſſe pluris rem vendere, quàm aliàs vendere deberet; & conſequenter ſenſit, eum non poſſe ob dilationem poſtulare id, quod aliàs poſtulare non liceret; & hoc eſt id, quod nos dicimus: idem ſenſit Doctor Subtilis dum quærit, an liceat mutuanti adijcere pœnam mutuatario, ſi tempore ſtatuto nõ reſtituerit mutuum, & inquit poſſe, dumodo non fiat in fraudẽ vſurarum, deinde ait.

35 Signum autem, quando non eſt in fraudem vſurarum, manifeſtum eſt illud, quando mercator magis vellet, pecuniam ſibi ſolui die præfixo, quàm in craſtino cum pœna adiecta ſibi; & per oppoſitum eſt in fraudem, quando vult diem trãſire potiùs, quam pecuniam ipſa die ſolui.

Euidens ergo eſt mens Doctoris ſubtilis, quod vſura reperiatur in eo, qui deſiderat, quod mutuatarius retineat ſuam pecuniam, vt aliquid vltra ſortem accipiat; quod eſt illud, quod nos aſſerimus: dicimus enim, eum qui ſuæ vtilitatis gratia mutuat, vſurarium eſſe, quia deſiderat, aliquo tẽpore ſuam pecuniam retineri à mutuatario, vt aliquod lucrum faciat; dictam autem doctrinam ſequuntur *S. Raymundus in ſumma tit. de vſuris c. 1. verſ. quintò cum quis*, vbi benè declarat, *Gerſon. in tractatu de contractibus p. 2. propoſit. 6. Tartaretus in d. diſtinct. 15. quæſt. 2. col. 10. verſ. conſequenter Doctor, & ibi Michael de Bononia quæſt. 2. caſu nono in fine. Summa Confeſſorum lib. 2. tit. de vſuris quæſt. 23. in principio verſ. ſi verò pœna ſit conuentionalis, Veguerius in Inſtit. Theologicis tit. virt. iuſ. cap. 5. §. 3. verſ. 15. de diuiſ. vſur. ibi quod limitandum eſt, & deniq; omnes concordant teſte Philippo Fabro de reſtitut. ad quartum lib. ſentent. diſtinct. 15. quæſt. 2. diſput. 47. cap. 7. nu. 188. in principio: eam etiam ſequitur Purpurat. in l. rogaſti §. ſi tibi nu. 91. & 92. ff. ſi certum petatur.* Hi itaq; omnes Doctores inter noſtræ ſententiæ Aſſertores, dubio procul ſunt numerandi.

36 Ex his patet, Theologorum, & Iuriſperitorum ſenſui apertè repugnare, vt is, qui mutuat ob cõmodum proprium principaliter, poſſit aſpirare ad lucrum ceſſans, pendente dilatione mutuatario cõceſſa ad mutuum reſtituendum; imò nullus hucuſq; apparet Doctor, qui ante Nauarrum aliud ſcripſerit; Sotus enim lib. 6. de iuſt. & iure quæſt. 1. artic. 3. col. vltima aduerſus eos diſputat, qui aſſerunt, ſufficere ad ſuſtinendũ hoc pactũ, quod mutuatarius rogatus fuerit; inquit n.

Atq; adeò ſequitur, quod per hoc ſolùm, quod mutuator rogatur, non propriè impeditur: quãdoquidem illud optare licet, & rurſus: Adde, quod tunc non eſt opus, vt rogari expectet; nam maior eſſet charitas, ſi amicum egere ſciens offeret

ferret ei pecuniam mutuò, ſi vellet eam accipere cum pacto lucri ceſſantis; qua tamen in re, ſi verum volumus fateri, Sotus doctrinam Corradi, & aliorum, aduersùs quos diſputat, cauillatur; nullus enim eorum, nec per ſomnium quidem admittit, ſatis eſſe, ad ſuſtinendum pactum, de quo agimus, vt mutuator rogatus fuerit mutuare; illi autem, qui de precibus mutuatarij mentionem fecerunt, eas propoſuerunt veluti medium ordinarium ad commouendam pietatem, vel miſericordiam in mutuante; non autem veluti conditionem, ſine qua dictum pactum non poſſit conſiſtere.

37 Repugnat autē doctrina Nauarri primis principijs huius materiæ; quia exploratiſſimum eſt, formalitatem vſuræ conſiſtere in intentione mutuantis accipiendi pro vſu pecuniæ aliquid pecunia æſtimabile, veluti ſibi debitum; gloſſa & DD. *in c. conſuluit de vſur. Laurent. de Rodulphis de vſur. in principio à nu. 3. Ambroſ. de Vignate in ſingul. tract. à nu. 6. Caccialupus in l. cunctos populos nu. 71. verſ. reſpondetur C. de Sum. Trin. & Fid. Cathol. Nauar. de vſur. à nu. 16. Nouar. lib. 3. var. c. 1. nu. 1. verſ. vſura igitur, D. Tom. 22. q. 78. artic. 2. in corpore, D. Anton. de vſur. c. 2. nu. 3. cum ſeq. Medina de reſtit. per vſurum acquiſ. q. 1. & infiniti alij Theologi congeſti à Io. de Salas de vſuris dub. 5*: & eſt certiſſima doctrina apud Catholicos, nulla habita ratione, quod id iuſtè deſiderari potuiſſet ſub alia formalitate; & quod id ſecundariò deſideret, & contingat ſine damno mutuatarij, vt accidere videmus in illis, qui mutuant Regi, aut Magnatibus ſperando dignitates vel officia veluti ſibi ob mutuum debita, etiam ſi alias potuiſſent idem ſperare, veluti effectus beneuolentiæ acquiſitæ mediante mutuo, vt poſt eundem Nauarrum in Manuali c. 17. nu. 223. & alios docet Io. de Salas de vſur. dub. 5. nu. 7. & 8. & dub. 13.

38 Et de illo, qui mutuat vt mutuatarius, velut ex debito vtatur ſuo Piſtrino, ſoluendo tamen iuſtā mercedem, quam alteri ſoluturus eſſet; quod vſurarius ſit ob prauam hanc intētionem (qua remota ab hoc crimine alienus eſſet) apud Doctores Theologos eſt receptiſſima ſententia, quam poſt alios confirmat idem Nauarrus in Manuali c. 17. nu. 220. & 221. Accidit idem in ijs, qui coacti à Principe mutuas tradunt ſuas pecunias; nam ipſis nō licet aliquid vltra ſortem accipere, niſi eorum intentio principalis ſit ſubuenire Principi, vt declarant *Salicet. in Auth. ad hæc nu. 24. & 25. C. de vſur. Caſtr. in l. ſi quis nec cauſam nu. 6. ff. ſi cert. pet. vbi Cur. Iun. nu. 2. Alberic. in rub. ff de vſuris col. 1. Rodulphus de vſur. p. 3. principali num. 3. Crot. in l. nemo pot. nu. 5, 6, & 7. ff. de leg. 1. Iaſ. in l. cunctos populos nu. 52. verſ. vltra quos C. de Sum. Trin. Lud. de Arioſtis in ſumma confeſſorum lib. 3. tit. de Impraſtit. Venet. Caſſan. ad conſuetudines Burg. Rub. des meres de Mayrage §. 23. nu. 27.*

Poſita enim voluntate principali conſequendi vtilitatem ex dilatione conceſſa debitori, vel ex mutuo ſuarum pecuniarum alteri facto, mediante promiſſione ſoluendi intereſſe lucri ceſſantis, verum eſt euidenter, eum per modum debiti expectare aliquid vltra ſortem, nullo ex alio titulo, quā ob dilationem ipſi conceſſam ad ſoluendum debitum, vel ob uſum pecuniæ mutuatæ; ergo lucri ceſſantis conſideratio non poteſt adimere vſurariam prauitatem huiuſmodi pacto, quia per hoc non impeditur deſiderium habendi veluti ſibi debitum aliquid ultra ſortem ob uſum ſuæ pecuniæ.

39 Fundamentum Nauarri in eo conſiſtit, quod modus negotiandi per ſe iuſtus, ex eo non poteſt iniuſtus reddi, quod eius author malit ipſum eligere, quàm alium modum honeſtiorem, quia iuſtum, & iniuſtum non conſiſtit in bonitate, vel prauitate animorum; ſed in æqualitate, vel inæqualitate operum externorum vt declarant *Ariſt. lib. 2, & 5. ethicorum, D. Thomas 22. q. 58. artic. 10. quæſt. 59. art. 2.* Ex hoc autem fundamento liquet, ei non veniſſe in mentem id, quod in propoſito ſcribit *Caietanus 22. quæſt. 78. artic. 2. in reſponſione ad ſecundum col. mihi tertia verſ. an autem poſſit quis pecuniam*; ibi enim profundiſſime de more, rem noſtram explicans oſtendit, ex animo mutuātis hanc rem omnino pendere; cuius rationem in medium ponam, ſequaces enim Nauarri, vel diſſimulant, vel ignorant eam,

40 Iniuſtitia mutuantis ſub vſura in eo conſiſtit, quod plus accipit veluti ſibi debitum, quam dederit; cum autē in caſu noſtro id ad vnguē accidat; mutuans. n. accipit ex pacto aliquid vt debitū vltra id, quod numerauit; opus eſt, vt mutuans alleget cauſam idoneam, ob quam ſibi liceat, à regula recedere. Ipſe autem inquit, mea pecunia erat negotiationi deſtinata, vel emptioni rerum frugiferarum; & proinde non debet conſiderari velut pecunia ordinaria, quia eius valor creuerat propter huiuſmodi deſtinationem; Replicat verò mutuatarius, tu ſpōte tua ademiſti huiuſmodi deſtinationem tuæ pecuniæ, quando conſtituiſti, ipſam mihi mutuam dare; & proinde tempore mutui facti tua pecunia carebat ea qualitate, quæ valorem excedebat ipſius ordinarium.

41 Mutuans autem duplicat dicendo, hanc deſtinationem meæ pecuniæ abſtuli, vt eam tibi mutuam darem, ergo tu debes mihi dignam dare compēſationē: Triplicat verò mutuatarius; tu tua cauſa, non mea huiuſmodi deſtinationem ademiſti, quia principalis intentio tua fuit, tuum commodū augere, non autem meum, vt ex eo liquet, quod tu alteri eam petenti mutuaturus fuiſſes huiuſmodi pecuniam, ſi putauiſſes, id tibi vtilius futurum eſſe, etiam ſi vtilitas modica eſſet, & ego primus eam à te petijſſem; quod ergo tua cauſa feciſti, nō debet à me compenſationem habere; In hoc autem conſiſtit differentia inter eum, qui ob charitatem mutuatarij principaliter id facit, & eum, qui ob ſuam vtilitatē mutuat; ille enim inuitus de ſua diſcedit opinione, & omnino abſtinuiſſet à mutuo, ſi alius mutuas pecunias cū pari vel etiam maiori vtilitate eas accipere voluiſſet, niſi eſſet perſona pari vinculo amicitiæ, aut alio ſibi coniuncta; hic autem ſponte commutat priorem negotiationem cum mutuo, ſua vtilitate ſic præciſe ſuadente; & proinde reſpectu illius rectiſſime dicitur, ob mutuatarium ademiſſe deſtinationem pecuniæ ad merces; reſpectu autem iſtius id dici non poteſt, quia propter ipſum non mutauit opinionem; ſed propter ſuam utilitatem adeò abſolutè conſideratam, vt alio interim ſuperueniente, qui cū pari vtilitate eſſet pecuniam accepturus, illico, omiſſo priori ipſius, conſideraturus ſit,

an ſibi

Digitized by Google

an ſibi meliùs futurum ſit huic vel illi mutuare; & poſtquam deliberauit, ſecundò mutuare, ſi aliusſuperuenerit antè perfectum negotium, qui cum maiori ſua vtilitate pecuniam accepturus ſit, mutabit ſententiam; & ſic progrediendo ſemper id facturus eſt, quia non reſpicit vtilitatem mutuatarij per ſe, ſed quatenus ſibi expedit; ergo ſimpliciter verum eſt, eum propter ſuum commodum, tunc ademiſſe deſtinationem ad emptionẽ mercium, quæ reddebat ſuam pecuniam magis pretioſam; ergo iniuſtum eſt, eum accipere compenſationem à mutuatario actus facti propter ſuũ commodum principaliter; e contra autem iuſtiſſimum eſt, vt mutuans accipiat compenſationẽ ademptæ deſtinationis, quando id fecit principaliter ob commodum mutuatarij; quia tunc ipſemet mutuatarius ademiſſe videtur huiuſmodi deſtinationem; qui enim cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur; in hoc ergo cauſa verè conſideratur, in alio autem occaſio eſt, quia non reſpicit perſonam illius, niſi occaſionaliter; quia ſcilicet accidit, vt ſibi expediat, ipſi magis, quam alteri mutuare. Alia etiam ex his oritur differentia, quia poteſt mutuum conuerti in negotium, ſi non erit neceſſaria intentio principalis ſubueniẽdi proximo, quod accidere non poteſt, ſi principalis intentio reſpicere debeat commodum mutuatarij; ſecundaria enim intentio in omni caſu reperiri poteſt, quo mutuans putat, ſibi expedire mutuas dare pecunias emptioni mercium deſtinatas, principalis autem intentio rariſſimè interuenit; Poſſe autem mutuum transformari in negotium, Chriſtianę religioni repugnat.

42 Nemini itaq; mirum videri debet, quod idem Nauarrus aliud ſcripſerit in conſ. 17. tit. de vſuris; conſultus enim ab Inclyta Ciuitate Veronẽſi, quidnam deberet obſeruare in erectione Mõtis Pietatis, quem pro vtilitate ciuium conſtituere deſiderabat, vt ij, qui eidem Monti mutuabunt pecuniã, pauperibus deinde minutatim mutandam, poſſẽt ſine labe vſuraria aliquid à Monte vltra ſortem accipere, reſpondit, nõ eſſe ſatis, vt dicta pecunia deſtinata eſſet mercaturę, aut emptioni rerum frugiferarum; ſed opus eſſe, vt intentio, & finis principalis eorum, qui Monti ſuas pecunias mutuabunt, ſit, prodeſſe Monti, & pauperibus; & quod hac cauſa moti, omiſerint mercaturam vel emptionem rerum frugiferarum.

43 Huc reſpexit idem Nauar. conſ. 7. in fine eodẽ tit. de vſuris dum his verbis vtitur.

Concludo, quod qui ſponte charitate paterna, & Chriſtiana motus, mutuat proximo egẽti ad leuandam indigentiam eius, patiendo damnum, vel omittendo lucrum, Sãctum opus exercet, etiam ſi ea lege mutuet, vt ei quidpiã ſoluatur pro damno emergenti, vel lucro ceſſante: His conformia ſunt ea, quæ ſcribit idem Nauarrus eodem tit. de vſuris conſ. 34, dùm docet, mercatores paſſim vẽdentes ſuas merces plus iuſto pretio ob dilationẽ, quam faciũt earum emptoribus ad ſoluẽ. pretium, excuſari non poſſe ſub pretextu lucri ceſſantis, quia in huiuſmodi venditionibus non poteſt alia ratio principalis conſiderari, quam proprium commodum mercatorum; & intentionem principalem eorum, qui omittunt negotiationem aut emptionem, rerum frugiferarumã ſe deſtinatã eſſe facendi negotiũ ſibi vtile ac proficuum

44 Sententiam autem Nauarri, quam impugnamus, tanti viri pace dixerim, lar.ſſimam aperuiſſe ianuam vſuris, experientia quotidiana oſtendit; omnia.n. vſuraria cõmercia ſub clypeo lucri ceſſãtis defenduntur; vix enim vllus reperietur, qui non poſſit ſtipulari lucrum ceſſans; cum quilibet dicere poſſit, ſe ſe deſtinauiſſe ſuas pecunias negotiationi per ſe, vel per alios faciendæ; emptioni prediorum, vel redituum, aut cenſuum annuorũ prout ſibi commodius erit; hanc enim allegationẽ ęquipollere arti negotiandi, recẽtibus DD. placet, vt liquet ex Lupo *de vſuris comentar. 1. §. 6. nu. 117. in fine verſ. non per hoc tamen Gaſpare Roderico de annuis redit. lib. 1. quaſt. 16. nu. 24. lib. 3. q. 5. n. 26. P. Barboſa in l. 2. in principio p. 1. nu. 50. verſ. eſt, & aliud exemplum ff. ſol. matr., & ex alijs paſſim;* poterunt enim facillimè allegationi huiuſmodi adhærere, ad effectum conſequen. lucrum ceſſans, quia multi Iudices velut notorium ſupponũt, paſſim extare huiuſmodi occaſiones, etiam ſi verè non adſint, etiam in Ciuitatibus magnis.

45 Hæc verò Nauarri ſentẽtia ex eo probabilitatẽ non acquiſiuit, quod nonnulli ex nouis Scriptoribus eam auidè ſecuti fuerint, nempè Rebellius, Leſſius, Valentia, Azotius, Io: de Salas, Reginaldus, Filiuccius, Petrus Arragona, Petrus Nauarrus, & Bonaccina, quia huiuſmodi Authores (abſit verbo inuidia) adeo negligenter verſati fuere in examinanda opinione largiſſimã portam vſuris aperiente, vt non modo omiſerint examen fundamẽtorum receptiſſimæ ſententię, ſed in ſuiſmet dictis ſibi omnes apertè contradixerint.

Nam, quod pertinet ad Rebell. lib. 8. de obligationibus Iuſtitię quęſt. 6. nu. 6. verſ. dicendum igitur, docet, pactum de quo agimus valere, ſiue mutuanti placeat magis negotiatio, quam mutuũ, ſiue è contra magis placeat mutuatio, attamen lib. 9. quaſt. 11. nu. 4. clarè docet, eum, qui vendit, nõ poſſe aliquid vltra iuſtũ pretium exigere ſub prætextu lucri ceſſantis, niſi gratia tua (ſunt eius verba) præſentes merces tibi credito vendere velit, inferendo nu. 8, hoc non eſſe admittendum, ſi vẽditor non inueniat alios, qui eaſdem merces emerent numerata ſtatim pecunia.

Non omitto autem, in eo preterea Rebellium ſibi met contrariari, quòd ſcribit, fundamentum receptiſſimæ huius noſtræ opinionis conſiſtere in traditione eorum, qui dicunt, non licere ex mutuo ſperare lucrum per medium alias licitum; quam traditionem dicit, ſe ſe confutauiſſe eodem libro q. 3: retinendo enim doctrinam eo loci firmatam, clarè confunditur d. eius opinio; ibi namq; nu. 2. ante verſ. vltimò, docet, ſpẽ lucri per modum debiti inducere vſuram, etiam ſi ſit ſecundaria; inde inferendo, quod nemo conceſſurus eſt, licere paciſci de lucro ſperato; quo admiſſo euidens eſt, vſurarium eſſe pactũ, de quo agimus, quando mutuatarius ideò mutuat, quia credit, ſibi vtilius eſſe, mutuare quam negotiari, aut emere res frugiferas, quia dubio procul tunc ſperat lucrum ex mutuo velut ſibi debitum, cum in hoc conſiſtat fundamentum ſuæ vtilitatis.

46 Arragona de iuſt. & iur. quaſt. 78. artic. 2. columna 16. in principio admittit, valere pactum, de quo agimus, ſiue affectu charitatis mutuet, ſiue

ſpe lucri, quod apertè repugnat doctrinæ, quam tradit eodem artic. col. 12. poſt medium; ibi enim, reſpondens argumento Soti dicentis, non poſſe mutuatarium aſpirare ad lucrum, quod mutuando ſponte à ſe abdicauit inquit,

Aliud eſt, in damnũ conſentire, & aliud, damnũ remittere; & licet mutuans in patiendo ceſſationẽ lucri conſentiat, non tamen tenetur gratis conſentire &c. quare, ſi talis ceſſationis lucri paſſio eſt pretio æſtimabilis, nec intereſt, an vltroneus, vel inuitus cõcedat, imò eſt laudabilius, vt perdere quis velit illud lucrũ, etiã ſi ſibi ſit recompẽſandũ vt proximo officium præbeat; quò fit, vt ſi quãdo quis inuitus patitur damnũ, poteſt illud recipere, etiã poſſit, illud habere quando voluntariè patitur.

Cum enim mutuans ea de cauſa principaliter motus, quia putat, id ſibi eſſe vtilius, quam negotiari, omnino deſideret, velitq; ſuã pecuniã apud mutuatarium manere, euidens eſt, Aragonam ſibi hac in re contrariari, cum in eo non reperiatur illa paſſio, ex qua elicit iuſtitiam pacti; clarè etiam cõtrariatur ijs, quę ſcribit eodem artic. col. 7. concluſione prima, dum proponit velut certum, quod ſi mercator vult remouere pecunias à negotiatione, non poteſt lucrum exigere ratione lucri ceſſantis; nam ſi hoc liceret, inquit ipſe, quilibet ſubtraheret pecunias negotiationi ad euitãdos labores, & pericula, eaſq; mutuo daret; Ille enim, qui mutuat, quia putat, ſibi magis expedire mutuare pecunias cum pacto ſoluendi compenſationem lucri ceſſãtis, quam eas exercere, dubio procul voluntariè ſubtrahit pecunias à negotiatione; ideoq; quilibet mercator idem facturus eſt, ſi ſibi licebit, ſub hoc pretextu de lucro ceſſante paciſci, quotieſcunq; idoneus debitor ſe ſe obtulerit, qui pecunias mercibus deſtinatas mutuas accipere, & diù retinere velit, offerẽdo ei lucrum certum plus vtilitatis afferens, quam ex mercatura ſperauerit.

47 Et etiam appoſitè ad rem noſtram idem Arragona quęſt. 37. artic. 1. columna 17. in principio, quærens, quando liceat pluris rẽ vendere ſub prætextu lucri ceſſantis dicit, poſſe vendere rem pluris, quam valeat, quando rem vendidit ad inſtantiam emptoris, ſecus eſſe docens, ſi ipſe vendere deſiderauit;

48 Azorius p. 3. lib. 5. c. 5. verſ. quęres an pretetea, docet, non eſſe neceſſarium ad ſuſtinendum hoc pactum, vt mutuatarius malit negotiari, quam mutuare; quod tamen clarè aduerſatur ijs, quæ in quæſt. antecedenti ſcribit; ibi enim docet, quod ſi mercator animum negotiandi depoſuerit, non poteſt lucrum, de quo agimus conſequi, quia tunc non eſt amplius d. pecunia negotiationi deſtinata; Opus eſt ergo ex ſententia Azorij, vt ſuſtineatur hoc pactum, quod mutuans malit negotiari; auffert autem dictę pecuniæ huiuſmodi deſtinationẽ ille, qui mauult mutuare, quam negotiari, quia putat, ſibi vtilius eſſe, conſequi intereſſe lucri ceſſantis, quam pecuniam exercere; & ante verſ. ſecundò not. eſt, inquit, tota igitur difficultas inter authores eſt, an, quando ſponte mea mutuo ex charitate, & beneuolentia, item ob preces mutuatarij, vtrum paciſci poſſit, vt ſoluatur lucrum ceſſans, & in hoc ſunt illæ prædictæ opiniones; ex quo patet, eum ſupponere, apud authores vtriuſq; opinionis exploratum eſſe, vt ad hunc effectum oporteat, mutuũ ex charitate proximi principaliter oriri; & lib. 8. c. 10. quæſt. 5. verſ. in hac itaq; quæſtione, damnat mercatores, qui vẽdunt vltra iuſtum pretium merces, quas alteri non eſſent, numerata pecunia vendituri; Secundò ponit diſcrimen inter lucrum ceſſans venditoris, & mutuantis, & inquit, emptorem non eſſe in cauſa, vt venditor eſſet à lucro, mutuatarius autem eo ipſo, quod rogat alium vt ſibi mutuum det, in cauſa eſt, ne ille acquirat illud lucrum quod erat conſecuturus; ergo ſupponit, mutuantem moueri ex charitate d. mutuatarij ad mutandum, quia aliàs non eſſet cauſa, ſed occaſio deponendi animum mercandi; quod clarius deinde explicat, dum poſt d. verba condemnat dictos venditores ex eo, quod vltrò, & ſponte à lucro deſiſtunt; id enim dubio procul accidit ei, qui principaliter mouetur ad mutuandum ex propria vtilitate.

49 Leonardus Leſſius eandem Nauarri ſententiam ſequitur de iuſt. & iure lib. 2. c. 10. dub. 11. in fine, contradicendo tamen ijs, quæ dixerat dubio antecedenti nu. 72. in fine; ibi enim reddens rationem, cur mutuans poſſit paciſci de damno emergenti inquit, æquitatem non pati, vt quis ex beneficio mutui damnum reporter; & proinde poteſt petere recompẽſationẽ huiuſmodi damni: neq; enim is dicitur beneficium facere, qui intuitu ſui commodi principaliter mutuat; & ſequentẽ num. 80. ait, mutantem, qui mutuat pecuniam deſtinatam emptioni mercium, vel rerum frugiferarum, tradere videri lucrũ in ea latens ob d. deſtinationem; eo enim ſe priuat ſponte, cum huiuſmodi deſtinatio euaneſcat illico, ac deliberat mutuare, putans ſibi id vtilius eſſe, quam emere res deſtinatas; ſequitur ergo, in huiuſmodi mutuante non poſſe admitti pactum lucri ceſſantis fundatum ſuper d. ratione, cum in eo non poſſit conſiderari, quod ſe ſpoliet, priuetq; d. lucro ſperato; quam priuationem inculcat num. 82. 83. & 92. vbi dicit, eum, de quo agimus, ſimilem eſſe ei, qui coactus mutuat; quod vtiq; verum eſſe non poteſt, niſi charitas proximi ipſũ impellat ad mutuandum, & num. 88. dicit, d. lucrum non poſſe expectari ex pecunia deſtinata ad emptionem mercium, vel rerum frugiferarum, quando extracta fuerit ex negotiatione, quia tunc amittit qualitatem, ſupra quã fundatur iuſtitia d. pacti, niſi extracta fuerit, vt illi mutuarem; & cõſequenter velut clarum ſupponit, quod ſi mutuans id fecerit ob proprium commodum, dictum pactum non poſſe ſuſtineri.

50 Io: de Salas in tractatu de vſuris dubio 20. nu. 4. docet quidem, ſatis eſſe ad validandum hoc pactum, mutuãtem fuiſſe negotiaturum, niſi mutuaſſet pecuniam negotiationi deſtinatam, & nu. antecedenti nominatim ſequitur d. opinionem Nauarri quæ tamen clarè confunditur ex ijs, quę idẽ author ſcribit dubio antecedenti nu. 45: ibi enim reſpondens fundamento eorum, qui docent, nunquam licere paciſci de lucro ceſſante quando quis mutuat, ſic inquit. Nam qui precibus à me impetrat mutuum, vel ex charitate à me oblatum acceptat, vere impedit lucrum, quod ex ea pecunia, ſi non daretur mutuò, eſſem habiturus; hinc enim patet, eum clarè ſupponere inuoluntariam traditionem pecuniæ; & conſequenter clarè ſupponit,

ponit, mutuum fieri ob charitatem principaliter; hoc enim remoto, nec vmbra quidem inuoluntarij in eo poteſt conſiderari.

51 Bonaccina diſputatione de mutuo, & vſuris puncto 4. nu. 13. clarè repudiat conditionem, de qua agimus, quæ tamen velut veriſſima retinenda eſſet, ſi verum eſt id, quod legitur eodem puncto n. 2. verſ. reſpondet; quod nempè huiuſmodi pactũ ſupponat mutuum ex charitate principaliter fieri.

Mouet ibi Bonaccina dubitationẽ contra eos, qui admittunt pactum de lucro ceſſante in ſponte mutuante: ex illo præcepto Domini mutuum date nihil inde ſperantes, eiq; his verbis ſatisfacit: nihil accipi poſſe preciſè pro mutuo; poſſe verò pro dãno emergente, & lucro ceſſante; nec tenetur graue damnum pati, vt alteri ex charitate proſit; hęc enim ratio non facit ad rem, ſi ſupponatur, principalem mutuatarij intentionem eſſe, facere contractum ſibi vtilem, quia tunc non facit actum in gratiam proximi, ſed ad proprium commodum; ex intẽtione enim principali actus morales denominantur, vt not. DD. in l. ſi quis nec cauſam ff. ſi cert. pet. nõ faceret etiam ad rem illa ratio, quam proponit nu. 12. ante verſ. ex eadem propoſitione, dùm pro confirmatione pacti, de quo agimus, inquit, Tùm quia poteſt aliquis extra mutuũ aliquid accipere, vt deſiſtat à negotiatione; Ergo, etiam in mutuo poteſt aliquid accipere, vt abſtineat ab emptione, vel ab alio contractu, in quo mutuator implicaturus erat ſuam pecuniam; Vbicunq; enim ſupponimus, mutuantis intentionem principalem eſſe, facere contractum ſibi vtilem, non poteſt aliquid accipere, vt abſtineat ab emptione mercium, vel rerum frugiferarum, à qua alienus eſſe cæpit ſtatim, ac certus factus fuit, ſe poſſe ſuos nummos cum majori vtilitate tradere mutuos.

52 Valentia 22. diſput. 5. quæſt. 20. de empt. & vendit. puncto 2. condicione 2. non ſatis ſe declarat; primò enim docet, oportere, vt duret deſtinatio pecuniæ mutuatæ ad mercaturam, vel ad emptionem rerum frugiferarum, vt ſuſtineatur hoc pactum; deinde admittere videtur, non eſſe opus, vt in mutuo aliquid inuoluntarij reperiatur, quod clarè rupugnat dictæ deſtinationi; ſi enim omnino voluntariè vult mutuare, conſequens eſt, vt nulla remaneat d. deſtinationis vmbra eo tempore, quo ſit mutuum; ſtatim namq; ac voluntariè deliberat mutuare, omnino euaneſcit dicta deſtinatio, cum hæc ſint contradictoria.

Quod autem dicit Valentia, dictã deſtinationẽ ablatam fuiſſe à mutuante propter conuentionẽ factã cum mutuatario, non vrget, quia id non fuit factum in gratiam mutuatarij principaliter, ſed ob propriam mutuantis vtilitatẽ, ob compenſationem lucri ceſſantis ex mutuo per modum debiti ab eo ſperatam; quod verò mutuatarius teneatur recõpenſare id, quod mutans fecit ob proprium commodum principaliter, nec probat Valẽtia, nec ſolidis rationibus, aut idoneis authoritatibus probari poteſt; & reprobatur à Iulio tertio Summo Põtifice in dictis literis ſcriptis ſuper Monte Pietatis Inclytę Ciuitatis Vicentinæ; nã eo demũ caſu docet, alienos futuros eſſe ab vſura eos, qui vltra ſortẽ quidpiã accipiunt pro pecunijs deſtinatis mercaturæ d. Monti mutuatis, ſi intuitu Montis principaliter abſtinuerint ab emptione mercium, vt patet ex Nauarro tit. de vſuris conſ. 17.

53 Reginaldus lib. 23. c. 8. nu. 82. verſ. quamuis autem Caietanus, expreſsè ſequitur opinionem Nauarri, quæ tamen clarè confunditur ex ijs quæ eodem numero ſcribit pro cõfirmatione opinionis docentis, licere ſponte mutuanti ante moram paciſci de lucro ceſſante; dum enim probare vult, non eſſe conſtituendam differentiam inter eum, qui ſponte mutuat, & eum qui coactè id facit, inquit.

At id abſurdum eſt, quia ex eo quod quis ſponte in gratiam alterius præſtat, nõ debet eſſe deterioris cõditionis, quam ſi præſtaret inuitus; & paucis interiectis ait; quia ergo pecunia negotiationi deſtinata, eſt veluti inſtrumentum quodam, dum eam tui cauſa à negotiatione ſubmouet, etiã ſi liberè ſubmoueat, nõ debet eſſe peioris conditionis eo, qui facit inuitus.

Neq; enim in gratiam mutuatarij dici poteſt id fieri, quod mutuans primò, & principaliter facit ob propriam vtilitatem; neq; ſimilitudo exiſtere poteſt inter eum, qui inuitus mutuat, & illum qui id ſpõte facit; niſi is, qui ſponte mutuat, moueatur principaliter ex charitate erga proximum.

54 Proponit deinde Reginaldus fundamentum receptiſſimæ ſententiæ propoſitum à Caietano, quod cæteri vel diſſimularunt, vel non conſiderauerunt; eiq; reſpondet, quod mutuans accipit lucrum ceſſans ex eo, quod ob conuentionem initam inter eum, & mutuatarium eximit à negotiatione pecunias mutuatas; is enim poteſt ſuam indemnitatem procurare.

In hac reſpõſione Reginaldus ſupponit pro explorato id, quod falſum eſt euidenter, vt oſtendi nu. 52: quod nempè mutuans poſſit exigere à mutuatario aliquid pro mutatione voluntatis, quam ob proprium ſuum commodum prinpaciliter fecit, dùm pecuniam à ſe negotiationi deſtinatam in mutuum ſciens volenſq; conuertit, vt plus vtilitatis inde capiat, quàm ex negotiatione ſe capturum fuiſſe ſperabat.

Malè etiam dicit, mutuantem poſſe ſuam conſeruare indemnitatẽ, cũ in hoc caſu mens eius fuerit, per mutuum plus vtilitatis capere ex ſuis pecunijs, quam alias facturus eſſet; & ideo non agit de damno euitando, ſed de lucrando captando.

55 Filliuccius tractatu 34. p. 2. c. 4. nu. 79. ieiunè nimis grauiſſimam dubitationem explicat, nec ſe ſatis declarat; ſenſit tamen, ſatis eſſe ad ſuſtinen. hoc pactum, quod ob mutuum exempta fuerit pecunia mutuata ex negotiatione; quod repugnat rationi, quam ad ſuſtinendum hoc pactum affert; quod nempè pecunia deſtinata negotiationi plus valeat, quam ſimplex pecunia; nam pluſquam verum eſt, mutuantem, de quo agimus, adimere intuitu proprij commodi, huiuſmodi deſtinationem pecuniæ mutuatæ ſtatim, ac deliberat, propria vtilitate principaliter conſiderata, dictam pecuniam mutuare.

Repugnat etiam exemplo furis ab ipſo allegato; nam dicit, ſimilem furi eſſe mutuatarium, de quo agimus; intulit enim damnum, ſunt eius verba, in pecunia, & in lucro ſperato; poterit ergo paciſci &c. cuius iacturam fecit ob mutuatarium; Neq; enim hæc quicquam commune habent cum

eo mu-

Digitized by Google

eo mutuante, quem propria vtilitas perſuaſit ad mutuandas pecunias negotiationi deſtinatas.

56 P. Nauarra de reſtitutione lib. 3. c. 2. nu. 300. clare docet cum Nauarro, ad validitatem noſtri pacti nihil referre, quod mutuans ſuam quęrat vtilitatem principaliter, vel proximi, contra ea quę ſcribit nu. 290. in fine; ibi enim reſpondendo argumento Soti, quod mutuans ſe voluntariè priuet lucro, cum ſponte mutuet; inquit, imo laudabilius eſt, vt perdere velit illud lucrum vt proximo officium exhibeat; & nu. ſeq. inquit, nam ſi ruſticus vel officialis rogatus velit, lucri iacturā facere tua cauſa, rectè poterit ratione intereſſe aliquid accipere, cum tui cauſa, & contemplatione amittat; & illico inquit, ſic igitur ſe habet pecunia; eſt enim veluti quodam inſtrumentum, quod tui contemplatione extrahit à negotiatione, vel arte; eſt veluti ſemen, quod tui gratia ille à fructificando ſubmouet; cur ergo, ſi tui cauſa liberè faciat, & non coactus, peioris conditionis eſſe debet, ac ſi coactus patiatur? & nu. 300. in fine concludit loquens de mutuatario: Iam ſanè eſt cauſa efficax lucri amiſſi alioquin euenturi; Hæc enim non conuenire ei, qui ſpontè auffert pecunias negotiationi, vt eas cum maiori ſua
57 vtilitate mutuet, in comperto eſt; Veriſſimum itaq; eſt id, quod aſſerui, dictam Nauarri ſententiam apertè repugnare communi ſenſui Theologorum, & Iuriſperitorum; primiſq; huius materiæ principijs manifeſtè aduerſari; & Scriptores, qui eam ſecuti fuere locis allegatis, adeo negligentes, pace eorum dixerim, in tam periculoſa ſententia approbanda verſatos fuiſſe, vt non animaduerterint, eam repugnare, non dicam receptiſſimæ doctrinæ Theologorum, & Iuriſperitorum, ſed ijs met principijs, quæ ipſi ſequebantur: An verò huiuſmodi ſententia Nauarri probabilitatē ex eo acceperit, quod in multis Regionibus ſic recepta fuerit, vt paſſim huiuſmodi pacta fiant, nemine ex Theologis, Iudicibus, Iuriſperitiſq; apertè repugnante; videant ij, qui eximiam pietatem cum maxima Theologię ſcientia coniunxere; Mediocres enim Theologos hac in re à ſententia dicenda valdè illud remouere videtur, quod admiſſa hac Nauarri opinione pro probabili, ſtudebunt omnia ferè commercia vſuraria ſub clypeo lucri ceſſantis tegere propter authoritatem magnam, quam hoc tempore habet apud pleroſq; Confeſſarios probabilitas opinionis pœnitenti fauentis: ſtudebunt inquā magiſtri prurientes auribus.

De modo probandi intereſſe lucri ceſſantis ad l. vnicam C. de ſent., quæ pro eo, quod intereſt. Cap. V.

1 LVcrum ceſſans expers eſſe peccati, etiam ſi is, qui ipſum in conuentionem deducit, intuitu proprij commodi principaliter tradiderit ſuas pecunias alteri, vel conceſſerit debitori ſuo dilationem ad ſoluendum, docent multi ex recentibus ſcriptoribus, quamuis principia huius materiæ, & communis sēſus Magiſtrorū iuris, ac Sacrę Theologiæ ipſis apertè aduerſentur vt oſtendi ſupra lib. 9. c. 13: Hanc autem doctrinam, quod longè peius eſt, in multis regionibus vſus vtriuſq; fori, interni ſcilicet, & externi paſſim admittit.

2 Verum res, de more, in peius ruit; nam multi pro abſoluto habent, vnumquenq; poſſe allegare, & conſequi intereſſe lucri ceſſantis, etiam ſi experientia quotidiana oſtendat, pauciſſimos eſſe, qui verè poſſint allegare, lucrum ſibi, propter hoc, ceſſauiſſe: Vt autem dilucidum hoc fiat exſcribo verba D. Thomæ 22. q. 78. artic. 2. in reſponſione ad ſecundum: *Recompenſationem verò damni, quod conſideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non poteſt in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod nondum habet, & poteſt multipliciter impediri ab habendo*: Cum qua doctrina concordant etiam ij, qui propugnant lucri ceſſantis compenſationem in conuentionem deductam; fundamentum enim conſtituunt in eo, quod pecunia huiuſmodi ſit pretioſior propter deſtinationem, quam habet ad mercaturam, vel rerum fertilium emptionem, vt oſtendi d. c. 13. lib. 9. nu. 39. & ſeq. nu. 45. cum ſeqq. vſq; ad finem.

3 Fundamentum ergo huius intereſſe conſiſtit in deſtinatione huiuſmodi, iuncta potentia adeo proxima, vt certum ſit moraliter, eam ad actum deduci potuiſſe, ſi mutuum explicitum, vel implicitum ſecutum non fuiſſet: Certum inquam, quia pro lucro incerto non poteſt quis poſtulare compenſationem certam; & deſtinatio huiuſmodi pluris minoriſue æſtimari debet, prout vtilitas, quæ ex ipſa ſperatur, certior eſt, vel incertior: Sicq; concludunt DD. com. vt intelliges ex ijs, quæ ſcribunt *Rota Genuenſis deciſ. 37. nu. 11, & 12, H. Rim. conſ. 52. nu. 42, Honded. conſ. 50. n. 30. lib. 1, Menoch. de arbitr. caſu 119. n. 3. & 4. cum ſequentibus; D. Fachin. lib. 11. c. 39, Pereg. lib. 3. conſ. 19. n. 10, conſ. 85. n. 22. lib. 4. conſ. 70. nu. 2. & conſ. ſeq. n. 8, Rota poſt addit. ad tractatum Cencij de cenſibus deciſ. 5, & deciſ. 27. nu. 6, Horatius Giouagnonus conſ. 46. nu. 2. cum ſeq. lib. 1, & paſſim alibi*.

4 Vt verò appareant abuſus intollerabiles, qui in hac materia quotidie approbantur ab ijs, qui non valent, vel nolunt, hanc rem librare iuxta lancem iuſtitiæ, rem ad praxim deducam; Incipiendo autem à Campſoribus, ab ijs peto, an ſit verùm, paratos fuiſſe campſores, uel alios ad ſoluendū idoneos, qui iuſtum cambium eſſent inituri ſecum ijs conditionibus, quibus contraxerunt cambium fœneratitium? Si affirmauerint, ab ijs quæram, cur ergo tot campſores ſuas pecunias apud ſe retinuerunt, quas cupiebant, ſub cābijs iuſtis exercere, ſi modo inueniſſent debitores ſuſpicione carentes? conſiderent confeſſarij hanc rem, & intelligent, rariſſimè excuſari poſſe ſub ſpecie lucri ceſſantis eos, qui cambia fœneratitia contrahunt: Conſiderent inſuper, quàm frequentes ſint decoctores, & quàm multi difficiles ſint in ſatisfaciendo ſuis creditoribus, & intelligent, non poſſe allegare lucrum ceſſans eum, qui contraxit cambiū vſurariū, niſi paratum haberet aliū æquè idoneū, qui ſuas pecunias ſub cābio iuſto erat accepturus.

5 Deinde quæro, quomodo allegatio lucri ceſſantis illis poſſit ſuffragari, qui ineunt cambia pro quinq; ſex, ampliuſue nundinis? Hæc enim eſſe fœneratitia oſtendit receptiſſima doctrina, quam alio expoſiturus ſum loco, docens, cambium eſſe ſiccum, niſi is, qui numerat pecuniam, putauerit, litteris in proximis nundinis verè ſatisfactum iri ab eo, ad quem diriguntur, vel alia ratione;

tione;

Digitized by Google

tione; Et enim mala ratiocinatio eſt, habeo paratas idoneas perſonas, quæ pro proximis nundinis meas pecunias accepturæ ſunt ſub cambijs iuſtis, ergo idem accidet in ſequentibus, niſi dicamus, in ſingulis nundinis paſſim occurrere debitores ſuſpicione carentes volentes accipere pecunias ſub iuſtis cambijs, quod falſum eſſe, experientia adeo clarè oſtendit, vt nulla frequentior querela apud Genuenſes ſit, quàm nimis periculoſum eſſe, ſuas pecunias exercere ſub cābijs.

6 De ijs nunc tractemus, qui in alijs exercent ſuas pecunias negotiationibus, quorum duas ſpecies conſtituo: alij enim habent certam, ac determinatam negotiationem; alij verò ſecundum id, quod melius ipſis videtur, hanc vel aliam eligunt negotiationem: Circa vtroſq; autem conſiderandum eſt, an retinuerint apud ſe aliquam quantitatem pecuniarum huic vſui deſtinatā: Si enim hoc acciderit, quomodo dicere poſſunt, pecuniam mutuatam fuiſſe deſtinatam negotiationi? Dicam clarius, habebas in arca pecunias, eo conſilio ibi retentas, vt ijs vtereris prout poſtulauerit occaſio ipſas exercendi: Mutuatus fuiſti eas ea conditione, vt tibi pro lucro ceſſante certam ſolueret pecuniæ quantitatem; quomodo autem ceſſat tibi lucrum, cum dixeris, te eas ſumpſiſſe ex illis nummis, quos otioſos habuiſti? Hoc autem argumentum conuincit eos, qui concedunt ſuis debitoribus dilationem ad ſoluendum, cum obligatione dandi lucrum ceſſans: ſi enim retinent in arca pecunias otioſas, quomodo poteſt eſſe verum, eos deſtinauiſſe negotiationi eas pecunias, quarum exactio erat difficilis?

7 Secundò conſiderandum eſt, an illa negotiatio paſſim fuerit vtilis, & paratæ occaſiones negotiationis illius excercendæ: Si enim alij, quos tu in ea arte minimè ſuperas, iacturam fecerint, quo colore propones uelut certum moraliter, te iacturā non fuiſſe facturum, ſi pecuniam mutuatam in eadem exercuiſſes negotiatione? Si non omnibus, diligentiam, ac peritiam parem tuæ in allegata negotiatione afferentibus, occaſio opportuna ſe obtulit emendi eas res, ex quibus deducis lucrum ſperatum, quomodo certum erit moraliter, te ſic habiturum fuiſſe paratas huiuſmodi occaſiones, ut facilè poſſes cum queſtu in ipſis omnes illas pecunias exercere? Certum inquam moraliter; ſi enim uis comparare lucrum probabiliter ſperatum cum lucro certo, plus accipies, quam amiſeris.

8 Tertiò animaduertendum eſt, maiorem eſſe ſolere utilitatem, quæ ex negotiationibus capitur, quam ſit ea, quam præbet lucri ceſſantis compenſatio: Cur ergo omittit negotiationem? ſi dixerit, id fieri quia putat, ſibi id magis expedire, quam mercaturā exercere. (Hoc autem te dicere oportet, niſi ualdè arcto uinculo amicitiæ, aut affinitatis ſis ei coniunctus) hoc ipſum reddit incertum allegatum lucrum; non poteſt enim magis expedire minor queſtus, quam maior, niſi quia maior incertus ſit, aut nimis laborioſus: Poſtremò inſpiciendū erit, an alijs mutuauerit pecunias eodem modo: Si enim id contigerit eodem tempore, aut non multò antè uel poſt tempus huius mutui, reddet te incertum, an illas pecunias deſtinauiſſet negotiationi uel mutuo, cum compenſatione lucri ceſſantis ineundo: Hoc autem reddit incertam eam deſtinationem, ex qua lucrum ceſſans pendet, cuius probatio ad eū ſpectat l. 2. ff. de prob.: reddit inquam incertam, quia utraq; ratione uti ſolet in queſtu faciendo; & obſeruantia ſecura reddit ualdè uetiſimilem deſtinationem huius pecuniæ ad mutandum, cū eam mutuam dederit, non autem exercuerit in mercatura; quæ doctrina applicanda erit omnibus perſonis, de quibus hæc diſputatio agit.

9 Circa eos autem, qui unam tantum exercent negotiationis ſpeciem, conſiderandum erit, an habuerit apud ſe tot ex ijs mercibus, ut dubium fuerit, an expediret alias comparare: An eſſet eiuſmodi conditio temporis, ut non eſſet opportunum huiuſmodi negotiationi: An omnes, qui eam exercuerunt queſtum fecerint: An paſſim adfuerint idonei emptores, quibus cum lucro uendi poſſent: An diſtraxerit omnes merces, quas emit: Hæc enim ſingillatim poſſunt incertum reddere allegatum lucrum ceſſans.

10 De ijs autem, qui uarias res emere ſolent, prout occaſio tulerit, ut eas cum lucro deinde uendant, conſiderandum erit, horum hominum negotiationes eſſe incertas, cum ſecundum uarietatem temporum plus, uel minus pecuniarum in negotiationibus exerceant: Dum ergo dicunt, parata erat hæc uel illa rerum ſpecies, quam emere ſolebam, ex quarum emptione lucrum facturus eram, nō afferunt probationem lucri omiſſi: Si enim quæremus ab ipſis, cur ergo, omiſſa huiuſmodi rerum emptione, pecunias negotiationi deſtinatas mutuaſtis, aut remanere permiſiſtis apud debitores? non poterunt aliud reſpōdere, quàm, ſe putauiſſe, magis ſibi expedire, mutuum ſic contrahere, quàm negotiari: Incertum ergo per hoc redditur, an ipſe mercaturus fuiſſet huiuſmodi res, niſi cauſa aliqua urgens allegetur mutui ſic facti cum minori lucro, quam negotiatio huiuſmodi promittebat.

11 De ijs verò, qui per ſe non negotiantur, ſed per alios, erit inſpiciendum, an adfuerit perſona à ſuſpicione aliena, cum qua ſocietatem ſic contrahere poſſent alicuius negotiationis tantum lucrū afferentis, quantum ex mutuo accepit? Hoc autem difficile apparere poteſt, cum ratò fiant hæ ſocietates, & ocultus plerunq; ſit negotiatorum ſtatus: Illud uerò ante oculos habendum erit, melius eſſe, cum negotiatore idoneo fide, ac facultatibus ſocietatem inire, quam mutuare, duplici de cauſa; primò quia ab ipſo facilius quis accipit fructum ſocietatis pro ſuà rata, quam compenſationem lucri ceſſantis à mutuatario; ſecundò quia incertum eſt, quandiù mutuatarius retenturus ſit pecuniam ſibi mutuatam; e contra uerò ſæpe certum eſt, negotiatorem per annos plures eſſe in ſocietate perſeueraturum: Incredibile ergo eſt, eum, qui habet paratam occaſionem ineundæ ſocietatis cum negotiatore idoneo fide, ac facultatibus, omiſſurum eſſe hanc occaſionem, niſi mutuatarius ſit ſibi coniunctus ualde arcto uinculo ſanguinis, aut beneuolentiæ, aut alia urgentiſſima cauſa extiterit.

12 De illis, qui non ſunt ſoliti negotiari, ſi pro fundamento lucri ceſſantis allegauerint, ſe potuiſſe exercere ſuas pecunias in hac, uel illa negotiatione,

tione, non eſt, quod aliquid ſcribam; num enim retrò acti temporis curſus oſtendat, eos à negotiando alienos fuiſſe, non merentur fidem, niſi oſtenderint, ſe ita mutauiſſe opinionem, ut aliquido appareat, fuiſſe incepturos eam, quam allegant negotiationem iuxta regulam l. in obſcuris 115. ff. de reg. iur.: Deinde perpendendum eſt, non eſſe firmum illud argumentum, quod ſumitur à quæſtu eorum, qui in negotiando verſati ſunt, ad eos, qui nunc primùm aliquam incipiunt negotiationem: *l'huomo è prima ſcolaro, e poi maeſtro*: Deinde, ſi verè deliberauerat, illam aggredi negotiationem, cur mutuauit pecunias ipſi deſtinatas?

13 Ad eos tranſeamus, qui conſtituunt fundamentum lucri ceſſantis ſuper fructu rerum fertilium, quarum emptioni pecunias deſtinauerant: Quod ſpectat ad eos, qui id allegãt reſpectu domorum, agrorũ, ædificiorumq;: Hæc perpendenda erunt, primò, facilè homines labi in emptione harum rerum ob hypothecas ſuper illis contractas, cum vſitatum ſit, generales hypothecas ſingulis adijcere inſtrumentis publicis; fideicommiſſorum etiam perpetuorum uſus frequentiſſimus eſt, quæ alienationem impediunt l. finali C. com. de leg.: Secundò conſiderandum eſt, à ſenſu communi abhorrere, ut is, cui ſe ſe offert occaſio emendi domum, agrum, ædificiumue, quod ſuo reſpondeat deſiderio, eam omittere, vt alteri ſuam pecuniam mutuet cum compenſatione lucri ceſſantis, aut patiatur, manere eam apud ſuum debitorem: nam incerta eſt utilitas ex mutuo uentura, cum incertum ſit tempus, quo retenturus eſt huiuſmodi pecuniam; occaſiones autem emendi ſimiles res abſq; periculo, & ſuo reſpondentes deſiderio, haud facilè ueniunt: ideoq; ſi quis dixerit, ſe omiſiſſe emptionem huiuſmodi rerum, quam inuenerat iuxta ſuum deſiderium quò ad ſubſtantiam, & qualitates rei, & ipſius pretium, tam reſpectu quantitatis, quam reſpectu qualitatis, non erit audiendus, quia ſenſui communi id repugnat, ſecundum quem interpretamur in dubio hominũ deſideria l. 4. in principio C. de nat. lib.: Tertiò perpendendus erit reditus huiuſmodi rerum nec nõ onera, & ſumptus, qui in ipſis cõſeruand. fieri ſolent; quod ſi feceris, facilè intelliges, plus pro lucro ceſſante eum accipere, quã capturus erat ex emptione huiuſmodi rerum: Hoc autem longè difficiliorem reddit allegationem ipſius, quod id empturus erat iuxta regulam ſemel malus de reg. iuris lib. 6. qua Doctores noſtri paſſim utuntur, dum perſcrutantur occultam uoluntatem eorum, de quorũ contractibus quærunt, an ſint fœneratitij.

14 Supereſt, ut tractemus de, ijs qui dicunt, ſe ſe empturos fuiſſe annuos reditus à priuatis, Ciuitatibus, Principibuſq; ſoluendos ſingulis annis: Circa eos, qui emuntur à priuatis, conſiderandũ eſt, quod eorum ualor creſcit, ac diminuitur ſecundum ueriſimilem ſpem, quam habemus, annuos prouentus ſuo tempore ſoluendos eſſe, ut oſtendi ſupra lib. 17. c. 48. nu. 11 Secundò perpendi debet, annuos cenſus eſſe perpetuos, & proinde ſubiecti ſunt multis aduerſitatibus, quæ impediunt prouentuum annorum exactionem, & ipſius cenſus venditionem; niſi enim exactio huiuſmodi ſit facilis, difficilè eſt, inuenire cenſuum emptores: Tertiò illud valde vrget, quod vix eſt, vt reperiatur reditus annuus maior, certior, ac vtilior eo, quem afferunt annui cenſus, quando ab eo ſoluuntur, qui idoneus eſt fide, ac facultatibus; quo ergo colore quis dixerit, ſe omiſiſſe occaſionem ſuo reſpondentem deſiderio, emendi annuos cenſus perpetuos, vt pecuniam mutuaret ei, cum incertus eſſet, quandiũ eam eſſet retẽturus? adeas regulam c. quia veriſimile de præſum.: Poſtremò conſiderandum erit, quod priuati vendunt annuos cenſus reſpondentes illi pecuniarum quantitati, quibus indigent: & proinde hoc quoq; in hac re examinanda erit perpendendum.

15 De reditibus autem, qui à Principibus, Ciuitatibus, aut Oppidis ſoluuntur, duo ſunt conſideranda; primò an ſint facilis exactionis, & ſecuri: Si enim altera ex his qualitatibus defecerit, allegatio huiuſmodi in propoſito erit negligenda, velut inueriſimilis: Secundò perpendendum erit, quod nõ occurrunt facilè occaſiones emendi huiuſmodi reditus quando ſunt faciles ad exigendũ, & ſecuri: Ergo ab omni recedit veriſimilitudine, quod bonã occaſionẽ omiſerit, vt pecuniam mutuaret, cum ab hominibus ſimiles reditus anxiè deſiderentur: Poſtremò animaduertẽdum erit, quo pretio emendi eſſent; nam huiuſmodi reditus, dum ſunt ſecuri, & facilè exiguntur, in dies quò ad pretium augentur; ideoq; non eſt ſatis dicere, extabant venalia loca montium, reditus annui, ergo eos emiſſem, quia inſpiciendum erit, an empturus fuiſſet huiuſmodi pretio; & per hoc ſatisfit doctrinæ, de qua in deciſione 383. nu. 6. p. 5. recent.

16 De ſocietatibus Officiorum Romanæ Curiæ, locis montium, ac officijs vacabilibus, nihil dico, quia non omnibus placent huius generis reditus: Aliquibus autem placet, partem ſuarum pecuniarum in ipſis emendis erogare, partem uerò in rebus, quæ ad hæredes tranſmittuntur; ideoq; incerta nimis redditur allegatio lucri ceſſantis ſuper his fundata.

17 Circa Banchum S. Ambroſij, ut cætera omittam, duo dico: Primò, quod prouentus, qui ab eo accipiuntur, facillimè exiguntur, & perpetui ſunt; quia ſors non reſtituitur, niſi repetatur: Incredibile ergo eſt, quod ille, qui deliberauit tradere Bancho huiuſmodi ſuas pecunias, eas mutuet ei, uel permittat manere apud eum, de quo incertus eſt, quamdiu eas retenturus ſit, & an ſit ipſas reſtituturus, dum eas habere deſiderauerit: Secundò dico, quod non omnes pecuniæ, quæ Bancho huiuſmodi traduntur, ferunt fructũ: Quod ſi omnes, qui allegant pro fundamẽto lucri ceſſantis, vtilitatem ex hoc Bancho precipiendam, ei ſuas tradidiſſent pecunias, nimis longum laberetur ſpatium, priuſquam vllam ex eis caperent vtilitatem: infirmum ergo eſt nimis hoc fundamẽtũ lucri ceſſantis: cuius fautores illud præterea redarguit, quod ſtatim lucrum ceſſans ſoluitur, & vltra quantitatem, quam ſuo tempore ab eo habuiſſent.

Mutu-

Mutuantem poſſe accipere pecuniam ſub cambijs, etiam à ſe ipſo ſi conuenerit, quatenus valeat huiuſmodi conuentio. Cap. VI.

1 DE mutuo ea conditione à mercatore inito, vt poſſit ob moram pecunias mutuatas ſub cambijs accipere, etiã à ſemet ipſo, tractat Rota p. 5. recẽt. deciſ. 274: Cum verò latere poſſit prauitas vſuraria facillimè in hoc contractu, eius latebras breuiter excutiam: Primò conſiderandum eſt, an tempus aſſignatum fuerit facultati accipiẽdi pecunias ſub cambijs; ſi enim id factum non fuerit, & facultas fuerit conceſſa id faciendi abſq; mora, vtiq; voluit mutuans ſubijcere ſolutioni eius quod intereſt mutuatarium abſq; mora quod iuris ratio pati non poteſt, adeas eã, quæ ſcripſi nu. 2. in c. ſequenti.

2 Aut verò tempus fuit aſſignatum: ſi quidem erit tale, vt boni viri arbitrio ſit conueniens quantitati pecuniarum mutuatarum, inſpecta ea facultate eas reſtituendi, quæ tempore contracti mutui erat ex parte mutuatarij, nulla extabit ſuſpicio vſuræ; ſin verò nimis fuerit breue, euidens eſt vſuræ argumentũ; ſi modo res ipſa nõ oſtenderit, mutuatariũ eius mentis fuiſſe, vt tunc temporis verè mutuũ reſtitueretur: Dicam clarius, nõ poteſt bonus iuriſperitus admittere eos contractus, qui viam recludunt fœneratoribus ſuas exercendi fraudes, quia ſemper debet cauere, ne fraus legibus fiat. l. non eſt dubium C. de legib. Si autem admittimus hunc contractum, facillima erit ratio mutuãdi ſub vſuris, quia lapſo breuiſſimo tempore, poteſt facillimè inire contractum cambij ſimulati cũ alio fœneratore, & deinde exigere à mutuatario quicquid ex litteris nundinarum apparuerit, licet id verum non ſit, eum propter hoc debere illi, cum quo contractum cambij iniuit: facillimè inquam, quia nunquam defuturi ſunt improbi homines, qui fœnus exerceant ſub ficto nomine contractuum iuſtorum.

3 Secundò conſiderandum eſt, quod grauiſſimè ſunt illæ vſuræ, quas cambia parere ſolent: Non eſt autem veriſimile, vt quis graue damnum ſubeat, ſi commodè poteſt ipſum euitare l. cum de indebito ff. de probat. Dum autem dicimus, mutuatarium promittere reſtitutionem mutui poſt breue tempus, puta poſt duos, vel tres menſes, ſub pœna ſubeundi damnum cambiorum, alterum dicere debemus; vel eum veriſimiliter putaſſe, ſe ſe habiturum eſſe, vnde conflaret pecuniam neceſſariam, vel tacitè inter eos actum fuiſſe de ſubeundis huiuſmodi cambijs: Si primum dixeris; ſi deinde à te petam, cur ego paſſus fuit, tantum temporis labi cum magno ſuo damno? reſpondere debebis, ſpes, quam habebat veriſimilem, eum decepit: hoc autem ſi dixerit, ad eum ſpectabit onus probandi l. 2. ff. de probat.

4 Tertiò conſidero, mercatori ſic mutuanti non poſſe adimi incommodum accipiendi pecunias mutuatas ſub cambijs ab aliò mercatore: Etiam ſi enim ſit bonæ exiſtimationis apud cambientes, tñ multa accidere poſſunt, quę eum adigant reſtituere tempore ſibi inopportuno pecuniam ei, à quo ipſam ſub cambijs accepit: maior etiam redditur exiſtimatio mercatorum, quò maiorem exercent pecuniarum quantitatem; neceſſe ergo eſt, allegare cauſam veriſimilem, ob quam ſuas pecunias illi mutuauerit: Niſi autem arctum affinitatis, aut amicitiæ vinculum ad mutuum eum deduxerit, vix eſt vt poſſimus aliam cauſam inuenire præter ſpem lucri ex hoc mutuo faciendi, mediante ficto cambij contractu, iuxta regulam c. quia veriſimile de præſumpt. l. in obſcuris de regulis iuris.

5 Quartò conſidero, quod cambium eſt cõtractus, per quem pecunia de vnò in alium transfertur: Quomodo autem poteſt quis à ſe ipſo accipere pecuniam ſub cambijs, cum pecunia, quæ mea eſt pleno iure, non poſſit amplius mea fieri? §. ſed ſi rem legatarij Inſt. de legatis: Quærò à te, an quis poſſit emere à ſemet ipſo aliquid, aut ſecũ ipſe inire valeat contractum permutationis? negabis vtiq; niſi ſtultus ſis: Ergo fateri debes, non poſſe quempiam à ſemet ipſo accipere pecunias ſub cambijs, cum hic contractus debeat, omnino cõſtitui ſub emptione, vel permutatione: Quod ſi allegaueris illud genus cambij, quod appellatur *con la riccorſa*, reſponſio parata erit; vt cætera prætereã in præſentiarũ, quod id conceditur in ſubſidium: receptiſſima enim doctrina eſt, deſiderare huiuſmodi cambium, vt cambiens putet, ſatisfactum iri ſuo tempore litteris cambij, de quo alio loco largè agere conſtitui, quia hæc materia plena eſt impoſturis, & æquiuocationibus.

Creditori an liceat petere intereſſe propter moram defuncti, aduersùs hæredem ignarum debiti, quem non interpellauit. Cap. VII.

1 QVando debitor poſt contractam moram obijt, relicto hærede eo, qui neſciebat huiuſmodi debitum iuxta regulam l. qui in alterius 42. ff. de reg. iur., an intereſſe ab eo peti poſſit, tractat Theſaur. deciſ. 247. Diſtinguit autem inter intereſſe conuentum, & illud, quod Iudicis Officio debetur; in illo ſenſit pro creditore, in hoc pro debitore: Vtroq; autẽ caſu melior videtur cauſa debitoris; nam conuentio ſuper intereſſe non facit ipſum deberi eo caſu, quo alias non deberetur ſecundum regulas iuris Pontificij, vt ex com. opinione oſtendi ſupra lib. 6. c. 27. nu. 24. & ſeq.: Et eſt certiſſima apud Chatolicos doctrina iuxta Clem. vnicam de vſuris.

2 Siue ergo conuentio extiterit, ſiue non, creditor debet oſtendere, eo in caſu exiſtere omnia requiſita neceſſaria ad diſtinguendum intereſſe ab vſura. Cum itaq; iuſta ignorantia hæredis excludat moram ipſius, ſine qua non poteſt ſecundum receptam doctrinam, habere locum intereſſe; meritò dicimus, huiuſmodi hæredem non magis eſſe excuſandum ab intereſſe legitimo, quã ab eo, quod in ſtipulationem deductum fuit, adeas Hondedeum lib. 1. conſ. 50. num. 21 & ſeq. & lib. 2. conſ. 38. a num. 34 ad num. 35. ex quibus locis intelliges, hanc ſententiam communi Doctorum ſenſui eſſe conformem.

3 Quod ſi ageretur de creditore, qui facilè poterat interpellare hæredem, res erit longè clarior contra creditorem; quia tacendo oſtendit, ſe ſe deſiderare, pecunias ſibi debitas interim retineri à debitore, vt poſſit propter hoc percipere ali-

P quid

quid annuum vltra ſortem, quod formalem vſurā introducit, vt oſtendi infra lib. 9. c. 13.

4 Quid ſi autem non potuerit hæredem interpellare? Contra debitorem vrget, quod mora debitoris eſt requiſitum neceſſarium ad illud intereſſe, quod admittere ſolemus; moram autem non poſſumus conſiderare in hærede iuſtam habente ignorantiam debiti, vt allegati Doctores oſtendunt: Contrarium videtur veriùs, primo ex regula *l. 2. §. 2. ff. de verb. oblig.* dicente; *non enim ex perſona hæredis conditio obligationis immutatur*, & ex regula *l. cum hæres 11. ff. de diuerſ. præſcript. cum hæres in ius omne defuncti ſuccedit, ignorantia ſua defuncti vitia non excludit*: Vbicunq; enim excluditur occaſio peccandi ex parte creditoris, nulla cauſa videtur exiſtere affirmandi, haſcè regulas à iure Pontificio in materia vſurarum reprobari; occaſio autem peccādi excluditur, dum dicimus, eas ei ſoli creditori conuenire, qui non potuit interpellare hæredem, quod facturus erat, ſi eum certiorem facere potuiſſet moræ à defuncto contractæ: Hoc enim in caſu mens deprauata ceſſat, quia deſiderat habere id, quod ſibi debetur, & patitur inuitus, interim apud debitorem remanere ſuas pecunias.

5 Ne putes autem, pupillum, minorem, vniuerſitatemue; quorum res per alios reguntur, poſſe hoc allegare; cum enim ex benè geſtis ipſorum vtilitatem ſentiant, ſecundum naturam eſt, vt patienter ferant incommoda, ex eorum negligentia venientia l. ſecundum naturam ff. de reg. iur.: Maximè, cum aduerſus eos in reddenda ratione adminiſtrationis hoc poſſit proponi: diligenter enim cauendum eſt, ne aperiatur via inducendi per hanc rationem uſurariam prauitatem; Hoc ergo in caſu impedimentum ex parte rei eſſe debebit, vel perſonæ, quod non potuerit à diligentiſſimo viro ſuperari: iuxta com. doctrinam, de qua Maſcardus concluſ. 884. nu. 9.

Societates Officiorum Romanæ Curiæ an valeant, ſi exceſſerint valorem Officij, ſuper quò fuerunt initæ. Cap. VIII.

1 MAximi momenti eſt ea quæſtio, in qua quæritur, an ſocietates Officiorum Romanæ Curiæ excedentes valorem Officij, ſuper quò cōtractæ fuerunt, ſint validæ; ſi ab eodem diuerſis temporibus, vel à varijs perſonis initæ fuerint: Eas autem nō valere, Rota ſæpius declarauit, vt intelliges ex deciſ. 291. poſt tractatum de vtili Saluiano interdicto, vbi teſtatur, idem ſenſiſſe Congregationem iuſſu Sāctiſſimi hac de cauſa ſpecialiter adunatam, quinq; Eminentiſſimorum Cardinaliū, trium Reuerendiſſimorum Auditorum Rotæ ſeniorum, & trium Theologorum: Quid autem mihi in mentem venerit pro validitate huiuſmodi ſocietatum, in his ſcriptis breuiter proponam; Ampliſſimoq; Rotæ Tribunali, iuriſprudentię fōti puriſſimo, nec non pijs, ſimul ac Doctiſſimis Vrbis Theologis, ac Iuriſconſultis examinandum propono; quorum benignam hac in re cenſuram, omniumq; hucuſq; in lucem à me editorum, ac in poſterum, DEO fauente, edendorum reuerentiſſimè ſemper ſuſcepturus ſum.

2 Illud pro explorato ponendum eſt, quod licet hæc officia per mortem Officialis redeant ad S. Sedem Apoſtolicam, non tamen impeditur Officialis, liberè de fructibus ſui Officij quò ad vixerit, diſponere, dumodo nihil interueniat diminuēs iura S. Sedis: Et proinde clarum eſt, poſſe Officialem communicare alteri ius percipiendi fructus officij quouſq; vixerit l. quæ de tota ff. de rei vind.: Hæc autem communicatio inducit ſocietatem ſuper huiuſmodi fructibus inter eos *l. 2. ff. com. diuid. l. 3. C. eodem tit. cum alijs authoritatibus, de quibus Fœlicius de ſociet. in prohem. nu. 28. Grat. c. 32. Modeſt. Piſtor. quæſt. 159.* Verùm hæc non eſt illa ſocietas, quæ appellatur ſocietas Officiorum in Rom. Curia; ideoq; videamus, in quò earum diuerſitas conſiſtat;

3 Hoc autem exemplo propoſito clarè apparebit: Poſſum circa merces dupliciter inire ſocietatem, primò ſuper dominio ipſarū, ſecundò circa negotiationem earum: ſi primo modo id fiat, poſſum illico ſeparare dominium commune mercium, obtenta earum diuiſione; ſecundo autem modo ſocietate inita, non poſſum id facere, niſi finita ſocietate l. ſi conuenerit ff. pro ſocio: Dum itaq; Officialis communicat ius precipiendi emolumenta officij alteri, illico ille poteſt prouocare ipſum ad eam diuiſionem, cuius capax eſt officiū: vbi verò quis init ſocietatē ſuper emolumentis ex officio venturis, ſimilis eſt ei, qui contraxit ſocietatem ſuper negotiatione mercium, qui non poteſt ante tempus diſcedere à ſocietate; ideoque contracta ſocietate ſuper emolumentis officij, per ſex menſes proximos precipiendis, non poteſt ante lapſum huius temporis recedere à ſocietate.

4 Subiectum ergo harum ſocietatum eſt ius percipiendi emolumenta officij exiſtens ex parte Officialis; & proinde ſocietates ſic adhærent huiuſmodi iuri, vt eo ſublato non poſſint conſiſtere, iuxta regulam l. 2. ff. de vſufr.: & hoc eſt illud, in quò conſiſtit difficultas huius quæſtionis; nam reſpectu cæterorum, quæ circa haſce ſocietates incidunt, clarum eſt, quod nihil iniuſtum, aut iniquum accidit quò ad vllum ex ſocijs, ea de cauſa, quod ſocietates ſuper huiuſmodi officio contractæ largè ſuperant eius valorem; Dicitur ergo pro fundamento nullitatis harum ſocietatū, quod ſubiectum ipſarum eſſe debet aptum ad reddendum illum reditum, qui ex ipſis percipi ſolet; quomodo autem id poteſt eſſe verum, ſi initæ fuerint ſocietates reddentes aureos mille ſingulis annis ſuper eo officio, quod reddit ſolos aureos annuos quingentos?

5 Dico autem, difficultatem remoueri ex ea conuentione, quæ in his ſocietatibus fieri ſolet; vt ſcilicet Officialis, ad remouendas contentiones, quę facilè oriri poſſent inter eos circa diuiſionem emolumentorum officij, à ſocio conducat ſuam partem pro certa mercede, de qua agunt Gabr. conſ. 78. in principio lib. 1. Rota d. deciſ. 291. nu. 3.: hæc enim conuentio efficit, vt apud Officialem remaneat ius exigendi emolumenta Officij eo modo, quo ipſum habebat ante ſocietatem; neq; enim ſocius circa quantitatem emolumentorum ex officio percipiendorum poteſt quidquam ab Officiali perquirere, cum liberè ad eum omnia emolumenta pertineant; prout etiam non poteſt ſocius poſtulare, vt ſibi ſoluantur illi preciſi nummi,

numorū, qui ex officio percipientur, cum liberum ſit Officiali, de ipſis diſponere, dumodo pleñè ſocio ſatiſfiat ab ipſo, vel ab alio;

6 Cum ergo Officialis habeat ius liberè diſponendi de emolumentis officij non obſtante ſocietate cum alio inita, non poteſt dubitari, quin tunc apud eum exiſtat ſubiectum capax nouæ ſocietatis, quatenus ſe ſe extendit ius huiuſmodi; cum tribuat Officiali facultatem capiendi eam pecuniæ quantitatem ex officio, quæ poteſt inſeruire pro ſubiecto ſecundæ ſocietatis; ergo poterit nouam inire ſocietatem æqualem primæ: Si autem in ſecunda ſocietate fiat, prout ſemper fit, eadem locatio iuris percipiendi emolumenta officij, pari modo acquiret Officialis ſubiectum capax nouæ ſocietates paris quantitatis pecuniæ; & proinde licebit ei, tertiam ſocietatem inire; & vlterius progrediendo poterit inire alias ſimili ratione ſocietatis: & per hoc excluditur ab hac quæſtione exemplum ab annuis cenſibus deductum; ipſi enim inducunt ſeruitutem ſuper ipſummet fundū cenſitum ei inſeparabiliter adhærentem iuxta com. doctrinam, de qua dixi in ſecundo volumine lib. 11. c. 1. nu. 4. cum ſeqq. c. 8. nu. 4. cum ſeq.; & proinde non remanet apud dominum fundi cenſiti ſubiectum capax noui cenſus, cum duret ſeruitus huiuſmodi quouſq; durauerit cēſus.

7 Exemplo propoſito oſtendo veritatem huius ratiocinationis: Titius dominus vineæ in fundo Albano exiſtentis vendit ſeu locat Seio eius vindemiam; deinde conuenit cum eo, vt ſibi liceat, vindemiam huiuſmodi vineæ percipere, facta ipſi promiſſione dandi centum cados vini expreſſi ex vuis collectis in vineis, intra fines fundi Albani exiſtentibus: Perfecta hac conuentione, nullus dubitauerit, quin iuſtiſſimè alteri eiuſdem vineæ vindemiam vendere poſſit, & locare, cum per ſecundam conuentionem acquiſiuerit ius de ea diſponendi: Si autem alteri eandem vindemiam vendiderit, vel locauerit, & deinde ſimilem cum eo fecerit conuentionem, pari ratione rurſus ei licebit, eandem alteri locare, aut vendere vindemiam: quod ſi id fecerit, & eandem inierit conuentionem, rurſus vendere, & locare vindemiam iuſtiſſimè poterit, dumodo ei ſuppetat facultas ex proprijs, vel alienis vinis ſatisfaciendi ſingulis: Hoc verò interuenire in ſocietatibus officiorum conſtat, cum ſocius contentus ſit promiſſione eorum, quæ pro Officiali ſoluere promittunt ſocietatis prouentus, iuxta regulam *l. 3. ff. de fideiuſ. l. 3. §. finali ff. vt in poſſ. leg nomine l. ſi arbitro ff. qui ſatiſdare cog. l. 1. §. item quæritur ff. de ſepar.*

8 Huic fundamento illud vnum vt puto, probabiliter opponi poteſt, quod in hoc exemplo dominus vineæ per ſecundam conuentionem recuperat illud ius, quod habebat ante locationem, ſeu venditionem vindemiæ; in ſocietatibus autem officiorū acquiritur Officiali ius ab eo diuerſum, quod prius habebat; nempè ius percipiendi emolumenta offi[illegible] mediante locatione ſibi facta ipſorum à ſocio; & proinde extincta illa ſocietate, ex qua dependet, extinguetur ius huiuſmodi; ideoq; ſocietas ei adhærens conſiſtere non poteſt, eo modo, quo accidit illi, qui rem conduxit à primo conductore, poſtquam prima conductio fuerit finita l. ſi quis conductionis C. de locato, & conducto.

9 Pro ſolutione huius difficultatis, ex qua pendet, vt puto, deciſio huius quæſtionis, conſidero, ius percipiendi fructus rerum eſſe effectum propriū dominij *l. 5. §. idem ſcribit de rei vindic. l. partum 7. C. de rei vindic. §. item lapilli, §. qua ratione Inſt. de rer. diuiſ. l. quiſcit ff. de vſuris*: Dum vero ad alium, qui non habet dominum, tranſit ius percipiendi emolumenta rei, nō naſcitur nouum ius; ſed illud ipſum ius, quod eſt, aut fuit apud dominū, in aliū transfertur; finita autem facultate ei conceſſa percipiendi fructus rei alienæ, illudmet ius, quod prius à proprietate ſeparatum fuit, reuertitur ad ipſam: Hacq; de cauſa iuris noſtri authores, dum agunt de vſufructu dicunt, ius percipiendi fructus rei fructuariæ, dum conceditur vſufructuario, ſeparari à proprietate, & tranſire ad fructuarium; ipſumq; finito vſufructu reuerti ad proprietatē, vt intelliges ex l. 3. §. idem ff. quem vſufr. amit. l. 4. l. 7. ff. de vſufr. accr. l. ſi vſusfr. l. cū in fūdo in princip. & ante §. diuortio, & ante §. ſi fundus ff. de iure dotiū, §. 1. & §. fin. inſt. de vſufr.

10 Hoc præmiſſo dico, ſocietates officiorum contrahi ſuper iure percipiendi emolumenta officij, non autem ſuper dominio officij, quia certum eſt, dominium eius remanere apud officialem: dum ergo contrahitur ſocietas ſuper aliquo officio, ſocius non efficitur dominus vlla ex parte officij, ſed acquirit pro rata parte ius percipiendi emolumenta ipſius: Dum autem Officialis conducit ab eo hoc ius, non dicitur acquirere ius nouum percipiendi emolumenta officij; ſed illud ius, quod prius habebat, reuertitur ad dominium officij: Quacunq; ergo ratione Officialis habuerit ius percipiendi fructus officij cum libera tamen facultate de ipſis diſponendi, habet ſemper idem ius; ideſt illudmet ius, quod ex dominio officij oritur: Et proinde nō poteſt dici, quod extincta prima ſocietate, in qua ſocius ſibi locauit ſuum ius percipiendi emolumenta officij, dicatur extinctum illud ius, ſuper quò ſecunda ſocietas conſiſtit, cum Officialis ipſum habeat iure illius dominij, quod adhuc durat apud ipſum; conductionis enim contractus Officiali reſtituit illud ipſum ius, quod prius habebat virtute dominij officij; & hæc eſt differentia, quæ exiſtit inter eum, & ſecundum conductorem, quia ſecundus conductor non habet alium titulum, præter conductionem, quam cum primo contraxit conductore: Officialis autem habet proprietatem officij, quę ipſi tribuit hoc ius, niſi ab alio impediatur.

Maritum fructus rei pignoratæ ſuos facere, cum dotis ſolutio differtur, qua ratione fuerit conſtitutum, & quando habeat locum, ad explicationem cap. ſalubriter, de vſur. Cap. IX.

1 EXtat in Decretalibus Gregorij IX. tex. in tit. de vſur. in quo expreſsè deciditur, maritum, cui ſocer pignus dedit, fructus ſuos facere quouſque diſtulerit dotem ſoluere, cuius verba hæc ſunt.

Salubriter, & infra. Sanè generum ad fructus poſſeſſionum, quæ ſibi à ſocero ſunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in [illegible] non credimus compellendum: Cum frequenter [illegible] fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda.

Cuius deciſionis rationem intelligere perutile
erit; ex ea enim facile intelligetur, quando huic
textui locus ſit, & quemadmodum iudex in hac
re, cum occaſio contigerit, debeat verſari. Hoc
autem clarè, & ſolidè exponere perdifficile eſt,
cum variæ admodum ſint, & contrariæ ſententię
circa hanc rem, non modo Iuriſperitorum, ſed
& Theologorum, qui de eadem re tractare ſolent.

2 Prima opioio eſt eorum, qui ex fauore do-
tis conſtitutum fuiſſe aiunt, vt maritus ſuos faciat
fructus aduerſus regulam *c. 1. & 2. eod. tit. de vſur. l. 1. & 2. C. de act. pign.*: dotis enim cauſa ſemper
& vbique præcipua eſt *l. 1. ff. ſolut. matr.* cuius ſen-
tentiæ auctores recenſet Petrus Barboſ. *ad l. 5. n. 3. propè finem ff. ſol. matrim.*

Hæc ſententia communiter reijcitur, & iure
meritò, qoia vſura intrinſecè mala eſt, & crimen,
& ideò iure Diuino, naturali, & Canonico prohi-
bita eſt, *vt in c. 4. in c. quia omnibus, c. conſuluit, de vſur. Clementin. vnica, de vſur. §. ſanè*, & expo-
nit D. Thom. 2. 2. *q.* 88. *art.* 1. & ibi eius inter-
pretes, & potiſſimum Michael Salon *controuerſia prima, Valentia tom 3 comment. Theolog. diſput. 5. q. 21. punct. 1. §. 2. & Abb. Vilagut. de vſur. à q. 3. vſq; ad quæſt.* 10. Et ideò non poteſt cauſa dotis,
etiam ſi valde fauorabilis ſit, reddere vſuram lici-
tam, quod optimè probat tex. in c. 4. de vſur. vbi
Summus Pontifex volens oſtendere, nec pro re-
demptione captiuorum vſuram eſſe permiſſam,
ait. *Reſpondemus, quod cum vſuram vtriuſq; textus pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus, quia cum ſcriptura ſacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multò magis prohibendus eſt quis, ne etiam pro redimenda vita captiui vſu-*
3 *rarum crimine inuolatur*. Præterea animaduertere
debemus, Summum Pontificem in hac re veluti
non explorata verſari vt indicant illa verba, *non credimus compellendum*. Propterea ipſe, non eſſe
ſatis exiſtimans rem decidere, voluit etiam cau-
ſam exponere, cur eam prædicto modo termina-
uerit; & ideò ſtatim rationem proponit ſuæ de-
ciſionis dicendo; *Cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonii ſupportanda*; quis ergo
credat, cum hanc rationem attuliſſe nulla facta
mentione priuilegij dotis, ſi motus fuiſſet, non
ex ratione prædicta, ſed ex dotis priuilegio?

4 Inſuper Summus Pontifex non edidit conſtitu-
tionem de hac re, ſed caſum ſingularem deci-
dendo verba prædicta ſcripſit; ergo ſecundum
iuris veteris ſanctiones loquitur, quia aliàs iniu-
ſtè ſocero, ad quem ſecundum veteris iuris diſpo-
ſitionem pertinebant, fructus abſtuliſſet; ergo Sũ-
mus Pontifex dum fructus genero concedit, non
mouetur ex aliquo priuilegio dotis, ſed ex iuris
ratione; quia ſi lex aliqua lata fuiſſet hoc priui-
legium doti tribuens, caſum hunc decidendo
non fuiſſet vſus illis verbis, *Non credimus eſſe compellendum*. Ex his enim colligitur, eum de hac re
loqui veluti de re non explorata, nec probabili
dubitatione carente, & per conſequens de re per
leges veteres nominatim non deciſa.

5 Secunda opinio docet, deciſionem huius textus
dependere ex damno emergenti mariti, qui one-
ra matrimoni[illegible]nuit, & ex lucro ceſſante, quia
ſi dos tradita [illegible]et, ex ea aliquid lucratus fuiſſet;
quam opinio[illegible], veriſſimam, ac receptiorem
profitetur Couar. *lib. 3. var. c. 1. num. 3. eandem ſequuntur Cagnol. in l. curabit, nu. 44. C. de act. empt. & vendit. Plot. de in litem iurando, §. 11. nu. 21, & Caſſaneus ad conſuetud. Burgund. Rubr. Des Protz, & apparten. §. 23. nu. 3. & 5.*

6 Aduerſus hanc opinionem vrget, quod Summus
Pontifex facit mentionẽ de oneribus matrimo-
nij, de lucro verò ceſſante non meminit, quod
non erat omittendum, ſi eius deciſio ex lucro
ceſſante quoq; dependiſſet, tum propter materię
qualitatem, quæ periculo plena eſt; tum etiam, ne
daret occaſionem errandi; dum enim homines
videot, Summum Pontificem de oneribus ſolum
mentionem facere, iure credunt, eorum cauſa
fructus concedi marito, nec rationem haberi lu-
cri ceſſantis.

Inſuper lucri ceſſantis ratio vt habeatur, multa
neceſſaria ſunt, præcipuè, quòd adfuerit occaſio
lucrandi. Secundò quòd maritus huiuſmodi oc-
caſionem noo fuiſset prætermiſsurus; aliqui enim
pecuniam in dotem acceptam in arca retinent,
alij æs alienum ex ea diſſoluunt, alij in res volu-
ptuoſas impendunt; ergo Summus Pontifex non
indiſtinctè fructus marito conceſſiſſet, ſed ſi mo-
do eæ conditiones extitiſſent, ſine quibus lucri
ceſſantis ratio non habetur, vide Menoch. *de arb. iud. caſ. 119. Mich. Salon de iuſt. & iur. tom. 2. q. 78. art. 2. contr. 9. vbi latiſſimè hoc explicat. Seraph. deciſ. 186, 714, 721, 1240, 1275.*

7 Tertia ſententia eſt, & veriſſima, Summum Pon-
tificem onerum matrimonij rationem ſolum ha-
buiſſe, & propter ea ſola fructus marito dediſſe,
cuius ſententię auctores retulit Couar. *lib. 3. c. 1. nu. 3. verſ. ex his verò quidam, idem ſcripſerunt Sotus de iuſt. & iur. lib. 6. q. 1. art. 2. verſ. igitur. Nauar. de vſur. nu 65. Mich. Salon de iuſt. & iur. tom. 2. q. 78. art. 2. controuerſ. 14. nu. 2. verſ. quarta expoſitio eſt, vbi teſtatur, omnes interpretes recentiores D. Thomæ eam ſequi, Petrus Barboſ. in l. 5. nu. 1. in fine, & nu. 2. ff. ſolut. matrim., Lupus de vſur. comment. 1. §. 4. nu. 79., Vrſill. ad Afflict. deciſ 284. nu. 1, & 2. Raudenſ. conſ. 39. nu. 13. lib. 1, Surd. de alim. tit. 1, q. 42. nu. 8. & conſ. 269. nu. 26. lib. 2.*

8 Probatur hæc ſententia ex ipſomet tex., in quo
nulla alias ratio redditur, quam quia maritus one-
ra matrimonij ſuſtinuerit; ergo hanc ſolam Sum-
mus Pontifex conſiderauit, non aliam; quia aliàs
defectiuus fuiſſet, & in re adeò periculoſa, & fre-
quenti anſã præbuiſſet errandi; quis enim exiſti-
mare poterit, eum motum fuiſſe ex alia cauſa, ſi
eius non meminit? nemo vtiq; qui ſciat, morem
fuiſſe Summorum Pontificum, cum caſum aliquẽ
dubium ſibi propoſitum decidebant, ſuæ doctri-
næ rationes exponere, vt ex Decretalium libris
conſtat.

Hæc ergo eſt germana ratio huius textus, ſed
exponere, quemadmodum ſufficiens fuerit, vt
maritus ſuos fructus faceret, hoc opus, hic labor
eſt. Hac in re variæ extant opiniones, quas re-
fert, & examinat diligenter Mich. [illegible]on loco ſu-
pra allegato, qui cæterorum expoſitionibus opti-
mè reiectis, defendit opinionem Nauarri de vſur.
num. 65: is autem inquit, dotem dari marito ad
ſuſtinenda onera matrimonij; ergo eius natura
eſt deſeruire oneribus matrimonij; itaq; cum lo-
co dotis datur pignus, ea intentione datur, vt vi-
ces

ces gerat dotis; ergo datur, vt ex eo maritus ſuſtineat onera matrimonij, alias loco dotis nõ daretur, & fruſtra maritus pignus acciperet; ergo facit fructus pignoris ſuos, quia ea intentione datũ cenſetur, vt ex eis maritus oneribus matrimonij ſatisfaciat.

9 Hæc ſententia ſpecioſa eſt, ſed verè continet manifeſtam fallaciam; verum enim eſt, dotem plerunq; dari ad ſuſtinenda onera matrimonij; ſed eius natura nõ eſt, vt maritus ea vtatur, & ſors ſalua remaneat; hoc enim pendet ex qualitate rei in dotem datæ, namq; ſi maritus in ſpecie d. cap. ſalubriter dotem promiſſam habuiſſet, eaq; vſus fuiſſet ad ſuſtinenda onera matrimonij, quantitas dotis fuiſſet diminuta, quia conſiſtebat in pecunia, quæ vſu conſumitur; quomodo ergo admittit Summus Pontifex, maritum fructibus fundi vti, & dotem non diminui? hoc eſt illud, quod vrget Couar. & quod explicatione indiget; videamus nos, an id aſſequi valeamus.

10 Maritus, qui ante quam ſponſalia contrahat, conuenit de dote, vxorem ducit propter dotem, ſine dote eam non ducturus; itaq; dum eam ducendo ſe ſubijcit oneribus matrimonij, id facit propter dotem, alias non facturus, & ideò I. C. *in l. ex promiſſione, ff. de act. & oblig. ait. Ex promiſſione dotis non videtur lucratiua cauſa, ſed quodammodo, creditor, aut emptor intelligitur*; cui conſentit tex. in *l. ſicut, §. ſed ſi permiſerit, ff. quibus mod. pign. vel hypot. ſoluat.* dum ait, *quod ſi in dotem dederit, vendidiſſe in hoc quoq; videtur propter onera matrimonij.*

Dum ergo dos non ſoluitur eo tempore, quo conuentum fuit, iure maritus dicit promiſſori dotis, ego culpa tua ſuſtinui onera, quæ non ſuſtinuiſſem; quia niſi credidiſſem, te dotem eſſe ſoluturum, vxorem hanc mulierem non duxiſſem; reſarcias ergo damnum, quod culpa tua ſentio, id ſcilicet quod expendi ex meo patrimonio in alenda vxore.

11 At dices; promiſſor dotis poterit marito reſpondere dicendo; Si pecuniam dotis nomine promiſſam numerauiſſem, nullum lucrum ex ea percepiſſes; quia nulla fuit occaſio emendi rem frugiferam, vel merces; ergo tua non intereſt pecuniam non fuiſſe tibi traditam; eodem enim modo ex patrimonio tuo onera matrimonij ſuſtinuiſſes, ſi enim dote vſus fuiſſes, diminuta fuiſſet eius quantitas, & per conſequens ex patrimonio tuo tempore reſtitutionis dotis id, quod excerpſeras, reſtituere tenebaris.

12 Vt hæc opoſitio, ex qua vniuerſa hæc diſputatio dependet, clarè, & ſolidè diſſoluatur, animaduertendum eſt, duos caſus hic eſſe conſiderandos. Primus eſt, cum maritus onera matrimonij ſubiturus erat, etiam ſi ſibi dos nõ fuiſſet promiſſa, quod accidit; cum declarauit, ſe de dote non eſſe ſollicitum. Secundus caſus eſt, cum maritus vxorem non erat ducturus, niſi ſibi fuiſſet promiſſa dos eo modo, quo fuit promiſſa, quod vt plurimum accidit, quo in caſu verum eſt, eum non fuiſſe ſubiturum onera matrimonij, niſi dotem ſibi traditam iri crediſſet eo modo, quo conuenit, quia in vxorem mulierem illam non duxiſſet, niſi credidiſſet, conuentionem obſeruatam iri.

13 Cum in primo caſu verſamur, oppoſitio vrget, quia maritus ſubiturus erat onera, etiam ſi dotem non promiſiſſet ſocer, & per conſequens non poteſt dicere, culpa promiſſoris dotis, ea onera ſe ſubijſſe, quæ alias nõ erat ſubiturus, ideò ſi traditio dotis fuerit retardata, nõ poteſt aliquid petere, quia onera ſuſtinuerit; ſed ea ſola de cauſa ei conqueri licebit ei, quod ſi dos tradita fuiſſet, potuiſſet ex eius fructibus onera ſuſtinere, & patrimonio ſuo parcere: ſed de hac facti ſpecie non agit Summus Pontifex, quia gener, de quo tractat, adeò ſollicitus fuit de dote, vt voluerit poſſeſſiones quaſdam pignoris loco ſibi à ſocero tradi.

14 Dum verò in ſecundo caſu verſamur, in quo maritus onera non erat ſubiturus, niſi credidiſſet, conuentionem obſeruatam iri, tunc non quæritur, an maritus potuerit ex fructibus dotis ea ſubire, ſed an culpa promiſſoris è ſuo patrimonio aliquid impenderit, quod non erat impenſurus; itaq; cum ille vxorem non eſſet ducturus, niſi dote tradita, ſequitur, eum culpa promiſſoris dotis alimenta vxori præſtitiſſe, quæ alias non erat præſtiturus, quia eam in vxorem non duxiſſet, niſi credidiſset, ſocerum traditurum eſse dotem.

Oppoſitio ergo prædicta ſupponit, maritum fuiſse ſubiturum onera, etiam ſi credidiſset, conuentionem obſeruandam non eſse, quod falſum eſt in ea ſpecie, de qua agit Summus Pontifex.

15 Et ex his ſequitur, non ſubſiſtere quod ſcribit Barboſ. *in l. 5. nu. 1. in fine, & nu. 2. ff. ſol. matr.* dum putat, in caſu, de quo agimus, intelligi pactum inter ſocerum, & generum lucrandi fructus pignoris, quia iſtud pactum non eſt neceſsarium, vbi culpa ſoceri gener ſubijt onera, quæ alias non erat ſubiturus; nec eſt ſatis, cum vir onera erat ſubiturus, etiamſi credidiſset, ſocerum fidem non eſse obſeruaturum, niſi quatenus ex dote lucratus fuiſset, ſi eam habuiſset.

16 Sed prædictis aduerſari videtur, quod Summus Pontifex, dum ait, *Cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda*, conſiderat dotem veluti fructiferam, ergo eam conſiderat, quatenus à marito in emptionem rei fructum reddentis conuerſa fuiſſet; eo enim in caſu dos in pecunia conſiſtebat, vt in initio textus clarè dicitur; ergo onera non conſiderantur per ſe à Summo Pontifice, ſed quatenus maritus potuit illa ſuſtinere ex dote.

17 Reſpondeo, dum Summus Pontifex propter onera concedit fructus marito, quis poterat eum redarguere dicendo, ſi propter onera maritus ſuos facit fructus, ergo eos habebit quatenus reſpondent oneribus; ergo malè ei vniuerſos fructus rei pignoratæ tribuis: hanc obiectionem Pontifex ſentiens, vt ei reſpondeat ait, dotis fructus frequenter non eſſe ſatis ad onera matrimonij, & per conſequens nec fructus rei pignori datæ; de qua ibi agebatur ad onera prædicta ſatis erant, quia dotis quantitatem pignoris valor non excedebat; (alias perperam Summus Pontifex à fructibus dotis ad fructus rei pignoratæ argumentatus fuiſſet.) Itaq; dotem vt fructiferam conſiderat, non quia neceſſarium ſit, vt dos fructum reddat, vt ſit locus eius deciſioni, ſed vt oſtendat, ſe non tribuere marito plus, quam ei debeatur, dũ vniuerſos pignoris fructus concedit ipſi.

18 Tribuit ergo Summus Pontifex marito vniuerſos fructus pignoris, quia ualor eius non excedebat

bat quantitatem dotis promiſsæ; ergo ſi plus ualeret,& plus redderet, quam impenderit maritus, licebit promiſſori dotis repetere id quod ſupereſt, quod rectiſsimè ſcripſerunt Alex. *conſ.* 178. *num.* 11. *lib.* 7. *Couar. lib.* 3. *var. cap.* 1. *nu.* 3. *verſ. tertiò. probatur. Gabr. conſ.* 146. *nu.* 6. *in* 2. *Lupus de vſur. comment.* 1. *§.* 4. *nu.* 75. & alij multi ab his relati.

19 Itaq; cauendum eſt ab Alphonſo Villagut. *in tract. de vſur. quæſt.* 22. *concl.* 12. qui contrarium ſcripſit idem ſentit Michael Salon *loco ſuprà adnotato nu.* 3. *verſ. ſed hæc ratio, & nu.* 5. *verſ. opponunt*, qui incautè nimis ait, ſic ſe habere vſum omnium nationum: nam ex intentione omnium ferè Doctorum, qui de hac re tractarunt, manifeſtè contraria opinio probatur; nam illi, qui docent, deciſionem textus, de quo agimus, non deduci ſolum ex oneribus matrimonij, ſed etiam ex lucro ceſſante, etiam ſi Summus Pontifex de eo nõ meminerit, non alia ratione mouentur, quam ex eo, quod non putarunt, ſatis eſſe onera matrimonij, vt maritus eos facere ſuos potuerit; ſi enim hoc credidiſſent, cur ad lucrum ceſſans confugiſſent?

20 Illi verò, qui docent, Summum Pontificem propter onera motum fuiſſe, nec lucri rationem habuiſſe, idem clariſſimè ſentiunt, dum varijs modis oſtendere ſtudent, onera ſatis eſſe, vt fructus ſint mariti; ſi enim propter ea maritus lucratur fructus, vtiq; eos lucratur quatenus expendit, nec vltra; limitata enim cauſa limitatũ producit effectũ.

21 Eandem ſententiam diſertè probat Summus Pontifex, dum ait, *cum frequenter dotis fructus non ſufficiant ad onera matrimonij ſupportanda*; ad quid enim de dotis fructibus agit, cum dos, de qua tractat, conſiſteret in pecunia, niſi vt rationem reddat, cur vniuerſos fructus marito concedat? atq; ita ſentiendum, & iudicandum eſt.

22 Quod ſi pignoris fructus non fuerint ſatis ad onera ſuſtinenda, ne contractus claudicet, licebit ei id, quod deeſt, pet.& inſuper pete. agere ratione lucri ceſſantis, ſi probauerit, propter moram soceri lucrũ aliquod ſe amiſiſſe, quod rectiſſimè ſcripſerunt Vrſill. ad Affl. ct. *deciſ.* 284. *nu.* 2. *Raud. conſil.* 39. *nu.* 13. *lib.* 1.

Et ex his intelligimus, an idem ſit dicendum, cum a conſuetudine, vel à ſtatuto determinatum fuit id, quod marito ſolui debet ratione moræ in ſolutione dotis commiſsæ; ſi enim in compenſationem onerum, vel lucri ceſſantis aliquid annuũ marito datur, poterit debitor dotis, probando concludenter, quid maritus expenderit in alenda vxore, & quid eius interſit ratione lucri ceſsãtis, obtinere, vt nõ condemnetur, niſi quatenus verè mariti intereſt, dotem non fuiſſe ſolutã: ſtatutum enim, quando ratione intereſse tribuit marito aliquid, ſupponit, re vera eius intereſse, dotem non fuiſse ſolutã, & ideò non vult, id ei dari, niſi quatenus eius intereſt; quod indubitatum erit, cum per pactum quid annuum fuit marito conſtitutum, ſi promiſsor dotis eam non tradiderit; pactum enim hanc metam excedens vſurã continet, vt in cap. ſeq. nu. 4.

23 At dices, cur ergo ſtatutum determinauit quãtitatẽ, quę marito ſoluenda erat, ſi minus ei quandoq; ſoluere licebat? Reſpondeo, id quod intereſt, nõ in iure, ſed in facto conſiſtere, *l. quatenus de reg. iur.* & ideò dubiæ valdè ſolent eſſe lites ſuper eo, quod intereſt; ad tollendas ergo lites, quod maximè in materia dotium neceſſarium eſt, rectiſſimè facta fuit lex, quæ ſecundum id, quod communiter accidit, declarat, quid mariti interſit, *iuxta l. nam ad ea, ff. de legibus*, quæ propterea non debet impedire, quin liceat promiſſori dotis probare id, quod mariti intereſt, dotem non fuiſſe ſolutam; mens enim legis eſt damnum mariti cõpenſare, ex qua hac ratione ſequitur, huiuſmodi legi non eſſe locũ, ſi mulier induſtria propria aliquid lucrata fuerit, ex quo maritus eam aluerit; vel ſi aliquis gratis alimenta vxori præſtiterit.

24 Si verò ſtatutum, promiſſorem dotis aliquid marito dare iubeat in pœnam moræ, quod licere non eſt dubitandum, quò libentius homines nubant, tunc non licebit minus ſoluere ex eo, quòd maritus minus impenderit, quia aliud eſt, petere aliquid ratione pœnæ, vel ratione intereſſe. Primò enim caſu licet id exigere, etiam ſi excedat intereſſe. Secundò vero non, vide Rot. Roman. *deciſ.* 473. *part.* 1. *diuerſ.*

25 Nota autem, Summum Pontificem non diſtinguere de oneribus matrimonij, vt intelligamus, omnium onerum eius haberi rationem, etiam ſi modum ſuæ conditioni conuenientem maritus exceſſerit, dummodò bona fide impenderit; hoc eſt quod ſumptus fecerit, quia ſciebat ſibi actionem competere aduerſus promiſſorẽ dotis; Nam & tunc verum eſt, eum hęc onera culpa promiſſoris dotis ſubijſſe, quod ſine dubio erit recipiendũ, ſi promiſſor dotis ex ante acta vita mariti poterat conijcere, eum in ſumptibus modum eſſe exceſſurũ; ſe enim ſua culpa in hoc diſcrimen coniecit. Debet tamen haberi ratio eius, quod maritus expendiſſet, ſi vxorem non habuiſſet, interdũ enim accidit marito eſſe opus, famulam alere, quæ curam domus habeat, quod onus ſi ceſſauerit ducta vxore, debebit eius ratio haberi in æſtimandis expenſis factis à marito in ea alenda.

26 Cum ergo fundamentum huius deciſionis poſitum ſit in oneribus matrimonij, ſequitur, eam ceſſare ſtatim, ac mortua eſt vxor, quia per eius obitum matrimonium expirauit, quo ſublato matrimonij onera conſiderari non poſſunt, quia ſublato principali acceſſorium non poteſt ſubſiſtere *l.* 1. *de vſufru.* atque ita rectiſſimè ſcribit D. Steſanus Gratianus *Diſceptat. Forenſ. part.* 3. *cap.* 427. *vbi allegat Io. de Anania in d. c. ſalubriter col. penult. ad medium verſ. ex prædictis. Ruinum conſ.* 162. *nu.* 3. *lib.* 5. *Palat. in cap. per veſtras, not.* 6. *§. num.* 4. & teſtatur ſic ſenſiſſe Ampliſſimam Rotam Romanam ſemel atque iterum, & addit rectiſſime hoc procedere, etiam ſi extent liberi ex vxore defuncta ſuſcepti, pro qua ampliatione multa adducit accuratè, addo text. *in leg. vnica, §. taceat, C. de rei vxor. act.* dum tractans de retentione dotis vxore defuncta Iuſt. ait, *Sileat ob liberos retentio, cũ ipſe naturalis ſtimulus parentes ad liberorum ſuorum educationem hortetur*. Cauendum eſt ergo à Cumia *ſuper ritibus Mag. Curiæ cap.* 94. *num.* 22. & Cardinal. Tuſco *tom.* 2. *in verbo dotis fructibus concluſ.* 742. *numer.* 111, 112. & 118. qui contrarium ſcribunt.

De eadem

De eadem re, quando ſcilicet ſit locus c. ſalubriter, de vſur. Cap. X.

1 EXplicanimus in antecedenti capite rationem eius, quòd habetur *in cap. ſalubriter de vſuris*; non nullæ modò dubitationes ſe ſe offerunt, quæ neceſſariò explicari debent, vt quilibet intelligere poſſit, quando eius diſpoſitio habeat locum. Primò, an eius diſpoſitio habeat locum in quocũque dotis promiſſore. Secundò, an habeat locum ad fauorem hæredum mariti. Tertiò, an poſſit fieri pactum de eo, quod promiſſor dotis ſoluere debeat, ſi moroſus fuerit. Quartò, an habeat locum cum maritus cõceſſit dilationem. Quintò, quid ſi dotis ſolutio fuerit remiſſa arbitrio tertij, vel voluntati mariti. Sextò, an fructus pignoris ſint mariti, ſi eandem rem promiſſori dotis tradiderit in pignus alia de cauſa. Septimò, quid ſit dicendum, cum maritus diues eſt. Octauò, an competat marito, qui ceſſit creditum dotis alteri. Nonò, quid ſi delegauit. Decimò, an hoc beneficium alteri cedi poſſit. Vndecimò, quid ſi maritus per pactum promiſit alere vxorem. Duodecimò, quid ſi maritus per nouationem obligationem ex cauſa dotis in aliam obligationem trãſtulerit. Decimotertiò, quid ſi dos fuit promiſſa vxori. Decimoquartò, an idem ſit reſpectu augumenti dotis. Decimoquintò, quid ſi promiſſor dotis dederit in pignus rem ſibi pignori ab alio datam.

2 Quò ad primam, Fortunius *de vlt. fine iuris, illatione 6.* exiſtimauit, diſpoſitionem noſtri textus ſpeciali ratione procedere inter ſocerum, & generum, & ideò ad alios non eſſe trahendam, cuius ſententiæ fundamenta proponit Couar. *lib. 1. var. c. 3. ad finem verſ. cæterum plura, quæ opinio communiter reijcitur teſte* Salon. *de iuſt. & iur. q. 88. art. 2. controuerſ. 14. num. 2. verſ. ſed hæc. explicatio, & num. 4. verſ. primo contra Fortunium. Surd. de alimen. tit. 1. q. 42. num 30.* & iure merito, quia ratio, quã adfert Summus Pontifex, pertinet ad quemcunque dotis promiſſorem, vt expoſui in antecedenti capite; ideo Summus Pontifex, licet de ſocero & genero loqueretur, quia caſus ei ad decidendum propoſitus de his agebat, nihil tamẽ ait, ex quo vel minima coniectura colligi poſſit, id ſpeciale eſſe in eo caſu propter perſonas, ſed rationem generalem adfert, quæ ad omnem maritum, & ad omnem dotis promiſſorem ſpectare poteſt, hanc ſententiam etiam ſequitur D. Gratianus *lib. 1. diſceptat. 143. à num. 2.*

Secundò dubitatur, an fauore hæredum mariti habeat locum hæc diſpoſitio, quod negant Ioann. Andr. Hoſt. & Abb. *in huius textus explicatione*, & alij de quibus Surd. *conſ. 269. à nu. 27. lib. 2. Gabr. lib. 1. conſ. 151. nu. 4. in fine, & nu. 5. & 7.* quorum ſententia veriſſima eſt reſpectu fructuum pertinentium ad tempus, quod fluxit à die mortis mariti, quia tunc ceſſat mora ex parte promiſſoris dotis, cum venerit tempus, quo dos peti amplius non poteſt; & quia tunc ceſſat damnum ex parte hæredum, qui non tenentur alere viduam, & ideo dicebat Salon *loco ſuprà adnotato verſic. ſequitur*, quod ſi hæredes tenerentur ſubire onera matrimonij, tunc ſecus eſſet, quod mihi non videtur verum. Aut enim hæredes alere eã tenentur ex diſpoſitione teſtatoris, aut ex diſpoſitione ſtatuti; ſi ex diſpoſitione teſtatoris, tunc ridiculum eſſet dicere, eos poſſe loco compenſationis fructus fundi ſuos facere, ſi verò ex diſpoſitione legis municipalis obligantur ad alendam viduam dico, hanc obligationem impoſitam fuiſſe, non propter dotem, ſed propter matrimonium, alias dote non ſoluta non obligauiſſet hæredes mariti; & per conſequens nihil proderit ipſis ad effectum lucrandi fructus, onus iſtud ſubire, cum id faciant propter legis præceptum, quæ dotis rationem non habet, ſed matrimonij.

4 Tertiò dubitatur, an valeat pactum inter ſocerum, & generum, quod ſi moroſus fuerit in tradenda, dote aliquid annuatim ſoluat; ipſumque valere, puto verius eſſe, & receptius, dummodò nõ excedat id, quod expendit maritus in alenda vxore, vel quod eius intereſt dotem non fuiſſe traditam, *vide Couar. lib. 3. c. 1. nu. 3. verſ. quarto poterit hinc diſcuti. Lup. de vſur. comment. 1. §. 4. num. 25. Abb. Villagut. in tract. de vſur. q. 22. concluſ. 9. Mich. Salon. loco ſuprà allegato, num. 4. verſ. ſequitur tertio. Surd. de alimen. tit. 1. q. 42. num. 23. cum ſeqq. D. Gratian. lib. 1. Diſcept. Forenſ. c. 143. à num. 6. verſ. quod magis.*

Cum enim liceat, id in pactum deducere, quod nobis ſecundum iuris rationem debetur, nulla dubitatio erit quin pactum, de quo agimus, fieri poſſit, cum ſecundum iuris regulas abſque pacto à marito poſſit obtineri, vt promiſſor dotis condemnetur ad ſibi reſarciendum id, quod impendit in ſubeundis oneribus matrimonij, quæ culpa promiſſoris dotis ſuſtinuit, & ad ſibi reſarciendũ damnum, quod propter moram eius ſentit iuxta ea quæ ſcripſi in c. anteced. nu. 10. cum ſequentibus.

5 Nec obſtat, incertum eſſe id, quod mariti interſit dotem non tradi, & ideò vſuram ſapere pactũ id determinans, quia reſponſio ex dictis patet, nempè propter onera matrimonij hoc concedi, quorum impenſam non eſt difficile veriſimiliter determinare inſpectis moribus regionis, conditione viri, & vxoris.

Quartò dubitatur, quid ſi maritus conceſſiſſet dilationem ad dotem ſoluendam, an tunc ratione moræ poſſit aliquid vltra dotem accipere propter onera matrimonij: diſcordant DD. vide Couar. *lib. 3. var. c. 1. num. 3. verſ. quinto eodem iure, Lupum de vſur. §. 1. comment. 4. à num. 76. Abb. Villagut. de vſur. q. 22. concluſ. 1. 2. & 3. Plot. de in litem iur. à num. 455. D. Fachin. lib. 2. conſ. 94. D. Polidor. Ripam obſeru. 19. Michael. Salon vbi ſuprà num. 4. verſ. ſecunda conditio*, & alios ab his relatos nec non *Surd de alim. tit. 1. q. 42. à num. 50.*

Qua in re ego quatuor conſidero caſus. Primus cum maritus conceſſit dilationem ad dotem dandam nullo accepto pignore fructifero, & abſque pacto, vt interim pro oneribus aliquid ſibi ſoluatur. Secundus, cum non fecit pactum vt ſibi aliquid præter dotem ſolueretur, quouſq; dotis ſolutio retardatur, ſed tamen accepit pignus fructiferum nulla facta mentione fructuum. Tertius, cum fecit pactum vt interim ſibi quid ſolueretur pro alimentis vxoris. Quartus eſt, cum marito ſine die vel conditione dos fuit promiſſa, ſed maritus vltro, vel rogatus dilationem conceſſit.

6 Quod ſpectat ad primum caſum puto, nullo modo locum habere diſpoſitionem noſtri tex. motus hoc fundamento; onera matrimonij maritus ſubijt abſq; ſpe dotis quò ad tempus, de quo agimus, ergo propter onera nihil petere poteſt.

Antecedens eſt manifeſtum ex ſuppoſitione, quòd ipſe dilationẽ conceſſerit; conſequentia verò probatur hoc modo; aut ipſe propter onera vult quid præter dotem, quia culpa promiſſoris dotis ſubijt illa, quòd aliàs non feciſſet, aut quia cum minori damno aluiſſet vxorem ſi dotem habuiſſet. Primum non poteſt dicere, quia ipſe ſponte dilationem fecit, & vxorem duxit ſciens quod ante tempus prefixum dos non erat numeranda. Secundum uerò, etiam ſi uerum eſſet, attamen non poteſt ei prodeſſe, quia dando dilationem ad ſoluendam dotem ſpõtè hoc commodo ſe priuauit, non alia de cauſa motus, quàm quod putauerit, ſibi expedire nuptias cõtrahere, etiam ſi dotem ſtatim non fuiſſet habiturus.

7 At dicunt aduerſarij, dum maritus concedit dilationem, nón uidetur iuri petendi compenſationem onerum renunciare, ergo dilatio eum non impedit, quò minus beneficio noſtri textus utatur; Vt hęc oppoſitio diſſoluatur nonnulla animaduertere oportet. Primò, contractum matrimonij non pertinere ſolum ad utilitatem vxoris, ſed uiro etiam prodeſſe; cumque marito uxor ſubijciatur, & ſui corporis poteſtatem faciat; nec non obſequialia ei pręſtet opera, non immeritò pleriſq; gentibus uiſum fuit, matrimonium plus utilitatis uiro, quam vxori adſerre, quas commemoraui lib. 3. cap. 7. Itáque ſecundum naturam matrimonij non eſt, vt maritus conſequatur id à muliere, quod expenſurus eſt ad eam tuendam, neque enim recta ratio patitur, vt expenſa, quę vtilitatem vtrique affert, ſolius vxoris damno cedat.

8 Secundò animaduertendum eſt, dotem eſſe ſpeciem donationis *l. cum multæ, C. de donat. ant. nupt.* Itaque quod dicitur, naturam dotis eſſe, vt deſeruiat matrimonij oneribus (de qua re ſcripſi lib. 3. ca. 1.) intelligitur, poſtquam venit tempus ſoluẽdi eam; ideò enim promiſſor dotis dilationem ad ſoluendum petijt, né interim eam tradere teneretur; qua de cauſa culpa vacat, ſi eam non tradiderit; itaque donec durat dilatio, non dicitur penès ſe retinere dotem deſtinatã oneribus matrimonij; quia ad onera matrimonij quoad durat dilatio non fuit dos deſtinata.

9 Et ex his patet, argumentum ex aduersò factum petere principium, quia ſupponit, marito competere ius petendi compenſationem interim, quod dos non ſoluitur propter dilationem, & dotem fuiſſe deſtinatam ad onera prædicti temporis ſuſtinenda, quod nos meritò inficiamur; idque maximè verum erit ſi conuentum fuerit, ut ex pecunia dotali aliquid fructiferum ematur; euidens enim tunc eſt, non fuiſſe uoluntatem partium, ut pecunia oneribus matrimonij ſeruiret, & ideò quouſque occaſio nõ uenerit aliquid fructiferum emendi, uetiſſimum erit, non ueniſſe tempus, quo maritus ex dote ſuſtinere poſſit onera matrimonij ſalua conuentione.

10 Quò ad ſecundum caſum, cum maritus dilationem conceſſit ſocero, uoluit tamen loco pignoris ſibi tradi rem aliquam fructiferam, an ſit locus diſpoſitioni noſtri textus? Reſpondeo, hanc eſſe quæſtionem uoluntatis; ſi enim mens mariti fuerit, non ſubire onera matrimonij, niſi acciperet compenſationem, tunc affirmatiuè reſpondendũ eſt, hoc enim in caſu loquitur noſter textus ut oſtendi in c. pręcedẽti a num. 10. Si uero alia mens marito fuerit, tunc ſecus erit, quia id nullo pacto marito licebit, ut in antecedenti caſu expoſui.

11 Itaque debebit iudex, cuius eſt, uoluntatis quęſtionem dirimere *l. 7. C. de fidei commiſſ.* que fuerit mens mariti determinatè, rem autem in abſtractò conſiderando contra maritum vrget, quòd ipſe dilationem conceſſit; neque enim hæc inſimul conſiſtere poſſunt, quòd maritus concedat dilationem, & quod eius mens fuerit, nõ ducere vxorem, niſi ſibi tradita fuiſſet dos. Marito verò prodeſt, quod ipſe voluit, pignus fructiferum a promiſſore dotis ſibi tradi, vt penès ſe illud retineret, quouſque dos ſolueretur; non eſt enim veriſimile, eum voluiſſe, in ſortem fructus imputare; verum hæc coniectura non concludit, quia non deſunt cauſæ, ex quibus maritus moueri potuit, vt pignus peteret; vt ſcilicet magis tutus eſſet, vt promiſſor dotis ſit diligentior in ſoluenda dote, & ideò non erit ſufficiens ratio ad diluendam præſumptionem, quæ oritur ex dilatione, quæ naturæ rei & vſui conueniens eſt, & ideò neceſſe erit marito, hanc ſuam intentionem probare, maximè, cum ſcriptum ſit, verba conuentionis cõtra eum eſſe interpretanda, cuius intererat, legẽ apertius dicere *l. veteribus, ff. de pact. l. quidquid aſtrigendæ, de verb. obligat.*

12 Tertium caſum nunc explicemus, cum ſcilicet dilatione conceſſa, maritus ſibi ſtipulatus eſt aliquid ſolui pro compẽſatione onerum, quouſque dos non ſolueretur, quo caſu mariti cauſa potior eſt; nam ex pacto huiuſmodi patet, eum non fuiſſe ſubiturum onera matrimonij, niſi compenſationem eorum ſperauiſſet, quod eſt illud, quod facit locum deciſioni noſtri textus vt expoſui in cap. antecedenti à num. 10.

At dices, cur ergo dedit dilationem; Reſpondeo, cum promiſſor dotis nollet, vel non poſſet dotem intra illud tempus tradere, dilationem petijt, eam autem maritus conceſsit, quia compẽſatio onerum, quę eum á matrimonio retrahebãt, ſibi fuit promiſsa.

13 Quartus caſus eſt, cum marito dos ſine die, vel cõditione fuit promiſſa; ſi deinde vltrò, vel rogatus dilationem conceſseti, an tunc habeat locum diſpoſitio noſtri textus; cum autem ex promiſſione puta ius fuerit quæſitum marito petendi compenſationem onerum, ſequitur, deciſionem huius caſus ex eo pendere, an per dilationis cõceſſionem huiuſmodi iuri renunciauerit, quod in dubio non præſumitur, *l. cum de indebito. de probat.*

14 Reſpondeo, dum maritus vltrò, vel facile conceſſit promiſſori dotis dilationem, oſtendit, ſe matrimonium fuiſſe contracturum, etiam ſi ab initio dilationem huiuſmodi petijſſet, niſi aliquid noui ſuperuenerit; & ideo huic caſui non poteſt adaptari fundamentum deciſionis noſtri textus, quod maritus culpa promiſſoris dotis ſubijt onera matrimonij, quæ ſubiturus non erat, vt expoſui in c. antecedenti num. 10: neque enim facile paſſus fuiſſet, ſibi dotis traditionem differri, ſi propter

eam

Digitized by Google

eam contraxit matrimonium, aliàs non contracturus illud.

Si verò, facile non permiſit ſe perſuaderi ad dilationem concedendam, tunc res obſcurior eſt; aduerſus maritum tamen regulam conſtituendam eſſe ſentio ex iis, quæ ſcripſi in ſecundò caſu nu. 10. quæ, & hic militant, à qua ex coniectura voluntatis recedendum erit, ſi tamen clarè fuerit probata, cum aduerſus eam vrgeat experientia, quæ docet, homines in illis, quæ ad commodum ſuum ſpectant, cautè, & diligenter verſari, nec non regula *l. veteribus ff. de pactis, & l. quicquid aſtringendæ ff. de verb. oblig.* & hæc de quarta dubitatione ſatis.

15 Quinta dubitatio eſt, an ſit admittenda deciſio noſtri textus quoties in arbitrium mariti, vel alterius, dotis ſolutio fuit reiecta, qua in re aſſirmat Raudenſ. *lib. 1. conſ. 39. nu. 15. poſt Ioſeph. Ludou. deciſ. Lucenſ. 21. nu. 48. & 49. Cagnol. in l. curabit nu. 42. C. de act. empt. & vendit. idem ſentiunt alij, de quibus Surd. de alim. tit. 1. q. 42. nu. 12. verſ. ſed prædictæ deciſioni, & nu. 13. cum ſeq. D. Gratian. lib. 1. Diſceptat. forenſ. c. 143. nu. 15. & 16.* quibus non poſſum aſſentiri, cum enim maritus, e cuius voluntate dotis traditio pendet, non declarat voluntatem ſuam, oſtendit, ſe nolle vti dote ad onera ſuſtinenda; quia ſi ſecus eſſet, dotem peteret; ergo non poteſt dicere, ſe è ſuo patrimonio onera ſuſtinuiſſe culpa promiſſoris dotis.

16 Cum verò in arbitrium alicuius dos fuit collata *iuxta l. 3. C. de dot. promiſſ.* antequam ille dotem declarauerit, non conſtat, quid ſit nomine dotis ſoluendum; ergo non eſt in mora promiſſor dotis, ergo non eſt cogendus aliquid præter dotem dare marito; ex mora enim deducitur culpa promiſſoris dotis, in vt oſtendi c. antecedenti à num. 10.

17 Nec dicas, immò eum eſſe in mora, quia maritus ſuſtinet onera matrimonij; hoc enim verum eſt, quoties maritus contra ſuam voluntatem ex ſuo patrimonio vxorem alit, quod in hac ſpecie non accidit, quia dum negligit dotem declarari, oſtendit, ſe nolle dote tunc vti ad ea ſuſtinenda, nam ſi huius mentis eſſet, dotem declarari peteret; quæ cum habeant locum etiam in ſocero, reſpectu eius vera quoq; erit hæc opinio, quidquid contendat Surd. ſupra.

18 Sextò dubitatur, ſi maritus alia ex cauſa contraxerit cum promiſſore dotis, & ei rem ſibi prius pignori datam, tradiderit, cuius fructus erunt? Mariti fructus eſſe conueniunt DD. ſi credimus Mich. Salon. id atteſtanti *de iuſtit. & iure q. 88. art. 2. controu. 14. nu. 5. verſ. ſequitur quinto.*

19 Hæc ſententia mihi ſuſpecta eſt, nam creditor ius quidem habet colligendi fructus pignoris; ſed eos colligit veluti alienos, & ad debitorem ſpectantes, & ideò dum reddit pignus, eorum quoq; rationem reddere debet, *l. 1. & 2. C. de pign. act. cap. 1. & 2. de vſur.* Itaq; facultas colligendi eos oritur ex eo, quod rem penes ſe habet; igitur ſi ipſa penes alium ſit, non poterit colligere fructus maximè ſi apud dominum fuerit; vt ergo maritus hoc in caſu fructus acquirere valeat, neceſſe eſt ei dicere, ipſũ ius colligendi fructus, & in vſus ſuos conuertendi habere, vltra illud ius, quod ſecundum regulas ordinarias competit creditori in fructibus rei pignori datæ, quod hucuſq; nemo, quem viderim probauit.

20 Immò huiuſmodi ius marito non competere, aperte indicat Summus Pontifex, dum ait agens de fructibus, à marito perceptis; *Nõ credimus imputandos.* Imputatio enim fructuum in ſortem pertinet ad illos, qui eos colligunt veluti ex re aliena, non ad eos, qui ius habent fructus percipiendi. Neq; verò credas, idem eſſe, quod maritus eos nõ imputet in ſortem, vel quod ius acquiſiuerit percipiendi illos ad ſuam vtilitatem; vt enim imputatio impediatur, ſatis eſt, quòd ipſe creditor ſit ex alia cauſa domini pignoris; ex ea enim retinere eos poteſt. Concludo ergo, fructus fundi eſſe promiſſoris dotis, eũ tamen teneri reſarcire id, quod maritus in tuenda vxore erogauit.

21 Septimò dubitatur, an in marito diuite locum habeat deciſio noſtri textus, quod dubitatione carere exiſtimo, cum non faciat fructus ſuos propter paupertatem, ſed propter onera, quæ ex ſuo ſuſtinuit culpa promiſſoris dotis; atq; ita ſentiunt DD. omnes, qui de hac materia tractant, dum indiſtinctè de marito agunt, nõ exigendo hanc qualitatem quòd ſit pauper, explicitè autem poſt Sot. & Nauar. id docuit Salon *loco allegato nu. 5. verſ. ſequitur ſecundo.*

De eadem materia ad cap. ſalubriter, de vſur. *Cap. XI.*

1 OCtaua dubitatio eſt in marito, qui ceſſit alteri nomen ſibi ex cauſa dotis cõpetens, an detur beneficiũ huius textus, quod affirmat Surd. *conſ. 269. num. 23. & 24.* & iure meritò, quia cum quis cedit, ſeu mandat alteri actiones ſibi competentes, nõ deſinit ipſe eſſe creditor, ſed adhuc actionem ſibi competentem retinet *l. 3. C. de nouat. & delegat.* itaque ceſſio nihil aliud efficit, quam quod liceat ei agere, cui alias non licebat. Neque in propoſito diſtinguendum eſſe reor, an debitor partem debiti ſoluerit, an cum eo lis fuerit cœpta; licet enim hæc impediãt eum, qui actiones ceſſit, exigere *vt in dicta l. 3.* non tamen efficiunt, vt creditor eſſe deſinat, quod eſt illud, quod in propoſito quærimus.

2 Qua de cauſa idem puto dicendum, ſi ceſſio huiuſmodi facta fuerit emptori nominis, quia hæc res non facit, maritum deſinere eſſe dotis creditorem *l. ex nominis C. de hæred. vel act. vendit.* qua ratione idem erit recipiendũ, cum in ſolutum datum fuit nomen, nam & tunc non deſinit eſſe creditor *d. l. 3. C. de nouat.* quæ præciſè loquitur eo caſu, quo ſolutionis gratia quis actiones aduerſus ſuum debitorẽ mandauit, itaque cauẽdum eſt à Surdo, qui hos caſus diſtinguit *in dicto conſ. 269. num. 24. lib. 2.* efficit quidẽ datio in ſolutum nominis debitoris, vt creditoris periculo exigantur *vt in l. pupilli. §. ſoror. ff. de ſolut.* & poſt alios exponit Franciſ. Becc. *conſ. 105. num. 35.* ſed non efficit vt debitor deſinat eſſe debitor eius, cui ante dationem in ſolutum debebat, licet id aſſerat Surd. nulla lege, vel ratione munitus; maritus ergo poterit vti diſpoſitione huius textus, non obſtante ceſſione niſi & hoc beneficium ceſſum fuerit; facta enim ſimpliciter ceſſione nominis

minis non veniet hæc facultas, quæ ab ipſo nomine diſtincta eſt & ſeparata. De hac re ſi aliorum ſententias intelligere velis conſule DD. allegatos a Lupo *de vſur. comment. 1. §. 4. num. 81. & 82. a Surd. in tract. de alim. titul. 4. quæſt. 42. num. 22. D. Gratian. lib. 1. diſcept. 143. a num. 39.*

3 Nono quæritur, quid ſi per delegationem fuerit à marito ius exigendæ dotis in aliquem tranſlatum? & negatiuam ſententiam acriter defendit Surdus *conſil. 269. num. 14. verſ. alio tamen fundamento, & nu. 15. cum ſeqq. lib. 2.* & iure merito, quia delegatio efficit, ne promiſſor dotis marito aliquid amplius debeat, *vt in l. 3. verſic. quod ſi C. de nouat.* quod etiam hodie obtinet vt liquet ex DD. allegatis per Ant. Gabr. *tit. de nouat. concluſ. 1. num. 49.* & per Surd. *num. 15.* ergo tollit fundamentum textus noſtri, quod eſt, debitorem dotis diſtuliſſe eius ſolutionem; promiſſor enim dotis ex alia cauſa incipit eſſe debitor, ſcilicet ex ſtipulatione, vel ex conſtituto. Aduerte autem, ita demum delegationem fieri, ſi conſentiat debitor delegatus, & ſpondeat ei, cui delegatur, vel debitum conſtituat, vt expreſſe legitur *in l. 1. l. 6. l. 7. C. de nouat.*

4 Decima dubitatio eſt, an alteri cedi poſſit hoc beneficium, Reſpondeo, compenſationem, quæ debetur marito propter onera, cum ſit quid pecuniariũ, procul dubio poſſe iuxta eius voluntatem transferri in alium; ius autem petendi illam, radicatum eſſe in eius perſona, ita vt nemo poſſit niſi nomine ipſius petere, quia illi debetur ratione onerum; itaque verum erit, compenſationem ſoli marito deberi, eam autem peti poſſe ab eo, cui id ius ipſe conceſſerit; vide Surd. *conſil. 269. num. 25. in fine verſ. ex prædictis, & num. 26.* vbi in hanc ſententiam recte diſſerit, & redarguit Pariſ. qui exiſtimabat, hoc priuilegium eſſe reale, & ad quemcunque tranſire, ad quem dos tranſierit.

5 Vndecimo dubitatur, an ſi maritus per pactum promiſerit alere vxorem, poſſit vti beneficio noſtri textus, quod negat Corn. *conſil. 240. lib. 3.* aduerſus quem inſurgit Surd. *de alimen. tit. 1. q. 42. nu. 43. verſ. ſed ne in hoc, & nu. 44. cum ſeqq.*

Difficultas conſiſtit in facto, non iure, qua de cauſa ſcilicet motus fuerit maritus ad promittendum, ſe alere vxorem; ſi enim propter dotem id fecit, quod præſumendum eſſe in dubio recte monet Surd., tunc non erit conſtituenda differẽtia inter hunc caſum, & eum, de quo agitur *in cap. ſalubriter de vſur.*

6 Si verò alia ex cauſa motus fuit ad paciſcendum, tunc verum erit quod ſcribit Corn., eum nõ ſuſtinere onera propter dotem, ſed propter pactum, & ideo ceſſat illa ratio, in qua cõſiſtit deciſio huius textus; quod ſcilicet culpa promiſſoris dotis maritus ſuſtinuerit onera, quæ aliàs non ſuſtinuiſſet. Videat ergo iudex, quæ fuerit cauſa paciſcendi, & ſecundum eam, rem hanc dirimat; eius enim eſt voluntatis quæſtiones exponere *l. 7. C. de fideicommiſſ.*

7 Duodecima dubitatio eſt, quid ſi maritus per nouationem, obligationem ex cauſa dotis in aliam obligationem transfundi curauerit, an fruatur beneficio huius textus, & negatiue reſpondet Capic. *deciſ. 183.* de qua ſententia dubitat Surd. *tit. 7. q. 42. num. 62. verſ. circa hanc limitationem, & num. 62. & 63.* ego vero puto eam eſſe veriſſimam; cum enim promiſſor dotis per nouationem ex noua cauſa incipiat obligari, non poteſt maritus ei opponere, quod culpa eius ſubijt onera, quæ aliàs non ſubijſſet, quia per nouationem non fuit inductus ad ducendam vxorem, ſed per promiſſionem dotis; itaque ceſſat fundamentum noſtri textus, & ideo ſi forte maritus noluiſſet ſuſtinere onera niſi obligatione nouata, aliud eſſet dicendum, quia tunc verum eſt, culpa eius ſuſtinere onera, quæ non ſuſtinuiſſet.

8 Decimotertio dubitatur, quid ſi dos fuit promiſſa vxori, an ſit locus noſtro textui, & negatiue reſpondet Ruin. niſi mulier nomen hoc debitoris dederit in dotem, & cum Ruino tranſit Surd. *de alim. tit. 1. q. 42. nu. 64. cum ſeqq.* idem *Ruin. conſil. 63. num. 28. & 29. lib. 2. D. Gratianus lib. 1. diſcept. 143. nu. 36. & ſeq.*

Ratio huius opinionis eſt, quatenus negat, quia marito nihil debet promiſſor, ergo non tenetur ad intereſſe; accidens enim non poteſt ſtare ſine ſubiecto *l. 1. ff. de vſufruct.* Ratio limitationis eſt quia quilibet debitor tenetur ad intereſſe, ergo & hic de quo agimus tenebitur; ergo licebit marito petere compẽſationem onerum; in hoc enim damnum eius conſiſtit.

9 Regula rectiſſime fuit negatiue conſtituta, quia optima eſt ratio ſuprà allegata; non recte tamen excipitur caſus, quo mulier dedit in dotem nomẽ debitoris, quia cum ipſe non induxerit maritum ad ducendam vxorem, non poteſt maritus dicere, ſe culpa eius ſuſtinuiſſe onera, quæ alias non ſuſtinuiſſet; & ideo non licet ei indiſtincte petere, ſibi compenſari damnum, quod in alenda vxore impendit, ſed licebit ſolummodo marito petere id, quĩ ſua intereſt, eum non ſoluiſſe tempore debito, quatenus probabit, quod minus impendiſſet, ſi non fuiſſet in mora, atque ita recte ſcribit Gabr. *conſ. 151. num. 7. verſ. non diuerſitatis, lib. 1.*

10 Licebit tamen marito aduerſus vxorem agere, ſi debitorem interpellauit, vt ſibi onera prædicta compenſet, quia eius culpa ea ſuſtinuit, quæ vtique non poterit ſe defendere, & ideo ei licebit poſtea agere aduerſus debitorem moroſum, & ratione damni, quod propter eius moram paſſa fuit, obtinebit, eum condemnari, eius enim culpa in hanc incidit iacturam,

11 Decimoquarto quæritur, quid in augmento dotis, an maritus poſſit vti reſpectu ipſius, beneficio noſtri textus? negat Corn. *conſ. 240. lib. 3.* affirmat Surd *de alim. tit. 1. q 42. à nu. 75.* ego Corneo eſſentior, quia non poteſt maritus dicere, ſe motum fuiſſe ad ducendam vxorem propter augmentum dotis, cum poſt contracta ſponſalia factum fuerit, ergo non poteſt dicere, ſe culpa eius, qui augmentum promiſit, onera matrimonij ſuſtinuiſſe; poterit tamen agere ratione damni emergentis, & lucri ceſſantis ad inſtar aliorum creditorum; cum Surdo tamen ſentit D. Gratian. *deciſ. 213. nu. 3. & 4. in additionibus.*

12 Decimaquinta dubitatio eſt, quid ſi maritus acciperet in pignus à promiſſore dotis rem alienam, an tunc faciat fructus ſuos; & negatiue reſpondet Gabr. *conſ. 151. num. 7. lib. 1.* & recte, quia fructus ſunt domini rei, qui cum non ſit debitor

bitor

bitor dotis, à marito non poſſunt retineri, ſed reſtitui debent; & ideo ſi maritus eos perceperit, & in vſus ſuos conuerterit, non minuetur debitum dotis, quia quod promiſſoris dotis eſt, non poteſt eius debitum extinguere, niſi nominatim pro ſolutione dotis fuerit datum.

Licebit tamen marito agere aduerſus promiſſorem dotis, vt ſibi onerum matrimonialium cõpenſationem tribuat, & quanti ſua interfuerit, rem alienam in pignus accepiſse, ſi conuentum fuerat, vt daretur pignus in dotem; conuentioni enim non ſatisfecit debitor rem alienam tradendo.

Maritus an poſſit exigere vſuras dotis conſiſtentis in rebus non frugiferis, vel quando contraxit matrimonium, aut ſponſalia in gradu probibito iuxta c. ſalubriter de vſur. Cap. XII.

1 DVM dos conſiſtit in pecunia numerata, poſſe maritum exigere intereſſe, quod vſuram recompenſatiuam appellant, quando ſibi non fuit dos ſoluta in tempore, conſtat ex c. ſalubriter de vſu.; an vero idem ſit dicendum, cum in dotem promiſſæ fuerunt res fructum non ferentes, elegans eſt diſputatio, de qua agit Caualcanus deciſ. 22. n. 39. p. 4. idem tractat luculenter, de more, Marius Giurba deciſ. Siciliæ 72. & poſt eum P. Ioã Fontanella de pact. nupt. tom. 2. clauſ. 6. gloſſ. 2. p. 6. à nu. 12.

2 Cum autem hac de re extet lex clara Iuſtiniani *in l. final. §. præterea verſ. ſin autem alias res C. de iur. dot.* dubitatio in eo conſiſtit, an hæc Iuſtiniani cõſtitutio diſcors ſit à iuris Canonici regulis, quę vſuras repudiant, niſi recõpenſatiuę ſint c. 4. de vſur. Clem. vnica eod. tit.; Iuſt. autem ſic diſtinguit, aut hæ res æſtimatæ fuerunt, aut ſine æſtimatione fuerunt promiſſæ; ſi æſtimatæ fuerunt, tunc maritus poſt biennium poſſit earum vſuras petere ex tertia parte centeſimæ: hoc eſt triēſes vt bene explicat Cuiac. *à quatro per cento*; ſi verò inæſtimatæ fuerint promiſſæ, iubet Iuſtinianus, eas præſtari ex die litis conteſtatæ ſecundum modum, qui circa hoc in legibus veteribus exponitur.

3 Cum autem leges ciuiles, ad quas nos reicit Iuſtinianus, quando res inæſtimatæ fuerunt promiſſæ, non reſpiciant quantum interſit petitoris, ſibi moram fuiſſe factam; nam ſolum curant, ne excedatur modus a lege vſuris conſtitutus l. final. C. de vſur. non eſt ambigendum, legem Iuſtiniani, quatenus vſuras poſt litis conteſtationem concedit marito iuxta eum modum, quem veteres leges præſcribunt, iuri Diuino repugnare, quando excedunt intereſſe mariti; deciſio enim c. ſalubriter eatenus marito fauet, quatenus eius interfuit, moram ſibi factam fuiſſe, vt luculenter expoſui ſupra controuerſ. 10.

4 De eo caſu nunc diſſeramus, quo res æſtimatæ à partibus fuerunt; qua in re in primis animaduertere debemus, maximè inter ſe differre, ducere ius petendi vſuras ex ratione c. ſalubriter, & ex eo, quod maritus potuerit has res vendere, & ex pecunia lucrum facere, vel rem frugiferam emere.

5 Nam, ſi hoc ducitur ex deciſione c. ſalubriter, regula extat pro marito; onus ſcilicet probandi pertinere ad promiſſorem dotis: ſi verò inde id non deducimus, debebit maritus non ſolum probare, ſe fuiſſe venditurum huiuſmodi res; ſed etiã paratum fuiſſe emptorem, qui eas eſſet comparaturus pro eo pretio, quod ei venditor conſtituturus erat; & inſuper paratã fuiſſe occaſionem exercendi pecuniam huiuſmodi cum lucro; vel rem venalem frugiferam extitiſſe, quam ipſe empturus fuerat; cum enim hæc in facto conſiſtant, debet maritus, qui in his ſe fundat, oſtendere, vera eſſe, iuxta ea, quę habentur in cap. ſequent. à num. 15. apud Menoch. de arbitr. iudicium caſu 119. vt cæteros cuiq; obuios omittam.

6 An autem maritus huiuſmodi poſſit, in deciſione c. ſalubriter ſuam fundare intentionem, videamus; quod ſi ſequamur eorum ſententiam, qui putant, huiuſmodi textum pendere ex damno, quod patitur maritus in ſuſtiuendis oneribus matrimonij; & ex lucro ceſſante, quo caret ob retardatam dotis ſolutionem; quam ſententiam poſt multos, quos allegat ſequitur Couar. lib. 3. var. c. 1. nu. 3. & alij, quos retuli ſupra controuerſia 11. num. 5. cauſa mariti dubia admodum redditur, cum perarò accidat, vt maritus, cui in dotem res, de quibus agimus, promittuntur, eius intentionis ſit, vt velit eas diſtrahere, & exercere pretium inde cõflatũ, vel ipſum in re frugifera impendere; & ideo non poteſt maritus, tunc lucrum ceſſans allegare, niſi plenè probauerit, ſe eius mentis fuiſſe, vt huiuſmodi res diſtraheret; ſibiq; oblatam fuiſſe occaſionem cum lucro pretium exercendi; aut ex eo quidpiam frugiferum ſuæ conforme voluntati, & facultati, comparandi; cum enim hæc in facto cõſiſtant, erit neceſsè plenè probare, id verùm eſſe, quod maritus aſſerit iuxta tradita per *Menoch. de arbitr. iud. caſ. 119. Michael. Salon de Iuſt. & iure tom. 2. q. 78. artic. 2. controuer. 9. Cardinalem Serafin deciſ. 186. 1714. 1240. & deciſ. 1275. & ſcripſi d. c. 10 nu. 6.*

7 Si verò ſequimur eorum ſententiam, qui dicunt, deciſionem c. ſalubriter ex eo pendere, quod maritus onera matrimonij ſuſtinuerit, quam comprobaui d. c. 10. n. 7. cum ſequentibus, res ex eo pendet, an maritus ducturus fuiſſet mulierem in vxorem ſi putauiſſet, res de quibus agimus, ſibi in dotem promiſſas à dotis promiſſore in tempore nõ eſſe tradendas; deciſio enim c. ſalubriter ex hoc pendet vt expoſui d. c. 10. n. 11. cum ſequentibus.

8 Dum autem hoc inquirimus; ſi pactum factum fuerit de ſoluendis vſuris, de quibus agimus, res explorata eſt ex parte mariti; quoniam culpa promiſſoris dotis ſubijt onera, quæ non erat ſubiturus; & ideo poterit petere damni illati compenſationem pro modo culpæ; hoc eſt, quatenus in mora fuerit, & maritus onera ſuſtinuerit iuxta ea, quæ ſcripſi d. c. 10. nu. 18. cum ſequentibus.

9 Quod ſi nullum pactum fuerit factum de hac re, Iudex, cuius munus eſt, quęſtiones voluntatis dirimere l. 7. C. de fideicom., perpenſis omnibus circunſtantijs, hanc rem, prout veriſimilius ſibi videbitur, determinabit iuxta ea quæ ſcripſi ſupra lib. 5. c. 39. nu. 6. hæc enim res adeò pendet ex circunſtantijs, vt non poſſit regula conſtitui, quid in dubio præſumendum ſit. Non licebit igitur marito, authoritate d. l. final. §. præterea C. de iur. dot. vſuras exigere ob moram ſibi in traditione dotis factam, niſi quatenus ſua interfuerit, eam in tempore non fuiſſe traditam.

10 Cum autem iuris noſtri Conditores, qui circa vſurarum præſtationem habenas vltra iuris diuini, & naturalis metam laxarunt, circa id, quod creditoris intererat, parcè nimis verſarentur, vt probaui ſupra lib. 6. c. 28. non erit, authoritate huius legis impediendus maritus, vltra modum in ea præſcriptum, id, quod ſua intereſt, à promiſſore dotis poſtulare iuxta ea, quæ ſcripſi loco allegato.

11 Cum autem quis contraxit matrimonium, aut ſponſalia iniuit cum ea, quam ſine diſpenſatione Summi Pontificis ducere non poterat, an poſſit petere vſuras ob dotem non ſolutam, tractant Menoch. conſ. 293. nu. 9. lib. 3. Marius Giurba deciſ. 72. nu. 4.

12 Duos caſus diſtinguere debemus; primò, cum ignoranter id factum fuit; ſecundò, cum ſcienter id fecerunt; Si ſcienter id factum fuerit puto, maritum huius textus deciſione vti non poſſe; quia nempè ex parte promiſſoris dotis nulla poteſt conſiderari obligatio tradendi dotem, cum non aliter conſiſtat dos, quam ſi matrimonium iuxta ſacrorum canonum decreta fuerit initum §. ſi aduerſus ea Inſt. de nupt. & ſcripſi lib. 3. controuerſ. 11. nu. 8. verſ. cum autem: vbi autem non adeſt obligatio tradendi id quod promiſſum fuit, ibi mora nõ poteſt conſiderari; & conſequentur tunc non poteſt agi ad id, quod intereſt iuxta com. theoricam, quam propoſui ſupra lib. 8. c. 48. n. 2.

13 Et licet admitteremus, diſpenſationem Summi Pontificis ſuperuenientem poſſe trahi retrò ad tempus, quo ſponſalia, vel matrimonium contracta fuere, non propterea concedendum erit, promiſſorem dotis in mora fuiſſe, quia ad eam introducendam opus eſt, vt debitor ſciuerit, vel ſcire debuerit, veniſſe diem ſolutionis. Hoc autem per huiuſmodi diſpenſationem vlla ratione fieri non poteſt, niſi ex die, quo debitor ſciuit, eam ritè fuiſſe obtentam.

14 Is verò, qui ſponſalia contraxit, ſponte ſubijt onera matrimonij, quę ſubire non tenebatur vt exponunt Doctores, de quibus Surdus de alim. titulo primo, quæſt. 32. & experimenta quotidiana confirmant: ergo ei non licet allegare, quod culpa promiſſoris dotis ſuſtinuerit onera, quæ alias non erat ſubiturus; ei itaq; non licet confugere ad deciſionem c. ſalubriter, cum ipſa ex eo pendeat, quod maritus culpa promiſſoris dotis impenderit in alenda vxore id, quod alias non erat impenſurus, vt probaui ſupra cap. 10: & ideo ſecus erit, ſi ſibi ſoluenda fuerit dos ex conuentione ante contractum matrimonium, cum huius conuentionis cõtemplatione promiſerit alere ſponſam.

15 Item ille, qui contraxit matrimonium ſcienter in gradu prohibito, non mediocriter delinquit, etiam ſi ſub ſpe diſpenſationis Pontificiæ id fecerit: ſeq; ipſe conijcit propria culpa in obligationem ſubeundi onera matrimonij, ſi forte eiuſmodi caſus inciderit, vt hoc onus ad ipſum ſpectauerit; & proinde non poteſt id, quod ſua culpa facit, promiſſori dotis adſcribere; ergo non poteſt aduerſus eum agere ad intereſſe, quod ſupponit culpam in debitore, non autem in creditore; hocq; habet locum etiam ſi contemplatione dotis ſibi promiſſæ, alere vxorem promiſerit; cum hæc facta fuerint aduerſus præcepta iuris, ſunt nulla L. non dubium C. de legibus,

16 Tractemus nunc de ijs, qui ignoranter in gradu prohibito contraxerunt ſponſalia, vel matrimonium; & quatenus pertinet ad eum, qui ſponſalia contraxit, exiſtimo, ei nõ poſſe ſuffragari deciſionem c. ſalubriter, quoniam ſponte ſubijt onera, quę ad eum non pertinebant, iuxta ea quæ ſcripſi d. c. 10: Etiã ſi enim pacto ſe obſtrinxerit ad huiuſmodi onera, non propterea dicere poteſt, ſe id feciſſe contemplatione dotis ſibi promiſſæ, niſi conuenerit, vt ipſa tradatur ante matrimonium contractum, & eius contemplatione hoc pactum fecerit, iuxta ea quæ ſcripſi lib. 2. controuerſ. c. 39. num. 6. & 7: cum enim ſciuerit, vel ſcire debuerit, dotis ſoluendæ diem venire, cum matrimonium factum fuit, niſi aliter inter partes conuenerit l. 3. ff. de iure dotium, ipſe ſponte eas ſubijt impenſas, quas non tenebatur ſubire:

17 Quod ſi matrimonium bona fide fuerit contractum in gradu prohibito, tunc diſtinguendum erit; aut agitur de gradu anullante matrimonium, aut de eo gradu, qui ipſum non dirimit; ſi autem ſermo ſit de matrimonio nullo, & maritus ſciuerit eius nullitatem, tunc non poterit ſub prætextu dotis non ſolutæ petere intereſſe, de quo agimus, quia dos nulla eſt §. ſi aduerſus Inſt. de nupt. & ſcripſi lib. 3. controuerſ. c. 1. verſ. cum autem; quod ſi nullitatem matrimonij ignorauerit, puto ei ſuffagrari deciſionem c. ſalubriter, quia tunc huic marito conuenit eius ratio, quemadmodum apparet ex ijs, quæ ſcripſi d. c. 10.

Vidua an poſſit vſuras exigere ab hæredibus, qui moroſi ſunt in reſtitutione dotis ex diſpoſitione c. ſalubriter, de vſur. Cap. XIII.

1 INſignis eſt quæſtio, an vidua, cui hæredes mariti differunt dotem reſtituere, poſſit vſuras ab ipſis exigere ex diſpoſitione *cap. ſalubriter de vſur.*, in qua multa ſcripſerunt veteres, ac noui interpretes, & etiam Theologi, vide DD. *in c. ſalubriter de vſur. Afflict. deciſ.* 284. *Nauar. de vſur. à nu.* 65 *Couar. lib.* 3. *var. cap.* 1. *nu.* 3. *Rol. à Valle lib.* 2. *conſ.* 55. *Lupus de vſur. comment.* 1. *§.* 4. *à nu.* 84. *Abb. Villagut. de vſur. quæſt.* 22. *concluſ.* 12. *Teſaur. deciſ.* 43. *Barboſ. in l.* 2. *in prima parte princip. à nu.* 40. *ff. ſolut. matr. D. Fachin. lib.* 3. *controuerſ. c.* 101. *& conſil.* 11. *lib.* 2. *Mich. Salon. de iuſt. & iur. quæſt.* 88. *art.* 2. *controuerſ.* 15. *& plurimos alios ab his relatos, nec non Surd de aliment. titul.* 1. *quæſt.* 45. *D. Gratianum part.* 2. *diſcept.* 244. *&* 246.

2 Ego negatiuam ſententiam ſequor, etiam ſi mulier non habeat vnde ſe alat, quod veriſſimum eſſe vt oſtendã, præſupponendum eſſe moneo, illicitum eſſe, ac iure Diuino, naturali, ac Canonico damnatum, aliquid accipere vltra id quod ſibi debetur *cap.* 1. 2. *&* 4. *de vſur. Clement. vnic. de vſur.* & ideo illis, qui dicunt, licere viduæ prężter dotem aliquid accipere, neceſſe eſt vt cauſam oſtendant, cur id ei liceat.

3 Id autem licet multi efficere tentauerint; nemo tamen, vt mihi videtur, id aſſecutus fuit, quod manifeſtum erit, ſi circumſtantias huius quęſtionis examinabimus, quę ſunt hæ. Mora debitoris, dos, quę reſtituitur, inopia mulieris.

Quod

Quod ad moram debitoris pertinet, non eſt, cur de ea loquar, quia ſi eſſet circumſtantia ſufficiens, vt creditor exigere poſſet plus quam ſibi debeatur, ſemper liceret vſuras exigere; vſurę enim ab illis exiguntur, qui ſunt in mora.

4 Quo ad id, quod debitum eſt, id eſt, quo ad dotē, quæ reſtituenda eſt; ſi hoc ſatis eſſet, vt mulier plus acciperet, quam tradiderit, hoc eſſet, vel ex priuilegio dotis, vel ex natura ipſius; non eſt ex priuilegio, quia vſura, quæ crimen eſt, concedi ob priuilegium non poteſt *cap. 4. de vſur.* Et licet aliqui inter dotis priuilegia hoc quoq; retulerint, eorum tamen opinio frequentiſſimis reijcitur ſuffragijs, & aperte falſa eſt, vt oſtendi ſupra cap. 10. num. 3. & 4.

5 Non poſſunt etiam vſuræ admitti ex natura dotis, quia natura ipſius non poſcit, vt plus maritus reddat, quā acceperit; nec valet quod aduerſarij dicunt, dotem eſſe proprium mulieris patrimonium alimentis, ac neceſſitatibus eius deſtinatū, & per conſequens ſecundum naturam eius eſſe, vt ex reditu ipſius mulier ſe tueatur; quoniam animaduertendum eſt, hanc reſponſionem manifeſtam continere fallaciam; nam licet dos deſtinetur pro alimentis mulieris, cum vidua erit, nō propterea mulier, ſi ei tradita fuiſſet, potuiſſet ex eius reditu ſe alere, & ſuis conſulere neceſſitatibus, quia dos, de qua agimus, in pecunia conſiſtit. At dices, poterat mulier ex dote aliquid fructiferum comparare, & ex huiſmodi reditu ſe alere. Reſpondeo, hoc non eſſe ex natura dotis, ſed per accidens, ſi ſcilicet tunc ſe ſe obtulerit occaſio tale aliquid emendi, eamq; mulier amplexa fuerit.

6 Cum ergo per accidens fit, vt mulier dote, de qua agimus, potuerit vti ſalua forte, euidenter falſum eſt, ſecundum naturam eius eſſe, vt poſſit indiſtinctè petere, ſibi id dari, quod in ſe alenda impedit vltra ſortem, quia hoc modo plus vtilitatis conſequeretur ex mora debitoris, quam ipſa dos recuperata præſtitiſſet; quod enim per accidens venit, non ſemper, & indiſtinctè venit.

7 Quod verò nō debeantur ex priuilegio dotis vſuræ, de quibus agimus, nec ex eius natura, non poſſunt inficiari illi, qui dicunt, mulierem habentem vnde ſe alat poſſe vti beneficio huius textus, quorum numerus valde magnus eſt; fere enim omnes, qui de hac re tractāt, & viduæ fauent, hanc ſequitur opinionem; Si enim ex priuilegio dotis veniret, vel ex natura ipſius, hæc diſtinctio inter pauperē, & diuitē viduam non eſſet admittenda, quia paupertas, vel diuitiæ mulieris, naturam dotis, vel priuilegia immutare in propoſita quæſtione, nullibi ſcriptum reperitur.

8 Reſtat, vt de paupertate mulieris dicamus, quā plurimi conſiderant, vt mulieri vſuræ debeantur; hanc autem ad effectum, de quo agimus non ſuffragari, euidens eſt; Si enim paupertas viduę ſatis eſt, vt ei debeantur vſuræ, quæ aliàs non deberētur, conſequens erit, vt idem in omnibus creditoribus, quibus non licet exigere vſuras, paupertas eorum efficere poſſit, quod affirmare abſurdiſſimum eſſet; quemadmodum enim paupertas efficit, vt maius incommodum ſuſtineat mulier, cui dos non reſtituitur, ita etiam efficit, vt maius damnum ſentiant reliqui creditores pauperes ex mora ſuorum debitorum; itaque non debet inter viduam, & alios pauperes creditores conſtitui diſcrimen, nec propterea mulier auxilio deſtituitur: poteſt enim iure ordinario vti; nam probando id, quod ſua intereſt, non fuiſſe dotem tempore debito reſtitutam, obtinebit, hæredes mariti condemnari ad damna, quæ culpa eorum perpeſſa fuit, ſibi reſarcienda eo modo, quo cæteri obtinent aduerſus debitores moroſos.

9 Nulla ergo circumſtantia eſt, per quam vſura crimen eſſe deſinat in caſu, de quo agimus, & ideò hoc ſatis eſſet ad reiciendos illos, qui putant, diſpoſitionem c. ſalubriter, de vſur. ad hunc caſum pertinere, neque enim vſuram, quæ crimen eſt; Summus Pontifex concedere poteſt, vt clarè legitur in c. 4. de vſur.: Hocque non poſſunt inficiari illi, qui negant, mulierem diuitem contineri in diſpoſitione illius textus, quorum numerus maximus eſt; his enim neceſſe eſt, vt fateantur, rationem illius textus non continere viduam, quia non eſſet diſtinguendum, an ſit diues, an pauper; quia hęc circunſtantia vim eius non mutat, & ideò apud Doctores in comperto eſt, marito, qui diues eſt, illius textus concedi beneficium.

10 Vt tamen omnis dubitandi cauſa tollatur oſtēdam, diſpoſitionem huius textus huc trahi nullo modo poſſe, quia ratio, ex qua deducitur, viduæ applicari non poteſt; quod, vt intelligas, meminiſſe oportet, maritum ratione onerum matrimonij, propter quę deciſio huius textus facta fuit, poſſe petere compenſationem à promiſſore dotis duplici ex cauſa. Primò, quia culpa eius ſubijt onera matrimonij, quæ aliàs non erat ſubiturus; Secundò, quia ipſe cū minori damno onera huiuſmodi ſuſtinuiſſet, ſi dotem habuiſſet, vt expoſui ſuprà c. 10. à num. 11.

11 Quando maritus culpa promiſſoris dotis ſubijt onera, quæ alias non erat ſubiturus, tunc iure merito à promiſſore dotis petit, ſibi damnū reſarciri; hoc eſt iure petit, eum condemnari ad reſarciendam ſibi impenſam, quam hac de cauſa fecit; quia, qui damnum dedit, damnum reſarciat, & hæc eſt vera ratio illius textus, vt eo loci expoſui.

12 Quando verò maritus petit compenſationem, quia facilius, & cum minori damno tuliſſet onera matrimonij, dote ſibi tradita, tunc id tantum conſequitur, quod probabit, ſe plus expendiſſe in alenda vxore, quam feciſſet, ſi dos tradita fuiſſet, quia tunc petit id, quod ſua intereſt, quod in facto non in iure conſiſtit l. quatenus, de regul. iur.

13 Cum itaq; mulier quę poſt mortē mariti expendit, vt ſe aleret, & ſecundum dignitatem ſuam viueret, non poſſit dicere, ſe culpa hæredum onus ſubijſſe, quod aliàs non ſubijſſet, id non poteſt indiſtinctè petere, quod in ſe tuenda expendit; ſed debet petere id, quod plus erogauit, quā feciſſet, ſi dotem reſtituiſſent; ergo non poteſt regula cōſtitui, quid mulieri debeatur hac de cauſa, quia hoc dependet ex circumſtantijs, & in facto, non in iure conſiſtit; ergo deciſio c. ſalubriter huc trahi non poteſt; in ea enim regula fauore mariti conſtituitur, quid ei debeatur, ſi promiſſor dotis dotem ſoluere diſtulerit.

14 Et ex his tolluntur omnia, quæ pro contraria parte adducuntur; nam quod dicunt, mulierem potuiſſe ex reditu ſuæ dotis ſe alere, corruit ex

eo,

eo, quòd dos, de qua agimus, conſiſtit in pecunia, & proindè ſuaptè natura non eſt apta alere viduam ſine diminutione, quia pecunia fructum non reddit: nec dicas, mulierem potuiſse emere aliquid fructiferum ex dote, ex cuius reditu poterat ſe alere, quia, cum hoc in facto conſiſtat, neceſſe eſt illud probare; ea enim quæ in facto conſiſtunt, non præſumuntur, vt omnes norunt.

15 Præterquam quod non omnes mulieres ex dote volunt fundum, vel aliquid fructum ferens emere; ſed multæ ſunt, quę pecuniã cõſeruant, vt facilius nubant; & ideò non ſufficit conſtare, occaſionem adfuiſse emẽdi rem fructiferam ex dote, ſed oportet etiam probare, mulierem eius mentis fuiſse, vt nollet pecuniam dotalem conſeruare.

16 Oportet etiam oſtendere, huiuſmodi occaſionem veniſſe, quæ idonea fuerit, & quæ placitura eſſet mulieri; variæ enim ſunt earum cupiditates, aliæ agros exoptant, aliæ vineas, aliæ redditus annuos quærunt, non nullæ domos; vt non immerito nobis liceat affirmare, non eſse ſatis, quod res venales extiterint, ſed opus eſse probare, quod venerit occaſio, quã mulier non omiſiſset, ſi dos fuiſset ſibi reſtituta.

17 His accedit, res venales interdũ pluris, interdũ minoris valere, quã ſit dotis quantitas, ſæpe accidit, multos adeſse eiuſdem rei cupidos; non raro accidit, venditorem ære alieno grauatum eſse, vt non careat periculo, ab eo emere, & ideo non poteſt certè affirmari, mulierem ex dote ſua ſibi rem fructiferam, ex qua ſe alere poterat, fuiſse comparaturam, ſi reſtituta fuiſset; ergo huius rei ratio haberi non poteſt, niſi quatenus probatum fuerit; & per conſequens non poteſt conſtitui regula peculiaris fauore mulieris, ſed de ea dicere debemꝰ id, quod de alijs creditoribus dicimus, ei licere id, quod ſua interfuit, dotem non fuiſse ſolutam, à moroſo debitore poſtulare.

18 Ad id, quod prꝑterea dicunt, mulieri non deeſſe onera, quæ in marito conſiderantur. Reſponſio clariſſima iam allata fuit, mulierem non poſse ratione horum onerum aliquid petere, niſi quatenus pateat, ipſam minus impenſuram fuiſse, ſi dotem habuiſset, quod cum dependeat ex eo, an mulieri interim oblata fuerit occaſio idonea comparandi aliquid fructiferum indiget oblatione; ſi dotem habuiſset ex quo manifeſte corruit id, quod legitur apud Theſaur. *deciſ.* 43. *num.* 45. mala enim conſequentia eſt, mulier non habet vnde ſe alat, ergo ſi dos reſtituta ei fuiſset, ex reditu eius ſe alere potuiſset.

19 Et hęc ſatis ſint pro noſtra ſententia, quã nõ dubito, iuris, ac æquitatis rationi euidentiſſime cõuenire; quia verò plurimi contrarium ſentiunt, cum mulier non habet vnde ſe alat, ideo bene erit explicare, quemadmodum huiuſmodi opinio, ſit intelligenda.

20 Cùm autem huius ſententiæ auctores non aliunde ſuam ſententiam deducant, quàm ex *c. ſalubriter de vſur.* merito iuxta terminos huius textus erit intelligenda; nec licebit illius textus terminos egredi. Cum ergo deciſio eius, onerum, quę maritus ſubijt rationem habeat, ita vt plus ei non tribuatur, quam veriſimile ſit, eum in alenda vxore expendiſse, vt poſt alios expoſui ſupra cap. 10. num. 18. non erit viduæ aliquid tribuendum ratione moræ hæredum, niſi quatenus, ſe expẽdiſse probabit in ſe alenda; aut aliunde occaſione moræ damnum ſibi contigiſse probauerit.

21 Agitur etiam *in d. c. ſalubriter* de oneribus matrimonij, quæ maritus effugere non poterat; ergo non erit habenda ratio expenſarum factarum à muliere, niſi quatenus eas non potuiſset effugere ſalua ſua dignitate, ſi enim honeſte eas euitare potuiſset, tunc excederemus terminos, in quibus textus ille loquitur, quod non licet; traditum eſt enim, extenſionem non admitti etiam in caſibus fauorabilibus, cum in caſu, ad quem fit extenſio, non viget tanta, & ita fortis ratio, ſicut viget in caſu legis, quæ extenditur, vt poſt alios admonui lib. 3. cap. 22. nu. 11. & lib. 10. c. 25. nu. 20.

22 Itaque ſi mulier honeſte apud coniunctam perſonam viuere potuiſset cum minori impenſa, non erit conſideranda impenſa, quam fecit amplius, quia domum propriam habere voluit. Idem eſt de famulis, & alijs impenſis, quarum ratio habenda non erit, niſi quatenus ſine dedecore non poterant prætermitti.

De eadem materia; An viduæ debeantur vſuræ donationis propter nuptias, vel augmenti dotalis; An Statutum, vel teſtator poſſit efficere, vt aliquid mulieri detur ab hæredibus moroſis in reſtitutione dotis eo caſu, quo de iure communi non licet mulieri aliquid præter ſortem petere; Et quid ſi mulier ſecundò nupſerit. Cap. XIV.

1 SVper ſunt nõnullæ dubitationes circa quæſtionem, de qua egimus in capite antecedenti. Prima eſt, An recepta ſententia, quæ viduæ pauperi concedit vſuras dotis, habeat locum in donatione propter nuptias, & augumento dotis. Secunda, An ſtaturũ inducere poſſit, vt viduę aliquid detur ab hæredibus mariti moroſis in reſtitutione dotis eo caſu, quo de iurę communi non tenẽtur. Tertia, quid in teſtatore, An id iubere poſſit. Quarta, An viduæ, quæ ſecundò nupſit, liceat vti diſpoſitione *c. ſalubriter* eo caſu, quo non liceret ſi non nupſiſſet.

2 Quò ad primam quęſtionem vide Afflictum *deciſ.* 297. & ibi Vrſill. Graniſm. *deciſ.* 103. *num.* 98. & 101. *Theſau. deciſ.* 44. *D. Fachin. lib.* 3. *controuer. cap.* 8. & *lib.* 2. *conſ.* 13. Ergo, vt clarè omnia explicentur, diſtinctè agamus. Primò de donatione propter nuptias. Secundo de augumento dotis.

3 Quò ad donationem propter nuptias, negatiua ſententia euidentiſſimè probatur; nam in hac materia Doctores fauentes viduæ omnia ſua fundamenta deducunt *ex c. ſalubriter de vſur.* cuius deciſio donationi, de qua agimus, nullo modo poteſt applicari; nam dos reſpectu mariti eſt titulus onerofus, donatio verò eſt titulus lucratiuus reſpectu vxoris; dos deſtinatur ad onera matrimonij ſuſtinẽda, donatio vero nõ deſtinatur ad alendam vxorem, quia hoc munus eſt dotis; item maritus rectiſſimè dicit, ſe onera matrimonij ſubijſſe propter dotem, mulier autem non rectè dicet, ſe impenſas, quas in ſe alenda fecit, propter donationem feciſſe, ergo de dote ad donationem u ñ

er

erit illicitum argumentum ducere.

4 Quò ad augumentum dotis conſidero tres caſus. Primus cum maritus, vel alius eius contemplatione dotem auxit. Secundus cum pater mulieris, vel alius eius intuitu id fecit. Tertius cum mulier dotem auxit, vel alius eius mandato.

Cum maritus auxit dotem, vel alius propter eum, euidens eſſe puto, mulierem non poſſe vti diſpoſitione *c. ſalubriter*, quia omnia, quę in donatione propter nuptias militant, huic augumento facillimè, & aptiſſimè applicentur.

5 Quò ad augumentum factum à patre vxoris, vel ab alio mulieris gratia, res ex eo dependere videtur, an ſimilitudo, quam Doctores conſtituunt inter maritum, & vxorem, in propoſita dubitatione habeat locum, quod nõ credo; namque dicunt, ſicut maritus deſtinauit dotem ad onera ſuſtinenda, ita mulier dotem deſtinauit ad ſe, & familiam ſuam alendam; ergo ſicuti maritus, qui ex dote nõ potuit alere vxorem propter moram debitoris, petit a moroſo debitore compenſationem, ita vidua, quæ ex dote ſe, & familiam alere nõ potuit propter moram hæredum mariti, compenſationẽ ab ipſis poſtulare poterit. Cum enim mulieri, dum nubit, dos conſtituatur, ſequitur, eam alimentis ſuis dotem ſibi tunc conſtitutam deſtinare, & per conſequens ſimilitudinem prędictam non poſſumus applicare augumento, quod poſtea fit.

6 At dices, quid ſi mulier huiuſmodi augumentũ alimentis ſuis deſtinauiſſet? Reſpondeo, in propoſito non ſufficere, vt deſtinatio fiat conſtante matrimonio quemadmodũ accidit in marito, qui reſpectu augumenti dotis nõ vtitur beneficio *d. c. ſalubriter*, vt expoſui ſuprà c. 31. nu. 12.

7 His accidit, huiuſmodi augmentum eſſe titulum lucratiuum reſpectu mulieris, cum dos reſpectu mariti ſit titulus oneroſus; & per conſequens facilius eſt marito, quam vxori ſubueniri, quia tractat de damno euitando; & re vera magna eſt differentia inter caſum mariti in propoſito, & cauſam viduæ; quia maritus dicere quidẽ poteſt, non ſubiiſſem onera, quę ſubii, niſi credidiſſem, dotem ſolutam iri, mulier autem idem dicere nõ poteſt reſpectu eius, quod expendit in ſe tuenda, nec aliquid ſimile.

8 Quò ad augumentum ab vxore factum, vel eius mandato dico, mulierem hoc caſu, cum habeat aliquid præter dotem, non deſtinauiſſe eam ſuis alimentis eo modo, quo eã deſtinauit mulier nihil habens præter dotem; & ideò etiam ſi deindè bona extradotalia amiſerit, non poterit vti beneficio huius textus, quandoquidem, ſicut in marito attenditur deſtinatio dotis facta ad onera ſuſtinenda, cum inducitur ad ducendam vxorem, ita debet attendi deſtinatio, quæ fit à muliere cum nubit, vide ſuprà hoc eodem cap. num. 3. & ſuprà cap. 29. à num. 10.

9 Secunda erat dubitatio, An ſtatutum ſtatuere poſſit, vt vidua ratione moræ poſſit aliquid petere, quòd aliàs de iure communi non liceret, de qua re contendunt Doctores. vide Couar. *lib. 3. cap. 1. num. 3. verſ. 7. Barboſ. in l. 2. in prima parte princip. num. 43. Surd. de aliment. tit. 1. quæſt. 45. à num. 25. Abb. Villagut. de vſur. quæſt. 22. concluſ. 15. Salon. de iuſt. & iur. quæſt. 88. art. 2 controuerſ. 15. D. Gratian. p. 3. Diſcept. Forenſ. cap. 466. à nu. 12.*

10 Ego ſic me breuiter expedio. Duplici ratione poteſt ſtatutum in hac re verſari, vel vſuras concedendo, vel mulctam indicendo hæredibus viri ob moram; ſi eius mentis ſint auctores ſtatuti, vt vſuras hoc in caſu velint concedere; tunc eorum lex velut iniqua reiici debet *cap. 4. de vſur.* Si verò mulctam hæredibus viri indicunt, rectiſſimè eos agere puto, cum propter mulieris viduæ conditionem, quæ auxilio eget, tum etiam ne matrimonium eius, ſi forte nubere vellet, ob moram hæredum retardetur, dummodò tamen modum nõ excedant; ideòq; huiuſmodi pœnã poterit vidua ſalua conſcientia exigere, etiam ſi ſua non interfuerit, dotem non fuiſſe traditam; communis enim, & recepta eſt ſentẽtia, pœnas legales poſſe nos ſine peccato exigere vltra id, quod intereſt vide Rot. diuerſ. *deciſ. 473. par. 1. in nouiſſ.*

11 Tertia ſuccedit dubitatio, An teſtator mandare poſſit hæredibus, vt quouſque dotem reſtituere diſtulerint, aliquid vxori ſuę ſoluant, in qua alii aiunt, alii negant vide Anchar. *conſ. 93. quod incipit, verba teſtatoris Socin. ſen. conſ. 56. lib. 3. Rol. lib. 2. conſ. 55. à num. 21.* & alios, de quibus *Surd. de alim. titul. 1. quæſt. 45. à num. 21. Raud. conſ. 39. num. 18. lib. 1. & latius de analogis cap. 12. nu. 228. Menoch. conſ. 441. Ioann. Bolognet. in l. nemo poteſt, num. 67 ff de leg. 1. D. Fachin. lib. 6. cap. 72.*

12 Hæc quæſtio, vt mihi videtur, non ex iure, ſed ex facto dependet, id eſt ex voluntate teſtatoris; cum enim ei liceat, vxori ad libitum legare, certũ eſt, poſſe eũ vltra dotẽ aliquid ei annuum relinquere; cum ergo teſtator damnat hæredes, aliquid annuum dare vxori, inſpicere debemus, vſuras ne inducere voluerit, an ex re ſua legatum facere. Si pro vſuris id ſolui voluit, nihil agit; neque enim eius eſt, circa hanc rem præter legis præſcriptum diſponere, vt optimè probat tex. *in l. 3. §. vlt. de ann. leg.*

13 Cum autem ex ſuo patrimonio vxori aliquid relinquit propter moram hæredum, legatum ualet, quia licuit ei moram hæredum punire, eoſque ad ſoluendam dotem excitare; cumque mulieri nihil dari uoluerit præter dotem, euidens eſt, eum dubitauiſſe, ne moram facerent in reſtitutione dotis; prudenter ergo eis calcaria addere uoluit, quo uxoris ſuæ incolumitati conſuleret.

Itaque iudex, cuius munus eſt quæſtiones voluntatis exponere, *l. 7. C. de fideicommiſſ.* perpendat uerba teſtatoris, & in dubio legatum reliquiſſe iudicet *ex regul. l. quoties ff. de reb. dub.* & quia non eſt ueriſimile, eum, qui de morte cogitat, ſuam, & uxoris animam uoluiſſe uſurarum crimine illaqueare, *l. meritò, ff. pro ſoc.*

14 Quartò dubitatur, quid ſi uidua ad ſecundas nuptias tranſeat, ſi ſecundo marito dotem promiſerit, an poſſit uſuras dotis non ſolutæ petere eo caſu, quo alias non liceret, de qua re etiam apud noſtros dubitatur, vt facile eſt intelligere ex Hieron. Grat. *conſ. 59. num. 3. lib. 1.* ex Plot. *de in litem iurat. §. 11. nu. 26.* ex P. Barboſ. *in l. 2. in 1. part. princ. num. 24. verſ. infertur etiam, ff. ſol. matr.* ex D. Fachin. *lib. 2. conſ. 94. verſ. uerum in hoc caſu,* ex Surd. *de alim. tit. 1. q. 45. à nu. 49.* ex D. Gratian. *Diſcept. lib. 1. c. 143. à nu. 21. & p. 2. c. 240. à nu. 220. Card. Seraphin. deciſ. 1423. num. 2. Rota deciſ. 168. p. 2. in recentioribus.*

Reſpon-

Reſpondeo, diſpoſitionem *c. ſalubriter de vſur.* dependere ex impenſis, quas vidua in ſe tuenda fecit; loquor nunc ex intentione eorum, qui eius deciſionem viduæ adaptant, & ideò, cum ipſam ſecundus vir aluerit, nõ eſt cur velit vti huius textus beneficio.

Poterit tamen maritus aduerſus eam vti diſpoſitione huius textus, & obtinere, vt mulier condemnetur ad ſibi reficiendum id, quod in ea alenda impendit, quia moroſa fuit in ſolutione dotis, quo facto poterit mulier agere aduerſus hæredes mariti, & obtinere, eos condemnari ad reficiendum ſibi damnum, quod propter eorum moram ſenſit; illud nempè, quod marito coacta fuit dare propter eorum moram in reſtitutione dotis.

De intereſſe pretij non ſoluti venditori ad l. curabit C. de act. empti, & venditi. Cap. XV.

1 CVm venditor rem tradidit emptori, vſuras, quas noſtri compenſatiuas appellant, ab emptore qui moroſus eſt in ſolutione pretij, ſoluendas eſſe, diſertis verbis habetur *in l. Iulianus 14. §. ex vendito ff de act. empt.* dum ait, *Ex vendito actio venditori competit ad ea conſequenda, quæ ei ab emptore præſtari oportet: Veniunt autem in hoc iudicio infraſcripta, in primis pretium quanti res venit, item vſuræ pretij poſt diem traditionis: nam, cum re emptor fruatur, æquiſſimum eſt, eum vſuras pretij pendere.*

Id ipſum habetur *in l. curabit C. de act. empt.* cuius verba hæc ſunt, *Curabit Pretor Prouinciæ compellere emptorem, qui nactus poſſeſſionem fructus percipit, partem pretij, quam penes ſe habet, cum vſuris reſtituere, quas & perceptorum fructuum ratio, & minoris ætatis fauor (licet nulla mora interceſſerit) generauit,* concordat tex. *in l. 2. C. de vſuris.*

2 Cur emptori in hac ſpecie iuris noſtri auctores iubeãt vẽdit. ſoluere vſuras, nõ eſt difficile explicare; id enim diſertis verbis exponit I. C. dum ait, *Nam, cum re emptor fruatur, æquiſſimum eſt eum vſuras pretij pendere.*

Magna eſt, autẽ difficultas intelligere, quemadmodum hæc ratio ſatis ſit apud nos, quibus non eſt permiſſum alia ex cauſa vſuras exigere, quam in compenſationem damni, quod culpa debitoris attulit, aut lucri quod nobis eius mora eripuerit *c. 4. de vſur.* & docent cõmuniter DD. vt conſtat ex Couar. *lib. 3. var. c. 4. n. 1.* & alijs paſſim, mala enim conſequentia eſt, non patitur æquitas, ne quis re, & pretio fruatur, ergo venditor in ea cauſa eſt, vt poſſit ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis petere vſuras pretij non ſoluti; cum enim id, quod intereſt, in facto cõſiſtat *l. quatenus ff. de reg. iur.* non ſemper accidit, vt ob moram emptoris venditor damnum ſentiat, lucrum ve omiſerit; quid ſi enim pecunias erat penes ſe retenturus? quid ſi eas profligare volebat? quid ſi negotiatio, in qua exercere eas volebat, damnoſa futura erat? quid ſi denique nõ adfuerit occaſio eas exercendi?

3 An ratione perfidiæ emptoris, qui decepiſſe videtur venditorem, vſuræ huiuſmodi exigentur? quod ſcribit Bal. *in l. 2. C. de vſur. nu. 3.* non vtique, quia alias aduerſus debitores moroſos eiuſdem perfidiæ participes idem obſeruãdum eſſet, quod tamen, nec vſus forenſis, nec interpretes admittunt, & quidem rectiſſimè, cum non liceat nobis ex perfidia debitoris lucrum captare; lucrũ verò id eſt, quod nõ petitur ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis.

4 An ex regulis iuſtitiæ commutatiuæ id deducemus? cum enim venditor ex parte ſua impleuerit, huiuſmodi iuſtitiæ regulæ poſtulant, vt viciſſim emptor id adimpleat, quod promiſit, quod placet Couar. *d. c. 4. verſ. & ideò, Lupo de vſur. comment. 1. §. 7. nu. 136.* nec hoc quidem; cum enim iuſtitia commutatiua non patiatur, plus peti à venditore, quam valeat res ab ipſo vendita *vt lib. 5. ethicor. exponit Ariſtotel. cap. 1.* & omnes admittunt, mora debitoris per ſe non poterit eſſe ſufficiens, vt plus quam cõuenerit ei tribuatur, cum ob moram non creſcat valor rei traditæ; & licet eiuſdem iuſtitiæ regulæ cogant eum, qui promiſſa non impleuit, reſarcire id, quod hac de cauſa alteri parti deeſt, non propterea ſequitur, eas indiſtinctè iubere vt vſuræ, de quibus agimus, exſoluantur venditori, cum indiſtinctè non ſit verum, moram venditoris aliquid venditori detrahere.

Ex quibus nonnullæ aliæ rationes, quæ à recẽtioribus afferuntur, etiam refelluntur, & ideò earum examine prætermiſſo, quid mihi in mentem venerit proponam.

5 Vt vſuras, de quibus agimus, venditor exigere valeat, inde proficiſci reor, quòd culpa emptoris venditor careat re, quam penes ſe habiturus fuerat, cum enim huiuſmodi culpa efficiat, vt ipſe fructibus rei careat, æquitas poſtulat, vt tantundẽ ipſi reſtituatur.

6 Rem clarius explanabo, is qui ita vendit rem ſuam, vt nolit dilationem ad ſoluendum pretium concedere, non erat vtique venditurus, ſi crediſſet, emptorem numeraturum non fuiſſe integrum pretium; cum ergo emptor pretium conuentum integrè non ſoluit, venditor iure ait, ſe culpa eius carere re ſua; & ideò iure petit, vt ſibi compenſetur damnum, quod culpa eius ſenſit; quod cum conſiſtat in amiſſione emolumentorũ ipſius rei, iure dicimus, emptorem teneri in compenſationem huiuſmodi emolumentorum vſuras ſoluere, quæ propterea vſuræ compenſatiuæ à DD. ſolent nominari, licet verè, & propriè loquendo vſurarum nomen hæc compenſatio non mereatur.

7 At dices, hicq; eſt cardo difficultatis, ſi pecuniã emptor tradidiſſet, eam venditor otioſam retinuiſſet, vel profligauiſſet; nullum ergo damnum mora debitoris ei attulit.

Reſpondeo, duplici iure agere poſſe venditorẽ contra emptorem. Primò, quia culpa eius caret re ſua, quam alias penes ſe retinuiſſet. Secundò, quia culpa eius caruit pretio rei ſuæ; ſi primo modo egerit, non quæritur quidquam de pecunia, ſed ſolum de re agitur; an ſcilicet ea venditor caruerit culpa emptoris, & an hoc ſuaptè natura damnoſum ſit; cumque neutrum in dubium poſſit reuocari, quia agimus de re frugifera, nulla dubitatio eſſe debet, quin eius poſtulatio compenſationem deſideret.

8 Cum verò conqueritur venditor, quòd pretio rei ſuæ culpa emptoris caruerit, aliter res ſe ſe habet; cum enim hoc ſuaptè natura non afferat damnum, is qui hac de cauſa compenſationem petit,

debet

Digitized by Google

debet plenè probare, ſibi damnoſam fuiſſe morã debitoris. Cum verò dicimus, vſuras indiſtinctè venditori deberi, agimus de eo, qui conqueritur, ſe culpa emptoris re ſua caruiſſe.

9 Ex quo intelligimus, an venditori, de quo agimus, liceat petere pluſquam ex re percepiſſet, qua de re tractant Cagnol. *in d. l. curabit, nu.* 24. *Gabr. tit. de empt. & vendit. concluſ.* 4. *nu.* 2. *&* 3. *Couar. lib.* 3. *var. cap.* 4. *nu.* 2. *verſ. ex quibus infertur. Lupus de vſuris comment.* 1. *§.* 7. *n.* 138. *D. Polid. Ripa obſeruat.* 168. *poſt. Ioſeph. Lud. concluſ.* 76. *Io. Petr. Bimi. conſ.* 137. *nu.* 34. *in* 2. ſi enim venditor conqueratur, quod culpa emptoris re ſua caruerit, tunc euidens eſt, nihil amplius eum petere poſſe, quam ob culpam huiuſmodi fuerit damnificatus, & ideò eius poſtulatio ad emolumenta ipſius rei reſtrigi debet; ſi verò cõqueratur, culpa emptoris pecunia ſibi promiſſa caruiſſe, licebit ei poſtulare, vt damnum, quod emptor ſua culpa attulit, reſarciatur; hoc autem cum emolumenta rei longè excedere poſſit, non eſt dubitandum, eum tunc petere poſſe plus, quam ex re percepiſſet, aduerſariumque eius eſſe cõdemnandum, ſi in mora fuerit, & de damno emergenti conſtiterit, vel de lucro ceſſante.

10 Huius aſſertionis veritas ex eo manifeſta eſt, quòd ius naturale iubet, eum qui damnum dedit, damnum reſarcire; qua de cauſa indiſtinctè vnicuique conceditur agere ad id, quod ſua intereſt, ſibi in tempore non fuiſſe ſatisfactum; cum enim nulla cauſa extet, cur contarium in venditore conſtituatur, non poſſumus venditori hoc beneficiũ, ſine iniuria adimere.

11 Nec his aduerſantur *l. fin. ff. de peric. & commod. rei vendit.* dum inquit. *Venditori, ſi in pretio ſoluendo moram fecerit, vſuras duntaxat præſtabit, non omne omninò, quod venditor mora non facta conſequi potuit, veluti ſi negotiator fuerit, & pretio ſoluto ex mercibus plus, quàm ex vſuris quærere potuit.*

Quoniam animaduertẽdum eſt, duplicem quæſtionem circa hunc tex. excitari poſſe. Prima, an debitor moroſus teneatur de lucro ceſſante. Secũda, ſi regulariter tenetur, an ſpeciale ius contra venditorem obſeruandum ſit; ſi de prima quæſtione agatur, ingens altercatio eſt apud DD. *in l. vnica, C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt profer.* an de iure Digeſtorum peti potuerit id, quod intereſt ratione lucri ceſſantis, quod negat ibi Gloſs. in verbo veteres, & alij ſequuntur, de quibus Cagnol. ibi num. 35. & 38. contrarium verò ibidem exiſtimauit Bart. col. 8. verſ. venio ad vltimum, cui non deſunt ſectatores; quidquid ſit, regula cõſtituitur à DD, debitorem moroſum hoc tempore teneri ad lucrum ceſſans debitis concurrentibus circumſtantijs *per d. l. vnicam ad finem, conſule Couar. lib.* 3. *var. cap.* 4. *num.* 2. *Crauet. conſ.* 912. *nu.* 11. *Surd. de aliment. tit.* 1. *q.* 45. *num.* 28. *Menoch. conſ.* 7. *à nu.* 16. *lib.* 1. *Gail. lib.* 2. *obſeruat.* 5. *n.* 14. *&* 15. *vbi Io. del Caſtill. part.* 1. *controuerſ. cap.* 1. *nu.* 14. *&* 15.

12 Quod verò ad aliam quæſtionem pertinet, illud exploratum eſt, non eſſe affirmandum, ſpeciale ius contra venditorem fuiſſe hac in re introductum, niſi cauſa afferatur, cur durius cum ipſo, quam cum alijs fuerit actum, cum non vno loco, iuris noſtri conditores affirmauerint, eius cauſam ſummam continere æquitatem *l.* 2. *C. de vſur. l. Iulianus §. ex vendito, ff. de act. empt.* & ideò ſi admittimus, in d. l. fin. ſpecialiter de venditore caueri, ne intereſſe lucri ceſſantis petere poſſit, non poſſumus aliam afferre huius rei cauſam, quam cã, quæ proponitur à Io. del Caſtillo *d. cap.* 1. *nu.* 39. quia ſcilicet venditori licebat certam vſurarum quantitatem exigere, etiam ſi fructus quos percepturus erat, tanti non valuiſſent; cum enim emptor in eo grauatus eſſet, vt interdum plus vſurarum nomine ſolueret, quam ex re venditor erat percepturus, æquum erat, vt viciſſim, quandoque minus ſolueret, quam intereſſet venditoris, pretium non fuiſſe in tempore numeratum; quo admiſſo, tex. huiuſmodi nobis non nocet, cum enim hodie certa vſurarum quantitas ſublata ſit (non alias enim vſuræ quam ratione damni emergentis, vel lucri ceſſantis debentur) ſublatum vtique eſt fundamentum huiuſmodi tex. & proinde eius deciſio obtinere non poteſt; nam vbi ceſſat fundamẽtum, cui lex innititur, ipſa quoque corruit *l. adigere §. quamuis, ff. de iur. patron.*: ex huiuſmodi enim fundamento hanc legem pendere indubitatum eſt, cum non ſit iuſtum, auferre venditori ius petendi id, quod ſua intereſt ratione lucri ceſſantis in ijs caſibus, in quibus iure naturæ id conceditur, niſi damnum ei illatum aliqua ratione reſarciatur.

13 Caueat ergo diligenter venditor, & examinet, an ſibi expediat magis, conqueri, quod re, vel pretio caruerit culpa emptoris; quod ſi queratur, culpa emptoris re ſua caruiſſe, poterit petere quid quid induſtria ſua ex re percepturus erat, & ex fructibus eius; idque optimè docuerunt *Cagnol. in d. l. curabit nu.* 88. *Couar. d. num.* 2. *verſ. ſecundo eadem ratione, Handed. conſ.* 30. *nu.* 21. *lib.* 1. & alij ab his relati; & iure meritò, quia negligentia, aut imperitia emptoris, qui minus ex re percepit, venditori nocere non debet.

14 Cum verò venditor conqueritur, quòd culpa emptoris re ſua caruerit, facilè conſtat, quid ſit illud, quod ei culpa aduerſarij abeſt, frumentum nempe, oleum, vinum, & alia fructuum genera, quæ ex re percipiuntur, & ideò eius poſtulatio debet continere petitionem fructuum, quos ex re percepturus erat; & proindè certa pecuniæ quantitas non erit tunc petenda, quia aliud pro alio inuito debitore non poteſt peti *l.* 2. *§. mutuum ff. ſi cert. petat.* & hæc eſt ratio, cur emptor eoſdem met fructus venditori tradere debeat, quos percepit, & in pecunia ſupplere id, quod deeſt quãtitati fructuũ, quos ſe amplius percepturum fuiſſe vẽditor probauerit, ſi modò melioris conditionis fructus ſe fuiſſe percepturum, venditor non probauerit.

Quod ſi fructus non extiterint, eo iure res explicabitur, quo vtimur aduersùs debitores certarũ rerum, cum ipſæ amplius non extant.

15 Cum itaque probare tunc debeat vẽditor, quos fructus percepturus erat ex re vẽdita vt obtineat, ſequitur, eum hoc nomine nihil obtinere poſſe, cũ conſtat, eum ex re nihil percepturum fuiſſe, etiam ſi aliquos fructus ex ea re emptor percepetit; quia tunc damnum non fuit paſſus culpa emptoris; atque ita docuerunt multi, de quibus *Cagnol. in d. l. curabit. num.* 28. *Couar. lib.* 3. *var. cap.* 4. *num.* 3. *verſ. quibus ni fallor, Lupus de vſur. comm.* 1. *d. §.* 1. *nu.* 141. aliud tamen viſum eſt Baldo, & nonnullis alijs, de

R qu.bus

quibus *Ant. Gabr. de empt. & vendit. concluſ.4. ampliat. 6.* quorum ſententia tunc admitti poteſt, cum venditor probat ſe damnum ſenſiſſe, vel lucrum amiſiſſe ob moram emptoris in ſolutione pretij factam; tunc enim non quæritur, quid de re acciderit, ſed an ob moram emptoris venditor ſenſerit damnum; & econtra cum venditor conqueritur ſe damnum ſenſiſſe ob moram emptoris in ſolutione pretij, nihil probandum erit præter quam ipſum damnum; & per ſe non ſtetiſſe, quominus rem venditor haberet; neque enim tunc opus eſt probare, ſe rem emptori tradidiſſe, vide *Couar. d. cap. 4, nu. 7. verſ. ideo, Lup. nu. 161.*

26 Expoſuimus rationem, qua receptum fuit apud nos, qui vſuram crimen eſſe exiſtimamus, venditorem vti poſſe diſpoſitione *l. curabit, Cod. de act. empt.* cum emptor moroſus eſt in ſoluendo pretio; nunc eſt explicandum, quando ei locus ſit,

Primo autem exponere oportet, an, vt ſit ei locus, neceſſe ſit, venditorem, qui rem tradidit, ſibi reſeruare dominium quouſque pretiũ ei fuerit numeratum, qua de re tractant Abb. *conſil. 66, & 76. in 2. dub. lib. 1. Alex. conſil. 121. lib. 5. Socin. conſ. 88. & 176. lib. 2. Cæpoll. cautel. 125. Couar. qui alios refert lib. 3. var. cap. 4. n. 4. Lupus de vſur. commentar. 1. §. 7. nu. 143. D. Fachin. lib. 2. controuerſ. cap. 32.*

Ego illis aſſentior, qui negant, hoc neceſſarium eſſe, nam ex dictis patet nihil referre, an dominium translatum fuerit, vt liceat venditori conqueri de emptore, quod eius culpa re ſua, vel pretio ſibi promiſſo caruerit, cum ius ipſius in eo cõſiſtat, quod culpa emptoris fructibus rei caruerit, vel amiſerit lucrum, damnum ve per peſſus fuerit ob moram ſibi in ſolutione pretij factam.

27 Valde tamen vtile eſt venditori, reſeruare ſibi dominium, quoniam ſi paciſcatur, vt quoad pretium ſolutum fuerit certum aliquid ſoluatur, ex titulo locationis conuentio ſuſtinebitur *l. ſicut emptio 27. ff. de locat. & conduct. & l. ſequenti, l. ſerui emptor 16. ff. de peric. & commod. rei vend.* quod etiã admittit Cuiacius *lib. 16. obſeruat. 21.* & ideo tunc non erit tractandum de quantitate fructuum, quos venditor percepturus erat, nec quid ipſius interfuerit, pretium non fuiſſe ſolutum, quoniam in contractu locationis ſimiles quæſtiones nec ſolent nec debent excitari.

28 Et ideo nõ poſſum aſſentiri D. Polydoro Ripæ *obſer. 168. à num. 4.* dum exiſtimat, in hac ſpecie quantitatem penſionis moderandam eſſe iuxta fructuum quantitatem; quia aliud eſt, exigere penſionem vi conuentionis, aliud eam petere ex diſpoſitione *l. curabit*; cum enim quis ius ſuum ex huiuſmodi lege deducit, ad eius normam ſuam debet redigere poſtulationem; & proinde licet plus contineat pactum inter partes initum, quam ex d. l. venditor conſequi poſſit, tamen ſecundũ modum in ea præſcriptum, moderanda eſt res, quia pactum eatenus valet, quatenus huiuſmodi legi conforme eſt, conſule Lupum, & allegatos ab ipſo *d. §. 7. n. 146.* neque .n. ratio patitur, vt pactũ in executionem legis factum plus contineat, quã lex ipſa tribuat, de qua re infra latius.

29 Quãdo vero conuentionis iure ſe tuetur actor, tunc tenor ipſius eſt inſpiciendus, & ſecundum ipſum res eſt expediẽda, niſi aduerſarius obtinuerit eam moderari iuxta *l. 2. C. de reſcind. vendit.* & proinde in ſpecie noſtra nihil eſt, quod de quãtitate fructuum quæratur, cum ex locationis contractu venditor ſuam fundet intentionem, qui cũ non pendeat ex quantitate fructuum, quos percepturus venditor fuerat, non poteſt ſub hoc prætextu impugnari, & ex his etiam refellitur Dec. *conſ. 119. nu. 12.*

30 Cum autem venditor, qui dominium ſibi reſeruauit, rem locat emptori quouſque pretium fuerit ſolutum, quemadmodum contractus ſit concipiendus, videamus. An dicemus, rem pro certa mercede locandam eſſe, quouſque integre pretiũ fuerit ſolutum? non equidem, quia iniquiſſimus contractus eſſet, nam ſolueret mercedem pro ea parte rei, cuius pretium numerauit. An dicemus, rem locandam eſſe ita vt ſoluat certum quid annuum pro rata parte pretij non ſoluti? nec iſtud quidem; cum enim de locatione rei tractatur, & de conſtituenda penſione, non habetur ratio pecuniæ promiſſæ, & non ſolutæ, ſed rei locatæ.

31 Quid ergo agendum erit? conuentio, vt mihi videtur, ſic ineunda erit, vt emptor poſſit ſuo iure vti, & frui re vendita pro rata pretij ſoluti, reliquã autem partem iure conductionis retineat: in conſtituenda autẽ mercede videamus, an haberi poſſit ratio pretij non ſoluti, ita vt poſſit venditor conuenire, vt partis locatæ penſio ſoluatur ſecundum modum pretij, quo res diſtracta fuit, puta, vt pro parte valente centum aureis ſoluantur quinque, aut ſex, plus, minus ve ſingulis annis; hoc enim continet partis locatæ demonſtrationem, & certam penſionem, quod exemplo planum fiet.

32 Titius vẽdit prædiũ Scio bis mille aureis, & retento ſibi dominio rem tradit, ita vt re vtatur pro rata pretij ſoluti; cumque reliquam partem rei locare velit, quouſque pretium fuerit numeratum, retinere opus eſt, partes inter ſe diſtinguere, cũq; velint rem indiuiſam manere, neceſſe eſt, partes ſic conſtituere vt diuiſio non introducatur; hoc autem non poteſt fieri rem diuidendo per terminorum poſitionem, ſed id debet fieri per diſtinctionem iuris, quod quiſque eorum habet in re; hoc autem commodiſſime fit ea ratione, quam indicauimus, nam ex numeratione pretij apparet ius, quod vterque in re habet.

33 At dices, penſionem ſic conſtitutam iniuſtam eſſe, quia tanti res non ſolet locari; reſpondeo, hanc quæſtionem facti eſſe, quæ ad hanc diſputationem non pertinet, & ideo eam omitto; ſcias tamen, quod ſi venditor in iudicio huiuſmodi cõuentione vtatur, executiuoque proceſſu rem expediri inſtet ſecundum illud ius, quo vtimur, executio non erit retardãda ſub prætextu, quod modum excedat; hæc enim exceptio altiorem poſtulat diſcuſſionẽ, atque ita rectiſſime docuit D. Polyd. Ripa *d. obſeru. 168. a nu. 5*: cum vero de re conſtat, non debemus eſſe admodum ſolliciti de verbis contractus, quę à notarijs imperitè non raro conſcribuntur *l. in conuentionibus ff. de verb. ſign.* & ideo non poſſum aſſentiri Dec. *conſil. 119. nu. 12, verſ. ſecundo reſpondetur,* dum contrarium ſcribit.

34 Secundo exponere oportet, quid proſit conuẽtio partium taxantium id, quod venditori ſoluendum eſt, ſi mora facta fuerit in ſolutione pretij,

nulla

nulla autem contingere poteſt dubitatio, quin id, quod lex huiuſmodi iubet præſtari venditori, in ſtipulationem poſſit deduci; dubitatio etiam nulla adeſſe debet, illicitam eſſe conuentionem, cum plus venditori tribuit, quam lex ei concedat; ſupponimus enim, ex diſpoſitione ipſius, non iure conuentionis, ius vẽditoris pendere; & ideo DD. admittentes hoc pactum, dicunt, debere correſpondere fructibus vt conſtat ex DD. relatis à Rota Romana *p. 1. diuerſ. deciſ.* 340. *nu.* 2.

25 Dubitatio itaque in eo conſiſtit, an partium conuentio efficiat, vt venditor non teneatur probare id, quod alias eum probare oportet, vt in huiuſmodi iudicio obtineat, qua in re Dec. *cõſil.* 119. *nu.* 10. *verſ. negari non poteſt, & nu.* 11. *&* 12. negatiuam partem tuetur, affirmando inſuper executionem, quæ alias inſtrumentis publicis cõcedi ſolet, inſtrumento huiuſmodi conuentionis eſſe denegandam, niſi actor per legitimas probationes oſtenderit, tantundem ſibi deberi, quãtum in pacto continetur, idem ſcribit *conſil.* 183. *nu.* 3. aduerſus quem diſputat Pariſ. *conſil.* 60. *nu.* 29. *cum ſeqq. lib.* 1.

26 Decij opinionem ſequor; cum enim clari iuris ſit, eum, qui ſuam fundat intentionem in conceſſione conditionali, debere prius docere, conditionem extitiſſe, non poteſt in dubium reuocari, debere venditorem petentem certum quid beneficio huius legis, docere, ſe percepturum fuiſſe ex re id, quod petit, quia eius diſpoſitio reſtricta eſt ad id, quod ipſe ex re percepturus fuerat; id autem ex huiuſmodi conuentione probari non poteſt, cum enim incertum eſſet tempore, quo inita fuit, quid, quantumque percepturus fuiſſet venditor, id, quod in ea expreſſum eſt, non poteſt eſſe ſatis ad id, quod quærimus, probandum; incertum inquam erat, quia prædiorum reditus incertus valde eſt, & magnæ obnoxius varietati; & hæc eſt differentia, quæ eſt inter rem noſtram, & maritum conuentionem ineuntem ſuper interuſurijs iuxta cap. ſalubriter de vſur.; nam facile eſt intelligere, quid expenſurus ſit maritus ducta vxore amplius, quam facere ſoleat, cum modicam hæc res ſuſcipiat varietatem.

27 Opinio tamen Pariſij recipi poteſt, cum agitur de venditore prædiorum vrbanorum; nam plerumque accidit, modicam circa eorum penſionem varietatem accidere; idem obſeruandum erit in prædijs ruſticis, quæ venditor locaturus erat eo tempore, quo venditio contracta fuit, vel non multo poſt; cum enim haud difficile eſſet tunc cõſtituere, quanti locaturus fuiſſet, conuentionem partium, de qua agimus, veluti de re partibus cognita ſequi iudex debet; niſi ex aduerſo de eius iniquitate doctum fuerit; detrahas tamen onere.

28 Quod ſi inclementia cœli, aut alia ratione fructuum iactura facta fuerit, vel ex prædio vrbano ob aliquem aduerſum caſum non potuerit ſolita vtilitas percipi, conuentione huiuſmodi erit obſeruanda? Æquiſſimum eſſe exiſtimo, remiſſionẽ fieri oportere eo modo, quo conductori facta fuiſſet; cum enim ex quantitate penſionis, quam conductorem ſoluturum fuiſſe veriſimile erat, cõuentio pendeat, ratio poſtulat, vt eius fortunam ſequatur niſi docuerit venditor, ſe conductorem, qui abſque iure petendæ remiſſionis ob ſterilitatẽ eandem penſionem, vel non multo minorem ſoluturus erat, in promptu habuiſſe, quod facile exiſtimandum eſt, ſi ſolitum ſit in conductionibus, huic beneficio renunciari.

29 Non omitto autem, Didac. Couar. dict. c. 4. n. 6. exiſtimare, fieri poſſe pactum de ſoluenda certa quantitate, quæ fructus excedat, dummodo fiat in vim annui redditus redimibilis, in hunc modũ, vt emptor conſtituat ſe ſoluturum venditori certam annuam quantitatem, donec pretium apud ſe retinuerit titulo annui redditus conſtituti ſuper ra vendita; aduerſus quem inſurgit Lupus d. §. 7. nu. 146. & rectiſſime, quia cum venditor rei nolit, pretium ipſius apud emptorem manere, non poteſt in hac ſpecie introduci contractus cenſus, cum eius natura ſit, vt pretium ipſius penes venditorem maneat liberè, vt omnes norunt. Non ommitto interim, ex cõſtitutione Pij Quinti pretiũ cenſus debere in pecunia numerata cõſiſtere.

De eadem materia. Cap. XVI.

1 TErtio explicandum eſt, an diſpoſitio *l. curabit, C. de act. empti*, quam præ manibus habemus, habeat locum, cum ex parte ſua vẽditor, qui rem tradidit, non impleuit; veluti quia non dedit fideiuſſores euictionis, quos dare promiſerat, vel aliud omiſſum fuerit ex ijs, quæ emptori promiſit, Locum eſſe diſpoſitioni huius legis, poſt Bald. & Caſtr. in l. 2. C. de vſuris, & alios quoſdã ſcribit Couar. lib. 3. var. c. 4. nu. 6. verſic. duodecimo infertur, & hæc eſt cõmunis opinio teſte Cagnolo in hac lege nu. 31. & ſequitur Lupus de vſuris comment. 1. §. 7. nu. 142.

2 Contrariam ſententiam non obſcure inſinuat Bald. in l. 1. num. 5. C. de bon. matern. quem ſequitur Afflict. deciſ. 20. nu. 5. pro eadem ſententia allegantur à Lupo Socin. ſen. conſ. 88. nu. 17. & conſil. 103. n. 24. lib. 4. Corn. conſ. 59. col. vlt. lib. 3. Pariſ. in c. cum venerabilis de except.

3 Vt huius diſputationis veram deciſionem aſſequamur, aduertere oportet, in duplici ſpecie poſſe hanc quæſtionem diſputari. Primò, ſi venditor dominium tranſtulerit. Secundò, ſi illud ſibi reſeruauerit. Cumq; venditor transfert dominium in emptorem, verius eſſe exiſtimo, nihil venditorem ab emptore petere poſſe; cum enim fructus rei ad dominum ſpectent, nihil iuris venditor directe habet ſuper huiuſmodi fructibus; indirectè etiam habere non poteſt, quia nihil eſt, quod emptori imputari poſſit, cum culpa careat; neque enim pretium ſoluere tenebatur prius, quam ex parte debitoris promiſſo impleta fuiſſet, hoc .n.
4 in hac quæſtione ſupponitur; quod clarius hac ratiocinatione explicabo; quod quis teneatur alteri fructus rei ſuæ tradere oriri poteſt ex iure, quod ille habeat in re, vel ex conuentione, vel ex legis diſpoſitione. Is de quo agimus, nullum ius habet in eo, quia libere dominium in emptorem tranſtulit; nullam etiam ſupponimus, factam fuiſſe conuentionem vt fructus venditori tradantur; ergo nulla cauſa eſt, cur exiſtimemus, ad id emptorem teneri, cum nulla lex exiſtat, quæ id iubeat (leges enim de hac materia loquentes non tractant de hac ſpecie) aut cauſa idonea
5 adſit id iubendi, cum nihil ſit, quod emptori

imputari poſſit; quod enim exaduerſo dicitur, non eſſe æquum, vt quis re, & pecunia fruatur, in promptu reſponſio eſt, emptorem pecunia frui non poſſe, cum oporteat, eam in promptu habere, vt quandocumq; venditor ex parte ſua impleuerit, eam poſſit numerare, ne in iacturam incidat; vt interim nō omittam, hanc rationē non eſſe ſatis ad id, quod quærimus introducendum, vt luculenter oſtendi cap. antecedenti nu. 2. cū ſeq.

6 Sed quid ſi conuenerit inter partes, vt in ſpecie, de qua agimus, fructus huiuſmodi ſoluantur, valebit ne conuentio? negatiuè reſpondeo; cum enim apud nos non poſſit quis paciſci, aliquid ſibi dari vltra ſortem, niſi ob id, quod ſua intererit, ſortem non fuiſſe ſolutam cap. 4. de vſur. Clem. vnica de vſuris, huiuſmodi conuentio non poteſt ſubſiſtere, cum in caſu in quo non adeſt mora debitoris, eius quod intereſt nulla petitio ſit, & quia in hac ſpecie ſibi venditor imputare debet, non autem debitori, precium non fuiſſe numeratum.

7 Agamus nunc de ea ſpecie, in qua dominium non fuit translatum in emptorem; cumq; conuenerit inter partes, vt fructus ſint venditoris, aut aliquid pro eis venditori ſoluatur; res fauore ipſius manifeſta eſt, quia nihil eſt, quod huic conuentioni reſiſtat, cum res eius ſit; ſi verò nulla conuentio facta fuerit, quæſtio in eo conſiſtit, an tradendo rem, ius percipiendi fructus in emptorem tranſtulerit; hoc enim ſi admittimus, ea quæ aduerſus venditorem in ſuperiori ſpecie vrgent, in hoc caſu locum ſibi vindicant.

8 Non tranſtuliſſe autem venditorem huiuſmodi ius, ſuadere videtur regula l. cum de indebito de probat., neminem ſcilicet præſumi iactare ſuum, & id quod paſſim noſtri ſcribunt, errorem, ſtultitiamq; potius præſumi debere, quam donationem. Contra eum verò maximè vrget, quod nulla cauſa erat, cur res traderetur empturi, ſi noluiſſet, ad eum fructus pertinere, quia hoc nimis diſtat à moribus, quibus viuimus; quis enim vidit, aut audiuit, aliquem, rem, cuius fructus ad ſe pertinere voluit, tradere ei, ad quem non vult eam pertinere, niſi accepto pretio? & hæc coniectura potentior, mea quidem ſententia, videri debet iudici, cuius religioni quæſtiones voluntatis committuntur l. 7. C. de fideicommiſſ.

9 Quod ſi venditor exiſtimabat, ſe haud difficile poſſe adimplere id, quod promiſit, res explorata contra eum videtur; cum enim exiſtimaret, breui tempore ſuæ ſe poſſe ſatisfacere obligationi rem tradendo, non exiſtimabat, ſe de ſuo aliquid emptori largiri, & proinde tunc euidenter ceſſat regula dictæ l. cum de indebito.

10 Quartò tractare oportet, an ad fauorem venditoris, qui dilationem emptori conceſſit ad ſoluendum pretium, habeat locum lex noſtra.

Animaduertere autem oportet, hanc dilationē tempore contractus fieri poſſe, vel poſt cōtractum perfectum; rem venditorem, de quo agimus reſeruauiſſe ſibi dominium, vel illud in emptorem tranſtuliſſe; nec non, venditorem ſpecialiter conueniſſe, vt fructus huiuſmodi ſui eſſent, vel id diſpoſitioni legum remiſiſſe.

11 Cum agitur de venditore, qui dominium ſibi reſeruauit, & pactus fuit, vt fructus ſibi traderentur, vel aliquid eorum vice, conuentio obſeruanda erit, ſiue dilatio tempore initi contractus facta fuerit, ſiue poſt, atque ita cenſet Cagnol. hic n. 63. Lupus qui alios recenſet d. commentar. 1. §. 7. nu. 148: etenim cum res in dominio venditoris maneat, eius eſt, fructus percipere, & proinde cōuentio, vt vice eorum certum quid ſibi ſingulis annis exſoluatur, conductionis contractum continet, qui propterea obſeruandus erit, cum vndequaque iuſtus ſit; in cæteris enim terminos habiles ſupponimus; aliud tamen conſuluit Dec. conſ. 119. num. 10. aduerſus quem inſurgit Modernus Pariſienſis ibi ſequendo Socin. conſ. 176. lib. 2. qui contrarium in eodem caſu conſuluit.

12 Cum verò non fuit reſeruatum dominium, nec facta pactio circa huiuſmodi fructus, exiſtimo, eos non poſſe à venditore peti, quod etiam docet *Couar. lib. 3. cap. 4. nu. 5. verſ. ego ſane*; cum enim res emptoris facta fuerit, eique data ad ſoluēdum dilatio, iuris ratio non patitur, vt quo ad tempus, quo dilatio durat, fructus venditori tradere teneatur, nam ex re ſua eos percipit, & culpa caret æquitasque offenderetur, quia cum datur dilatio ad ſoluendum, carius res venditur, quam fieret, ſi tēpore contractus pretium fuiſſet numeratum, intra latitudinem tamen iuſti pretij.

13 Quid ſi reſeruatum fuerit dominium, nullaque facta de fructibus pactione res emptori tradatur, fructuſne pertinebunt ad venditorem: negatiuè reſpondeo, quoniam venditor tradendo rem vacuam emptori, nulla facta de fructibus mentione, eorum percipiendorum ius tribuiſſe videtur emptori; neque enim ei rem abſque fructuum mentione tradidiſſet, ſi eos ad ſe pertinere voluiſſet; hucque trahi non debet regula l. cum de indebito ff. de probat.: cum enim ſoleāt homines carius, intra latitudinem tamen iuſti pretij, data dilatione vendere, nō ſequitur, ius percipiendi fructus largitus eſt, ergo ius ſuum iactauit; in promptu enim reſponſio eſt, eum, cū cōtractū fecit, hæc ante oculos habuiſſe, proindeque veriſimile eſt, pretiū rei ſuæ ita ſtatuiſſe, vt indemnis conſeruaretur.

14 Quarto explicandum eſt; quid ſi venditor non reſeruauerit ſibi dominium, pactionem tamen circa fructus conſcripſerit, an huiuſmodi pactio valeat; qua de re contendunt noſtri, nam negatiuam partem tuetur Io. Ant. de Rubeis conſ. 88. poſt nonnullos quos refert; eandem ſententiam habuerunt etiam Socin. Dec. Crau. Siluanus, quos refert Lupus d. §. 7. nu. 145. in princ.

15 Contrariam tamen poſt *Caſtr. in l. Iulianus §. ex vendito num. 3. ff. de act. empt.* ſcripſerunt Dec. Com. Alciat. Cagnol. quos ſequitur Couar. *d. cap. 4. nu. 5. verſ. ego ſane*, cum quibus ſentit *Lupus d. §. 7. nu. 145. verſ. verum*, vbi alios addit.

Dubitatio ex eo pendet, an venditor maiori pretio rem diſtraxerit, proptereaque dilationem huiuſmodi conceſſit; nam hoc admiſſo ceſſat æquitas, propter quam vſuræ venditori præſtantur, *iuxta l. 2. C. de vſur. l. Iulianus, §. ex vendito ff. de act. empt.*: neque enim æquum, & bonum patitur, vt duplicem compenſationem creditor ob eandem cauſam obtineat. Cum verò nemo iactare ſuum exiſtimetur, veriſimilius eſt, in conſtituendo pretio habitam fuiſſe rationem temporis ad illud ſoluendum conceſſi, quia emptor non ſe obligauiſſet præterea ad fructus, ſeu interuſuria ſoluenda.

16 Rem clarius declaro. Certi iuris eſt, iuſtum pretium latitudinem habere; diuidi enim ſolet in vile, rigoroſum, & medium; item conſtat, homines cum non præſenti pecunia vendunt, de rigoroſo pretio non ſolere tantum diminuere, quantũ facerent ſi pecunia numeraretur. Venditor ergo, de quo agimus, dum certum quid annuum ſibi ſtipulatur quouſque pretium fuerit ſibi numeratum, quantitatem huiuſmodi velut partem pretij conſiderat, non autem velut vſuram pecuniæ non ſolutæ; & ideo conuentio valida eſt, & erit obſeruanda, ſi modo de iniuſtitia eius doctum non fuerit *iuxta l. 2. C. de reſcindenda*.

17 Cum autem dilatio conceditur emptori quouſque venerit occaſio emendę rei alicuius immobilis, quæ pro cautione eius obligari debeat, apparet, dilationis tempus incertum futurum eſſe, ideo tunc non videtur admittenda huiuſmodi opinio, cum dilatio non ſit talis, vt propter eam pretium augeri ab emptore debuerit; itaq; exiſtimo, tunc conuentionem, de qua agimus, non valere, licet aliud probauerit D. Polydor. Ripa *obſeruat. 19. à nu. 4.*

18 Quinto exponendum eſt, an fauore emptoris huic legi ſit locus, ſi ſcilicet venditor moram ſibi fecerit in traditione rei, idque placet Baldo, Soc. Caſtr. Cagnolo, quos refert, & ſequitur Lupus de vſuris comment. 1. §. 7. nu. 155.

Quæ opinio veriſſima eſt ſi rectè intelligatur, videlicet ex die, quo venditor debebat rem tradere; cum enim antequam tradat maneat eius dominus, leg. quoties C. de rei vindic. non poteſt cogi, alteri fructus rei tradere, niſi ob culpam, quę in eo nulla eſt, cum nondum venerit tempus, quo rem tradere debet; ex quo corruit id, quod ſcribit Bartol. *in l. Iulianus §. afferri de act. empti nu. 3. verſ. iuxta hoc, quem ſequitur Salicet. in l. curabit, verſ. ſed tunc*; quod ſcilicet emptor, qui partem pretij ſoluit, poſſit ſoluto integro pretio fructus pro rata petere per l. fin. in fine, C. de fund. dotali. Vbi autem venit tempus rei tradendæ, tunc manifeſtum eſt, eum culpa ſua efficere, ne fructus rei emptor habeat, & proinde tenetur rependere quantum ex huiuſmodi re percepturus erat.

19 Quæret aliquis, ſi emptor dixerit, ſi ego credidiſſem rem tradendam non fuiſſe, ipſam non emiſſem, nec pretium numerauiſſem; pretio itaq; careo culpa venditoris; rependet ergo mihi quicquid mea intereſt, pecunia huiuſmodi me caruiſſe, iuſta ne poſtulatio erit? Reſpondeo, emptorem debuiſſe habere pecuniam paratam, vt quandocunq; venditor rem tradidiſſet, eam poſſet numerare; itaq; pecuniam huiuſmodi non poterat in ſuos vſus conuertere citra offenſionem conuentionis; & ideo hoc nomine non poteſt dicere, ſua intereſſe, pecuniam huiuſmodi penes ſe non habuiſſe.

20 Quod ſi eiuſmodi ſpecies inciderit, vt prius res tradi, deinde pretium numerari debeat, venditor qui tempore conuento non tradidit rem, tenebitur ad fructus erga emptorem, & emptor nihil venditori præſtare tenebitur ratione pretij, quod retinuit; quia emptor culpa quidem venditoris fructu rei priuatus eſt, venditor autem culpa ſua pretium non habuit. Quod ſi eodem tempore numerandum eſſet pretium, & res tradenda debebit emptor interpellare venditorem, oblatoq; pretio eum in mora conſtituere; quo facto ius petendi fructus habebit, cũ culpa vẽditoris eis careat, ſicq; docuerunt Couar. *lib. 3. var. cap. 4. nu. 7. verſ. eadem ratione, Lupus d. §. 7. nu. 162. verſ. ad hoc*, quo loci ſubdit Couar., emptorem teneri pretium conuentum reddere venditori vna cum lucro, quod fortaſſis ex ipſo cœpit, etiam ſi illud venditor non erat percepturus, quod, bona tanti viri pace dictum ſit, vſuram manifeſtam continet, quia vt quis vltra id, quod conuenit, aliquid ſoluere cogatur, neceſſe eſt, vt culpa ſua damnum attulerit directè, vel indirectè auferendo lucrum; nam exigere aliquid vltra ſortẽ ſub alio prætextu vſura eſt, quæ non permittitur cap. 4. de vſur. Clẽ. vnica eod. tit.; in ſpecie enim huiuſmodi vtrunq; deeſt; quod, ſi venditor ex pretio lucraturus aliquid fuerat, idem obſeruabitur; ſibi enim amiſſionem lucri acceptam ferre debet, non emptori.

Non rectè etiam Lupus ſcribit, emptorem, qui offerendo pretium, venditorem conſtituerat in mora, poſſe non modo petere quantum ex re percepturus fuerat, ſed etiam plus; veluti ſi pro pretio venditori oblato, alteri, à quo illud acceperat vſuras ſoluebat, vel ſi alia de cauſa occaſione pretij damnum ſenſerit, vel lucrum amiſerit, quod ante eum ſcribit Bald. in l. 2. C. de vſuris; cum enim emptor aduerſus venditorem nihil aliud proponat, quam, eum conuentionem non obſeruauiſſe, ab eo non poteſt petere compenſationem damni, quod aliunde venit, prone eſt id, de quo agit Lupus; nam iuxta tenorem conuentionis ad ipſum pertinebat, pretium huiuſmodi comparare, & in promptu habere, quod rectiſſime animaduertit Salicet. in d. l. 2. nu. 3. ad finẽ verſ. hoc nõ percipio; ut interim nõ omittã, ipſum ultro uenditorem interpellauiſſe ad rem tradendã oblato pretio; cum enim pretium à ſe non peteretur, poterat ab huiuſmodi damno immunem ſe conſeruare, rem ſibi tradi non poſtulando.

21 Sexta dubitatio eſt, an huic legi locus ſit ad fauorem eius, qui uendidit actionem, quam habebat ad rem; an ſcilicet uenditor poſſit agere aduerſus eum, cui actionem uendidit, ad fructus ex re ab ipſo perceptos pro rata temporis, quo diſtulit pretium numerare, qua in re diſtinguo; aut pactum factum fuit de fructibus ſoluendis quouſque pretium non fuiſſet ſolutum, aut nullum fuit hac de re conſcriptum pactum. Si pactum conſcriptum fuerit puto, valere pro rata fructuum perceptorum ſecutus auctoritatem ampliſſimæ Rotæ Romanę, quæ ita docet deciſ. 340. part. 1. diuerſ. ea ratione motus, qua in antecedenti capite eam ſententiam ſecutus ſum, quæ docet venditorem, qui ſibi non reſeruauit dominium, poſſe paciſci vt fructus rei ad ſe pertineant quouſque pretium fuerit ſolutum, pro rata tamen pretij non ſoluti.

22 Quod ſi pactum non fuerit conſcriptum, aliud exiſtimo; cum enim res ſub lite eſſet, non poteſt dicere venditor, ſe carere fructibus rei culpa emptoris, cum incertum eſſet, an ipſe rem obtenturus, & quo tempore obtenturus fuiſſet; quod enim dicitur, non eſſe æquum, eum frui re, & pretio, vt cætera omittam, non poteſt nocere emptori in hac ſpecie, quia ipſe replicabit, diligentia, & labori-

bus

bus meis hoc commodum conſequutus ſum, quod iniuria tibi diſplicet, niſi oſtenderis, hac ratione damnum aliquod te ſentire; quod enim tibi non nocet, & mihi prodeſt, æquitas vult vt concedatur, etiam ſi iure deficiamur leg. 2. §. item Varus ff. de aqua pluuia arc.; quod ſi venditor replicauerit, culpa tua pretio rei meæ carui, ille reſpondendo dixerit; Si quid tua intereſt, pretiũ nõ fuiſſe numeratum compenſabo, ſuo muneri cumulatiſſimæ ſatisfaciet; niſi enim mora ex parte debitoris fuerit damnoſa, eius gratia vltra ſortem quid peti iura noſtra non ſinunt cap. 4. de vſuris.

23 Septimò dubitatur, an procurator, qui nomine domini emit prædium, & ex ſuo ſoluit pretiũ, ſi rem poſſideat, an fructus rei ſibi retinere poſſit quouſq; dominus pretium ei non reſtituerit, qua in re Bald. *in rub. C. de contrah. empt. quæſt. 15. nu. 15. contra procuratorem reſpondit, eumq; ſequuntur. Iaſ. in l. 2. §. mutui datio num. 8. fallent 15. ff. ſi cert. pet. Ferrat. cautela 54. Couar. d. cap. 4. ante num. 8. verſ. decimo ſexto.*

24 Contrariam ſententiam tuetur Alciat. *in d. §. mutui datio ad finem, nec non Lupus d. §. 7. nu. 151. verſ. ſed aduertendum per l ſi verò non remunerandi §. ſi mihi ff. mandat. & in l. & in contraria ff. de vſur.* & quia militat ratio noſtræ legis, æquum non eſſe, vt quis re, & pretio fruatur.

25 Priorem opinionem ſequor, cum enim ſponte mandatum ſuſcipiatur, non poteſt conqueri de eo, cuius nomine emit, niſi ex die, quo is in mora conſtitutus fuerit; & proinde nulla cauſa eſt, cur velit ei eripere rei ſuæ fructus; ſupponimus enim rem factam fuiſſe eius, cuius nomine empta fuit; quod ſi eum in mora conſtituerit, tunc de fructibus rei nõ eſt tractandum, ſed de eo quod ipſius intereſt, pecuniam ſibi non fuiſſet reſtitutam, & proinde nullo caſu is poteſt vti diſpoſitione huius legis.

26 Ad iura ex aduerſo allegata reſpondeo, in illis quidem concedi vſurarum exactionem ei, de quo agimus, ſed tamen à nobis alleganda non eſſe, quia aliud ius obſeruamus in re vſuraria, quam veteres fecerint; apud nos enim non licet, quidquã vltra ſortem exigere, niſi rationem eius, quod culpa debitoris perpeſſi fuimus, vel damnum ſentiendo, vel lucrum amittendo, vt poſt alios explicat Couar. lib. 3. var. cap. 4., quod vtiq; de procuratore, de quo agimus, dici non poteſt, cũ enim lubens volenſq; pretium ex ſua pecunia numerauerit, non poteſt conqueri de eo, cuius nomine emit, niſi ex die moræ, quæ vbi aduenerit, petitionem ſuam ad id debet coarctare, quod ſua interfuit, pecuniam non fuiſſe ſibi reſtitutam, & ideo petere non poteſt præciſe fructus rei, cum id quod intereſt in facto, non in iure conſiſtat l. quatenus intereſt de reg. iur.

27 Ad id quod dicebatur, non conuenire æquitati, vt is, cuius nomine res empta fuit, re & pretio fruatur, ut cætera omittam, reſpondeo, cauſam procuratoris, de quo agimus, diuerſam eſſe à cauſa uenditoris, nam uenditor iure dicit, ex re ſua emptorem lucrum percepiſſe cum ſua iactura, procurator autem id nullatenus dicere poteſt, cum toto cœlo diſtent, rem ex pecunia procuratoris emptam fuiſſe, & rem procuratoris fuiſſe, & ideo non rectè ad hanc rem trahitur l. ſi me, & Titium ff. de reb. cred. ſi cert. pet.

28 Octaua dubitatio pertinet ad id, quod ſcribit Alex. conſ. 69. nu. 3, & 4. filium ſcilicet, cui pater iure legitimæ reliquit certam quantitatem, poſſe ex ratione noſtræ legis petere fructus rerum hæreditariarum quas iure legitimæ conſequutus fuiſſet, ſi legatum non approbauiſſet, quod etiam placet Oſaſc. *deciſ. 143. nu. 2. in fine, & nu. 3. Lupo de vſur. comment. 1. §. 7. nu. 163. & alijs de quibus Peregr. de fideicomm. art. 36. nu. 69.*

29 Ego exiſtimo, noſtram hanc legem nihil commune habere cum hac re; cum enim non ſit liberum patris ius legitimæ imminuere l. quoniam in prioribus C. de inoffic. teſtam. utiq; exiſtimandum eſt, filium, qui accipit legatum, de quo agimus, id facere, quia utilius id eſſe ſibi putat, [illegible] habere legitimam in corporibus hæreditarijs; & ideo non poteſt quiſpiam dicere, cum eſſe [illegible] toris inſtar, quaſi res ſibi ex corporibus hæreditarijs pro legitima debitas, uẽdiderit pro [illegible] quę ſibi legata fuit, ut interim nõ omittã, [illegible] uit æſtimationem legitimæ, corpora hæreditaria cũ ſua cauſa æſtimaſſe, & ſic cum iure percipiendi fructus; & ideo non eſt iterum fructuum ratio habenda; iterum inquam, quia cum nemo, [illegible] certum eſt, cũ re incerta, & dubia facile [illegible] tet, non eſt exiſtimandũ, cũ ius conſequendi fructus corporum hæreditariorum [illegible] cum iure eoſdem fructus petendi, poſtquam ſibi quantitas legata tradita fuerit.

30 Quod ſi contrariam opinionem ſequaris, [illegible] ueas diligenter, oportere prius iudicem declarare, quibus in rebus legitima ei fuiſſet aſſignanda, ſi relictam pecuniam repudiauiſſet, & deinde eorum fructus poſtulabit; itaq; ſic libellus conſcipiendus erit, narrabit, patrem deceſſiſſe, reliquiſſe pro legitima certam quantitatem, quam ipſe acceptauit; & quia hæres eam in tempore non ſoluit, uult conſequi fructus rerum, quos habiturus erat, ſi legatum repudiauiſſet, inſtat ergo declarari, quænam res pro legitima aſſignandæ [illegible] legato repudiato, ipſiſq; declaratis petat, ſibi dari fructus, quos ex ipſis percepturus fuerat.

31 Nono dubitatur, an uenditor, cui de pretio ſatisfactum fuit, poſſit uſuras, de quibus agimus, poſtulare; qua in re ſic diſtinguo, aut factum fuit pactum de illis ſoluendis, aut res in diſpoſitione iuris manſit; ſi factum fuerit pactum, exiſtimo, [illegible] cere ei uti pacto, poſtquã pretiũ ei fuit numeratum, quia ex pacto oritur actio particularis, quæ cum petit per ſe nec de [illegible] exiſtentiam actionis ex uendito, ſicq; communiter docent DD. in l. [illegible] C. depoſiti. Ex eo autem, quod emptor [illegible] obligatione ſe obligauerit, non dicitur pact. [illegible] de quo agimus conſcripſiſſe; licet enim in [illegible] gatione camerali contineatur obligatio ad damna, expenſas, & intereſſe, tamen huiuſmodi obligatio plurimum à re noſtra diſtat; ut enim uſuræ, de quibus agimus, debeantur uenditori, ſatis eſt, cum rem tradidiſſe, eiuſq; fructibus caruiſſe, ut oſtendi in cap. antecedenti à nu. 1. & admittunt DD. uno ore; ut uerò ad id, quod intereſt, agi poſſit, neceſſe eſt, multa probare, quæ cumulant DD. *in l. unica C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt, de quibus per Burſ. conſi. 68. lib. 2. Maſcard. concluſ. 933. & ſequentibus, Barboſ. in l. 2. in princ. par. 1. à nu. 44. ff. ſol. matr. Michael Salon. de iuſt. & iure, quæſt 78.*

ar tic.

artic. 2. controverſ. 89. & 10. Lud. Molin. de iuſt. & iure. tom. 2. diſput. 314. cum ſequentibus, & alij multi quos longa ſerie recenſet Ioan. del Caſtillo controverſ. iur. cap. 1. vbi latiſſime de eadem retractat.

32 Si vero pactum non fuerit hac de re conſcriptũ, aliud dicendum eſt; cum enim actione ex vendito agendum ſit, non poteſt venditor ea amplius vti, quia per ſolutionem pretij conuenti ſublata fuit, atque ita docuerunt *Caſt. in l. Iulianus, §. ex vendito, nu. 3. ff. de act. empt. Odofred. & Salic. in l. qui per colluſionem, §. 1. eod. tit.*

Actione inquam ex vendito vſuras, de quibus agimus, peti, probatur legis auctoritate, & iuris ratione, audi I. C. *in l. Iulianus, §. ex vendito. Ex vendito, ait ipſe, actio venditori competit ad ea conſequenda, quæ ei ab emptore præſtari oportet. Veniunt autem in hoc iudicio infraſcripta. In primis pretium, quanta res venit: item vſuræ pretij poſt diem ſolutionis; nam cum re emptor fruatur, æquiſſimum eſt, eum vſuras pretij pendere.*

Iuris autẽ ratio euidens eſt, quia quicquid venit ex natura commercij geſti, id ex ipſo commercio venire dubio procul dicitur; neque enim negari poteſt, ex natura venditionis proficiſci, ut is de quo agimus, fructuum rationem reddat; pretio enim non numerato, non erat rem ſuam diſtracturus ut expoſui in capite antecedenti à n. 3.

Hancq; ſentẽtiam expreſſe admodum legimus *in l. qui per colluſionem 51. §. 1. ff. de act. empti, & venditi, dum inquit.*

Pretij ſorte licet poſt moram ſoluta, peti non poſſunt, cum hæ non ſint in obligatione, ſed officio iudicis præſtentur.

Hæres vſurarij an teneatur ſatisfacere ijs, qui vſuras ſoluerunt reſpectu portionis ſui cohæredis, à quo eas conſequi non poſſunt; & an inter creditores ex cauſa vſurarum ſolutarum defuncto, & eos, qui ſunt creditores ex contractu licito, adſit vlla prælatio quando ſolam perſonalem actionem habent nullo priuilegio munitam.

Cap. XVII.

1 AN cohæres teneatur ſoluere vſuras quò ad partem ſui cohæredis, qui res hæreditarias perdidit, nec eſt ſoluendo ex ſuo patrimonio, diſputant caſuum conſcientiæ expoſitores, quorum dicta recenſet Io: de Salas in tract. de vſuris dubio 43.: Ego ijs aſſentior, qui ipſum huic oneri ſubijciunt, quatenus tamen ſe extendit ſua portio hæreditaria, motus ex regula l. vnic. C. ne ſi ex delict. defuncti, quod ſcilicet hæredes tenẽtur ex delicto defuncti, quatenus ex huiuſmodi delicto ad ipſos peruenit, ne alieno ſcelere ditentur: cum qua cõcordat l. in hæredem 27. ff. de dolo malo; Ad eũ autem peruenit vtilitas vſurarum, cum per hoc locupletior defunctus factus fuerit iuxta ea, quæ probaui ſupra lib. 7. c. 4. nu. 7. & ſeq.

2 Dicam clarius, illud agunt iuris noſtri Conditores, ne heres vtilitatem percipiat ex ſcelere defuncti; ergo non patiuntur, hæredem retinere eas res defuncti, quæ neceſſariæ ſunt, vt deleatur delictum quo ad damnum eius, quem læſit delicto ſuo defunctus; quid enim aliud eſt ditari ex ſcelere defuncti, quam retinendo res ipſius, huiuſmodi ſcelus conſeruare? regula ergo *l. 2. C. de hæred. act. l. 3. in fine de alim. leg.* limitatur in actionibus, ex delicto defuncti orientibus, quatenus velit cohæres, ex ſcelere defuncti ditari.

3 Quam ſententiam clarè exprimit textus in c. tua nos 9. de vſur. vbi ex Alex. 3. hæc verba habentur. *tua nos duxit fraternitas conſulendos, quid de vſurariorum filijs obſeruandum, qui eis in criminen vſurarum defunctis ſuccedunt, aut de extraneis, ad quos aſſeris, bona vſurariorum eſſe deuoluta? Tuæ igitur quæſtioni reſpondemus, quod filij ad reſtituendas vſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viuerent, cogerentur; id ipſum etiam contra hæredes exercendum*; illa verba *eis in crimine vſurarum ſuccedunt defunctis*, non debent intelligi de continuatione in exercẽdis vſuris iuxta morem paternum; quia non obligarentur ad reſtituendas eas vſuras, quas eorum parentes per ſe exegerat, nec è contra; & proinde ſuccedere in crimine vſurarum accipitur à S. Pontifice, retinere res fœneratorum; quæ interpretatio neceſſaria eſt, alioquin non rectè argumentatus fuiſſet à filijs ad hæredes extraneos, de quorũ continuatione nihil in eo textu dicitur, quo vtimur, nec in textu originali exiſtente in prima collectione decretalium apud Ant. Auguſtinum.

4 Illud autem conſiderandum eſt, quod in textu originali hæc clauſula his verbis legitur; *filij ad reſtituendas vſuras, ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parẽtes, ſi viuerent, cogerentur; id ipſum etiam contra hæredes extraneos, credimus exercendum*, ex quo patet, filios velut hæredes conſiderari, non autem velut exactores vſurarum: Cum ergo dicat S. Pontifex, eam diſtrictionem aduersùs heredes eſſe exercendam, quæ aduersùs defunctum dabatur, conſequens eſt, ſingulos heredes inſolidum, intra limites tamen portionis hæræditariæ, poſſe conueniri ad reſtituendas vſuras: Qui autem dicunt, hoc eſſe intelligendum ſecundum portiones hæreditarias, vim inferunt verbis textus; ſi enim diuidũtur actiones pro rata parte hæreditatis, non cogentur filij ea diſtrictione, qua defunctus poterat cogi; quia actio, quæ vnica competebat contra defunctum, reſpectu hæredum ſic diuiditur, vt inefficax contra hæredes efficiatur in ea ſpecie, in qua contra defunctum eſſet efficax; Si nempe quiſpiam ex hæredibus, vt fœneratorum ſucceſſoribus ſolet contingere, perdiderit res ſibi à defuncto relictas, aliunde non habens, vnde ſuæ ſatisfaciat obligationi, ſi apud eius cohæredes extiterint res hæreditariæ idoneæ reſtitutioni huiuſmodi vſurarum: Hæc autem opinio apprimè æqua eſt, & iuris rationi conſentanea; habetq; plurimos ſequaces; & proinde digna eſt, quæ in iudicijs valeat, vigeatq;.

5 Quod verò ſpectat ad aliam quæſtionem, an ſcilicet vlla prælationis ratio extet inter eos, qui vſuras ſolutas repetunt, & illos, qui actionem habent perſonalem priuilegio carentem; Contra fœneratorem varia ſunt Doctorum placita, quæ recenſet Salas loco allegato num. 5. & ſeq. Pro explorato autem conſtituendum eſt, in concurſu creditorum ſolam actionem perſonalem habentium, cauſam debiti eſſe conſiderandam nullamq; haberi rationem temporis l. priuilegia ff. de priuileg. cred.: & conſequenter inſpiciendum erit, an repetitio vſurarum vllum habeat in iure noſtro priuilegium aliorum creditorum iura iniminuẽs,

aut,

aut, an habere debeat: Cum verò nihil tale conſtitutum fuerit, conſequens eſt, pati iure, vti eum ordinatijs obligationibus perſonalibus, de quibus nunc ſermo eſt.

6 Caueas autem ab ijs, qui vitium vſuræ exagerant, ut per hoc faciliorem reddant uſurarum repetitionem; hoc enim eò tendit, ut fœneratores, & ipſorum ſucceſſores legitimis modis compeſcamus; ut verò id trahatur in damnum creditorum, iuris ratio pati non poteſt, quia pœnæ tenere debent culpæ authores l. ſancimus C. de pœnis.

7 Caueas etiam ab ijs, qui dicunt, meliorem eſſe debere cauſam aliorum creditorum, quam fœneratorum, quia illi non tranſtulerunt ſuum in debitorem, prout faciunt ij, qui vſuras ſoluerunt, non modo quia frequentiſſimè accidit, debita conſtitui habita fide de eo, quod tunc temporis ſibi eſſet ſoluendum; ſed etiam, quia uſuræ contra uoluntatem ſoluuntur; & per hoc ſub rapina conſtituitur id, quod pro uſura accipitur, ut notat gloſſa, & cum ea Interpretes in Rubrica Decretalium de vſuris, & alij paſſim conſentiunt; hæc autē ponunt pro vera eam opinionem, quam defendi ſupra lib. 9. c. 47. nullam ſcilicet dari hypotecam ijs, qui vſuras ſoluerunt in rebus fœneratorum.

Hypoteca tacita an competat in bonis furis, fœneratorum, & aliorum, qui delinquendo alienas res ſurripiunt aut damnificant. Cap. XVIII.

1 Scribit Bal. in l. furti actione nu. 2. C. de furtis, ex diſpoſitione iuris Canonici tacitam oriri hypotecam in bonis furum, & aliorum, qui delinquendo alios damnificant per textum in c. Parochiano de ſepulturis; ſequitur ibi Salicetus nu. 1. verſ. cum bona ſint, vbi adducit rationem, quia anima defuncti maneret in captiuitate quouſq; reſtitutio fieret; quam rationem approbauerunt. *Neguſ. de pignor. p. 2. membro 4. n. 124. Hip. Rimin. conſ. 587. num. 13. & 15 lib. 5. Rebuffus ad conſt. Reg. tom. 2. tit. de conſtit. redituum artic. 1. gloſſa 14. nu. 28. & cum his concordant Peregr. conſ. 38. nu. 19. lib. 6. Gratianus c. 95. nu. 2. nu. 24. & 31.*

2 Contra ſententiam DD. com. *Hoſt. in c. cum nu. 5. nu. 6. verſ. niſi dicas de vſuris, vbi Io. Andr. nu. 10. Abbas nu. 12. Henricus Bolc. nu. 24. verſ. cæteri autem, Hoſtienſ. in c. tua nos nu. 4. eodem tit. de vſuris, vbi Io. Andr. nu. 3. verſ. hoc nimis durum Ant. de Butrio nu. 6. verſ. & hoc eſt tenendum, Cardinalis verſ. tenendo gloſſam, Anchar. nu. 12. Io. de Anania nu. 5. vbi multos concordantes adducit, quibus addendi ſunt alij allegati à Io. de Salas tract. de vſuris dub. 41, Lupus de vſuris coment. 4. §. 3. nu. 55. Alex. Trentacinq. tom. 1. var. reſolut. tit. de vſura c. 1. nu. 3. Coſta de rata quæſt. 56. à nu. 4. Marius Giurba ad ſtatuta Meſſanæ c. 2. gloſſa 8. nu. 1. cum ſeqq. Card. Mantica de tacitis lib. 11. tit. 14. nu. 10. & 11. & ſecundum hanc ſententiam fuit reſolutum à Rota in Tudertina vſurarū 14. Martij 1608. coram Manzanedo.*

3 Et ſi autem pleriq; horum Interpretum de bonis fœneratorum ſolum meminerint, omiſſa furum mentione; optimè tamen allegantur veluti contrarij opinioni Baldi loquentis generaliter de bonis delinquentis pro ſatisfactione obligatis, quia fœneratores rapinam committunt c. ſi quis 14. q. 5. & inter ſpecies furum recenſentur à gloſſa in rub. de vſuris, cum qua ibi commun. ſentiunt Canoniſtæ; & alij DD. Catholici paſſim id admittunt; Quod autem dicit Gratianus nu. 32. vſurarium habere pro ſe voluntatem domini pecuniarum, quod eximit ipſum à numero furum, non ſubſiſtit, quia voluntas huiuſmodi non eſt ſpontanea, ſed coacta à neceſſitate præſenti, vel futura vt *in c. cū tu in fine de vſur. D. Thom. 22. quæſt. 78. artic. 1. ad ſeptimum, & alij de quibus P. Nauar. de reſtit. lib. 3. c. 2. nu. 211, 212, 214, & 215*; deſtruit etiam hęc declaratio fundamentum doctrinę Baldi; agit enim de quocunq; damnificante proximū cum obligatione reſtituēdi, ne anima defuncti interim patiatur dilationem liberationis; hæc enim in fœneratoribus vera eſſe, ſicut in fure, Catholica fides docet: Abbas autem, & Couar. à Gratiano allegati nihil ſcribunt eius doctrinam adiuuans in locis ab eo adductis.

4 Fundamentum eſt ſolidiſſimum adductum ab Auctoribus huius ſententiæ, quia nullibi cautum eſt, bona furum, fœneratorum, aut eorum, qui damnum dant, eſſe obligara legis authoritate ijs, quibus res ſuas abſtulerunt; certa autem eſt iuris regula, hypotecam tacitam non eſſe admittendam, niſi appareat lex eam inducens vt notat gloſſa ab omnibus approbata in l. 3. in verbis ad priuilegium verſ. item illa ff. de priuileg. cred.

5 Textus verò in d. c. cum tu 5. in fine verſ. poſſeſſiones verò de vſur. dum dicit, poſſeſſiones ex vſuris comparatas vendi debere, vt ex earum pretio ſatisfiat ijs, à quibus vſuræ extortæ fuerunt, nō poteſt pro ſententia Baldi adduci, primò quia nō declarat, an ſint apud hæredes, an apud tertios poſſeſſores, & DD. communiter eum intelligunt de poſſeſſionibus exiſtentibus apud hæredes, vt patet ex Authoribus allegatis n. 2. Secundò, quia deciſio huiuſmodi textus reſtringitur ad bona ex vſuris acquiſita; & proinde S. Pontifex inſinuat, aliud eſſe in alijs rebus fœneratoris iuxta regulam l. cum Prætor de iudicijs; Tertiò hoc fuit ſpecialiter in crimine vſuræ introductum, ſi credimus gloſſæ in verbis debent vendi verſ. & ſpeciale eſt, à qua DD. non diſcedunt; & proinde non debet trahi ad alios caſus l. quod verò ff de legibus.

6 Textus in dicto c. parochiano de ſepulturis loquitur de hæredibus eius, qui damnum dedit, vt patet ex illis verbis ſed eius hæredes &c. & ibi not. gloſſa, & DD.; & proinde retorquetur; ſi enim obligata cenſerentur bona apud tertium exiſtentia S. Pontifex non reſtrinxiſſet ſuam deciſionem ad ſucceſſores vniuerſales, ſed addidiſſet, idem eſſe obſeruandum in ſingularibus bonorum poſſeſſoribus.

7 Circa rationem à Saliceto allegatam primò cōſiderandum eſt id, quod ſcripſi ſupra lib. 7. in c. 23. ex nu. 4: Secundò conſideranda ſunt notata à gloſſa, & DD. in d. c. parochiano; dum enim dicunt, hæredem teneri exonerare conſcientiam defuncti, ſignificant, tertios poſſeſſores bonorum ab eo alienatorum, ad id non teneri; & conſequenter nō poteſt hinc deduci hypotheca de qua agimus, cum tendat in damnum eorum, qui poſſident res à defuncto alienatas, ad quos non pertinet cura animę defuncti.

8 Quartò conſiderandum eſt, quod & ſi apud nos ſit magna differentia inter furem, & debitorem

cui

Digitized by Google

qui noluit ſoluere debitum; apud Deum tamen pariter habet locum regula c. non remittitur de reg. iur. lib. 6. ſi ergo Salicetus putauit, eſſe rationem ſufficientem inducendi ex æquitate canonica tacitam hypothecam, quia anima defuncti interim in captiuitate manet, cur idem non dixit reſpectu creditorum ſolam perſonalem actionem habentium, ceſſante vitio furti, aut alio delicto?

9 Poſtremò conſiderandum eſt, quod hæc hypotheca in ſubſidium admittitur, ideſt quando hæres ſatisfacere non poteſt, cum ad hunc caſum reſtringatur eius fundamentum; ergo in eo etiam caſu habebit locum, quo nõ poterit ſatisfieri omnibus obligationibus defuncti; quid autem refert ad liberandum defunctum ab igne purgatorio, hunc magis quam alium eius creditorem ſuum conſequi non poſſe? concludo, ſententiam Baldi ſenſui communi, & iuris rationi apertè repugnare, & proinde omnino explodendam eſſe.

10 Ex his corruit doctrina Gratiani loco allegato docentis, procuratores ad exigendum alienas pecunias furibus in hac parte eſſe ſimiles, quando dolosè pecunias exactas interuertunt; vt ſcilicet eorum bona tacitè ſint hypotecata pro reſtitutione; cum enim nullum aliud habeat hæc doctrina fundamentum preter allegatam Baldi doctrinam, meritò dicimus, ſublato fundamento corruit ædificium.

11 Illud verò minimè ferendum eſt, quod eo loci ſcripſit Gratianus nu. 8. & ſeq. nu. 34. & ſeq. quod ſcilicet huiuſmodi hypoteca habeat prælationem aduerſus omnes creditores anteriores, etiam ſi de dote tractetur, ex eo, quod hęc hypoteca pro ſalute animæ inducta, eo modo cæteras anteire debeat hypotecas, quo anima cætera antecedere debet.

12 Hæc enim ratio in contrarium retorquetur; ſi enim hæc hypoteca ea de cauſa fuit introducta, vt facilius anima defuncti ab igne purgatorio liberetur, eo caſu ceſſare debet, quo id nequit operari; cum itaq; defunctus pariter obligatus ſit omnibus ſuis creditoribus actionem efficacem habẽtibus, eius anima non ſubleuatur auferendo poſteriori creditori id, quod accepit ab ipſo; quia per hoc obligatio ipſius reuiuiſcit, & eo modo afficit animam defuncti, quo dicunt, eam ligari quouſq; ſatisfactum fuerit ſuis creditoribus; Sed mittamus haſce nugas; cum finis merendi, & demerendi ex articulo mortis pendeat D. Thom. 2. 2. q. 13. artic. 4. ad 2.

An lex ciuilis poſſit impedire ortum naturalis obligationis.

Cap. XVIII.

1 MAximi momenti eſt hęc diſceptatio; ex eius enim notitia infinitæ propè dubitationes decidi, & tolli poſſunt. Poſſe legem ciuilem impedire ortum naturalis obligationis ſcribit Bart. *in l. ſi non ſortem in principio ff. de condict. indeb. & ibi Paul. de Caſtr. nu. 2. in fine, & nu. 3. Alex. nu. 1. & 2. Salic. nu. 2. Socin. ſen. nu. 2. Bald. in l. non dubium nu. 20. in fine, C. de legibus, & ibi Caſtr. nu. 10. verſ. ſed quid ſi lex. Iaſ. nu. 8. Bart. in l. cum lex ff. de fideiuſſ. nu. 3. cum ſeq. & ibi Paul. de Caſtr. nu. 2. Salicet. in l. pacta, quæ contra C. de pact. nu. 6. verſ. oppono ſeptimò, vbi Socin. ſen. nu. 1. & 2. Curt. iun. n. 2. Purpur. num. 2. Alciat. propè finem verſ. ſed nunquid ex his contractibus. Bart. in l. is cui bonis nu. 9. ff. de verb. oblig. vbi Caſtr. nu. 12. in princip. Lud. Rom. nu. 7. & 8. idem rurſus dicit Bart. in l. 1. nu. 8. ff. de nouat. & ibi Caſtr. nu. 6. Soc. ſen. in l. 1. num. 62. & ſeq. ff. ad l. falcidiam. Eiuſdem opinionis eſt Ant. de Butrio in c. cum contingat col. penult. de iur. iuran. vbi Abbas nu. 5. poſt medium. Eandem aſſertionem admittunt DD. in l. cumquis, C. de iur. & fact. ignor. vbi Butrigar. in fine verſ. nec obſtat illud, quod dicunt. Bald. nu. 2. verſ. & probatur ſic, iuncto verſ. vel poteſt dici. Salic. n. 1. verſ. ad contraria reſpondeo. Paul. de Caſtr. num. 2. prope finem verſ. quia licet. Iaſ. num. 7. verſ. omiſſis. Ant. de Padilla nu. 3. verſ. neq; obſtat. Eandem doctrinam ſequuntur DD. in l. 1. ff. de condict. indeb. vbi Bar. nu. 3. in fine verſ. non obſtat quod dicitur Salic. nu. 8. in fine iuncto verſ. ſed Petrus. Lud. Rom. nu. 10. verſ. quintò probo. Alex. nu. 5. & 6. Iaſ. nu. 19. verſ. pro iſta parte, idem Bart. rurſus in l. ſeruus inſcio nu. 1. ff. de fideiuſſ. & ibi Caſtr. nu. 1. verſ. aut pro cauſa non concernentur, Bellon. Inſtit. de obligat. in principio nu. 32. Fortunius in l. veluti nu. 11. de iuſt. & iur. Rum. conſ. 31. num. 6. in 2. Conar. de pactis p. 2. §. 4. d. nu. 6. Gutierez de iur. confirmat. p. 1. c. 1. d. nu. 39. Seraph. de priuileg. iur. priuileg. 107. nu. 32. quam ſententiam ſequitur Franciſcus Suarez in tract. de virtut. religion. tom. 2. tract. de iuram. lib. 3. c. 18. nu. 5. in fine, & nu. 12. & 13. Thom. Sanchez ſuper Decalogo tom. 2. lib. 3. c. 12. num. 12. & alij etiam Theologi, vt oſtendit Ioannes de Salas tract. de legibus diſp. 16. ſect. 12. nu. 50. vbi nu. 51. verſ. ad quartum, ait erroneum eſſe contrarium aſſerere.*

2 Contrariam ſententiam tenent Iaſ. *in l. ſi non ſortem in principio nu. 3. verſ. tu conſidera ff. de condict. indeb. Ferdinand. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 30. nu. 12. cum ſequentibus, Decius in l. pacta, quæ contra nu. 3. C. de pact. Capiferreus in tract. de iur. teſtium in teſtam. requiſ. p. 3. c. 2. nu. 68. & 69.*

3 Receptæ opinioni fauet tex. *in l. pacta, quæ contra 6. C. de pact.* dum ait. *Pacta, quæ contra leges, conſtitutioneſq; vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati iuris eſt.* Nullam vim habent, ergo nec naturalem pariunt obligationem, quia ſi hanc parerent, falsò diceretur, eos nullam vim habere; ad idem eſt tex. *in l. pactum, quod dotali 15. eodem tit.* dum ait. *Pactum quod dotali inſtrumento comprehenſum eſt, ſi pater vita fungeretur, ex æqua portione ea, quæ nubebat, cum fratre hæres patri ſuo eſſet, neque vllam obligationem contrahere, neque libertatem teſtamenti faciendi mulier patri potuit auferre.* Ex hoc pacto nulla contrahitur obligatio, ergo nec naturalis.

4 Eandem ſententiam probat textus *in l. non dubium C. de legib.* dum inquit. *Nullum enim pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos videri volumus ſubſecutum, qui contrahunt lege contrahere prohibente.* Cum enim vbi adeſt naturalis obligatio, ibi quoq; adſit conuentio ſequitur, legem, quæ ſancit, ne contractus, conuentio, pactumue factũ cenſeatur, vbi legis prohibitio adeſt, ſancire quoq; ne naturalis oriatur obligatio, quem ſenſum clarè exprimunt verba, quæ paulò poſt in eadem lege leguntur, dum ait. *Vt ea, quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur.* Nam implicant inſimul, obligationem naturalem oriri, & contractum pro infecto haberi.

5 Adiuuat hanc opinionem etiam tex *in l. ex eo §. C. de inutil. ſtipul.* dum ait. *Cum omnia, quæ contra bonos mores, vel in pactum, vel in ſtipulationem deducuntur, nullius momenti ſint.* Si enim obligatio naturalis hinc oriretur, vtiq; falſum eſſet, pacta, & ſtipulationes huiuſmodi nullius momenti eſſe, cũ multi ſint, & præclari obligationis naturalis effectus.

6 Contrariæ ſententiæ fundamentum in eo conſiſtit, quod obligatio naturalis oriatur ex conſenſu, & placito duorũ in idem l. 1. ff. de pact.: itaq; cum conſenſus ſit quid facti (qua de cauſa dicitur *in l. ſi vnus, §. pactus ne peteret ff. de pact.* in pactis verſari factum, non ius) non poteſt impediri à legiſlatore, & per conſequens, naturalis obligatio, quæ ex eo deſcendit, non poterit impediri.

7 Huic opinioni fauet Theologorum ſententia, qui paſſim docent, contractus nullos ex defectu ſolemnitatum iuris poſitiui obſeruandos eſſe in conſcientia, quod etiam ex noſtris ſcribunt Abb. poſt Ant. de Butr. *in c. 1. n. 19. de reſtitut. in integrũ, Felin. in c. 1. nu. 39. & 40. de conſtit. Iaſ. in §. ſed iſta. Inſtit. de actionib. nu. 131. & 132. & in l. nemo poteſt in prima lectura num. 78. & 79. ff. de leg. 1. & alij multi, de quibus Capiferreus de numero teſtium in teſtamento requiſito p. 3. c. 1. nu. 47. & 48. Io. de Salas in tract. de legib. diſp. 16. sect. 12. in principio verſ. ex actu, &c.* Si enim ex his contractibus non oriretur naturalis obligatio, non eſſent obſeruandi in foro conſcientiæ, quia quò ad forum conſcientiæ attinet inſpicitur, an quis naturaliter teneatur, vt docent omnes *in c. nouit de iudic. in c. 1. de pactis*; & exploratum eſt.

8 Ego à recepta ſententia non diſcedo; & quoniã video totam difficultatem in eo cõſiſtere, quia aduerſarij non intelligunt, quemadmodum poſſit lex ciuilis impedire, ne obligatio ex conſenſu præſtito oriatur, id breuiter, & planiſſimè oſtendam.

Conuentiones, quæ à nobis fiunt, vel pertinent ad rerum noſtrarum alienationem, vel ad obligandam perſonam, aut res noſtras: cum agimus de illis conuentionibus, quæ patrimonij alienationem, vel obligationem continent, euidens eſt ratio, qua lex poſſit efficere, ne ex huiuſmodi contractu oriatur vlla obligatio, adimendo ſcilicet facultatem alienandæ, & obligandæ rei in conuentionem deductæ; hac enim dempta facultate, impoſſibile eſt, contractum huiuſmodi conſiſtere; & per conſequens clarum erit, eum nullam poſſe parere obligationem.

9 De conuentionibus, quæ ſolam perſonam obligant nunc agamus, in his autem perficiendis duo termini neceſſariò requiruntur; alter ex quo obligatio proficiſcitur; alter in quo obligatio conſiſtit, debitor ſcilicet, & creditor: nam vt quis obligetur neceſſe eſt, vt alteri obligetur; ex his duobus terminis eſto, priorum non ſubijci legis auctoritati, quia in facto conſiſtit, negabunt ne, alterum terminum, qui in acquiſitione obligationis conſiſtit, ex legis poteſtate pendere? non puto; ius enim habendi aliquid proprium in iure, non in facto conſiſtit §. ſingulorum inſt. de rer. diu.

10 Ad argumentum ſecundo loco propoſitum reſpondeo, huius aſſertionis auctores loqui, quando contractus ſecundum iuris naturalis regulas validus eſt; & per conſequens non agunt de eo caſu, quo lex poſitiua voluit impedire ortum naturalis obligationis, quia tunc huiuſmodi contractus, nec naturaliter validi ſunt, vt liquet ex dictis numeris antecedentibus, quòd ſi cõtẽderis, imò eos loqui etiam hoc caſu, dicam, me ijs non aſſentiri, niſi rationem idoneam ſuæ opinionis attulerint, quod nullus (quod ego ſciam) hucuſque fecit: hanc n. aſſertionem Theologi ſupponunt potiùs, quam probent vt rectè monet *Io. de Salas tract. de legib. diſp. 16. sect. 8. nu. 23.*

De poteſtate iuramenti aduerſus bonos mores præſtiti. ad cap. non eſt obligatorium de regul. iur. in 6.

Cap. XIX.

1 NOn eſt obligatorium aduerſus bonos mores præſtitum iuramentum, ait tex. *in c. non eſt obligatorium de reg. iur. lib. 6.* an hoc ſit intelligendum indiſtinctè videamus. Huneque textum eſſe accipiendum de bonis moribus, quorum inobſeruantia peccatum parit, docent noſtri communiter, *Bald. in l. pacta, quæ contra C. de pact. & ibi Caſtren. nu. 3. & 4. Aret. poſt principium* dicendo ſatis eſſe, vt peccatum ſit veniale. *Iaſ. nu. 3. & 4. Purp. num. 8. & 9.* vbi idem admittit in peccato veniali, *Dec. in l. pactum quod dotali. nu. 3. C. de pactis. vbi Purp. nu. 6. Alciat. col. 3. verſ. ſed cur. Idem Abbas in c. cũ contingat nu. 78. de iur. iur. Aret. in §. æquè, nu. 4. in fine Inſt. de except. Alex. conſil. 21. nu. 14. lib. 3. conſil. 26. nu. 4. lib. 7. Dec. conſil. 655. nu. 16. Rol. conſil. 98. nu. 16 & 17. lib. 1. vbi alios refert. Hondod. conſil. 40. nu. 61. lib. 1. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 28. limitatio. 32. à nu. 9. Io. Gutierez de cõtractibus iuratis p. 1. c. 7. nu. 15. & c. 59. num. 6. Thom. Sanchez ſuper Decalogo lib. 3. c. 9. n. 30. Vincen. Mancinus de iuram. p. 4. effect. 62. nu. 15.*

2 Quæ interpretatio retinenda eſt, quia iuramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, nec in tertij præiudicium cuſtodiri debet, ſi non fuerit dolo, aut metu extortum *c. cum contingat de iur. iur. & quamuis de pact. lib. 6. cum ſimilibus.* Si enim indiſtinctè negligeretur iuramentum contra bonos mores præſtitum, vtique non rarò contingeret, negligi iuramentum, quod non vergit in diſpendium ſalutis æternæ, cum non ſemper contingat, ea, quæ contra bonos mores ſunt, peccatum continere.

3 Mos apud Latinos ſignificat inſtitutum vitæ cõſuetudine firmatum; & ideò vitæ inſtituta ex politica, ciuilique ratione deprompta, cum conſuetudine firmata fuerunt, boni mores ſunt; & proinde non omne iuramentum bonis moribus aduerſans peccati nutritiuum eſt, idque exemplis poteſt confirmari.

4 Iſta ſtipulatio, per quam, liberam teſtandi facultatem quis ſibi adimit, eſt contra bonos mores *l. ſtipulatio hoc modo concepta de verborum oblig.*; eam tamen ſi quis obſeruauerit, in nullum vtique incidit peccatum; quia materia huius conuentionis per ſe liberè pendet à voluntate noſtra, & proinde haber locum in ipſa regula l. in re mandata C. mandati, in re ſua quilibet eſt dominus, & moderator. Idem obſeruare facilè poſſumus in ſtipulatione pœnali ſponſalibus adiecta, quæ bonis moribus aduerſa eſt *l. Titia 134. ff. de verbor. oblig.*

5 Neque

Digitized by Google

5 Neque propterea notandi ſunt iuris Canonici compilatores, quòd indiſtinctè loquuti fuerint, quia cũ in pluribus huius iuris locis habeatur, iuramentum, quod non vergit in damnum ſalutis debere obſeruari, vbicunque de tertij præiudicio nõ agitur, ſi non fuerit metu, aut dolo extortum, iuſtiſſimam cauſam habuerunt exiſtimandi, quemlibet facilè eſſe intellecturum, bonos mores eos ibi intelligi, quorũ neglectus culpam continet; materia enim iuramenti, vt ſæpius fuerat declaratum, ex eo pendet, an iuramentum abſque diſpendio ſalutis æternæ poſſit obſeruari.

9 Cumque iuris Canonici auctores iuſſerint obſeruari iuramentum de ſoluendis vſuris præſtitum, etiam ſi vſuræ à iure naturali, diuino, & Pontificio damnentur *c. debitores, de iur. iur.* quis putabit eos paſſuros eſſe ex eo negligi iuramentum, quòd ciuilibus, & politicis inſtitutis aduerſetur? vt non poſſim ſatis mirari, Marianum Socinum iuniorem acutum alioquin iuris interpretem in hanc ſententiam iuiſſe vt putauerit, hanc idoneã cauſam eſſe, vt iuramentum ſperni poſſit *in l. ſtipulatio hoc modo concepta n. 51. & 52. ff. de verb. oblig.* Denique ſi ex eo liceret gratiam iuriſiurandi facere, quòd ciuilia, politicaque inſtituta offendantur, cur iuſiurandum obſeruari debet, cum præſtitum fuit in dotium alienatione, quarũ conſeruatio tanti eſt in Republica momenti *l. 1. ff. ſolut. matrim.* ad cuius rei cõfirmationem pertinent ea, quæ ſcripſi in c. antecedenti.

7 Cauendũ eſt itaque à Didaco Couarr. *de pactis, p. 2. in princ.* dum poſt Fortunium docet, iuramẽtum aduerſus bonos mores ciuiles, & politicos præſtitum non eſſe obſeruandum, quod etiam docent Seraph. *priuileg. 20. nu. 26. & 27. Theſaur. deciſ. 32. nu. 5. D. Fachin. lib. 8. cap. 73. concl. 3.* eorum nanque fundamentum ex dictis ſublatum eſt. Ex iis enim quæ hucuſque ſcripſimus patet, non omnes bonos mores ex naturali ratione dependere. Imp. tamen Gordianum A. Clyniæ Antoniæ ſic reſcripſiſſe legitur in conſultatione veteris I. C. ante Conſultationes Cuiacij: *Pacta quę contra bonos mores ponuntur, Iuratio non tuetur*: PP. Nõ Octobris ipſo A. & Pompeiano coſſ.: Quod ſi rationis naturalis vires diligẽter, & acutè perpẽdemus, vtiq; intelligemus eam nobis permittere, vt quilibet poſſit eã, quam ius publicum liberam teſtandi facultatem conceſſit, deponere: nam vbiq; natura clamat, poſſe quemlibet priuilegiis ſibi conceſſis renuntiare; eademq; dictat poſſe dum aliquis nuptias alicuius anxiè deſiderat, ideoq; pœnali ſtipulatione ſpem nuptiarum certiorem reddere nulla vtiq; cauſa adferri poteſt, ſi intra meros naturæ terminos conſiſtamus, vt hæc repudientur.

8 In cognoſcendo autem, an bonorum morum inobſeruantia peccatum contineat, inſpici debet perſona eius, qui iurauit; etiam ſi enim ex parte eius, cuius fauore præſtitum fuit iuramentũ, culpa ſit exigere id, quod iureiurando promiſſum fuit, iuramentum tamen eſt obſeruandum, ſi ex parte iurãtis culpa nõ cõmittatur adimplẽdo promiſſa, textus eſt apertus *in c. debitores, de iur. iur. vbi gloſſa in verbo reddere. Ant. de Butr. in prima oppoſitione. Abb. in 2. not. & nu. 5. verſic. ſatis enim eſt. Felin. num. 2. verſic. tamen dicit, & nu. 7. Abbas in c. cum contingat num. 5. verſ. quandoque lex eod. tit. Iaſ. in l. finali, num. 21. in fine, C. de indict. vid. toll. Guid. Pap. deciſ. 80. nu. 3. & deciſ. 581. nu. 3. Couar. p. 2. de pactis §. 3. num. 2. verſ. ſupereſt. Seraph. priuileg. 116. nu. 7. in fine, & nu. 8. Vincen. Manc. qui alios allegat de iuramento p. 1. q. 6. nu. 11.*

9 Immò neceſſe eſt, vt obſeruare iuramentum ſuaptè natura, & directè peccatũ contineat Alexan. *conſ. 28. nu. 10. verſ. non obſtat lib. 3. Abb. conſ. 95. col. 3. verſ. nec iſta cauſa lib. 2. Dec. conſ. 202. nu. 3. Alciat. in c. cum contingat. nu. 79. de iur. iur. Seraph. priuileg. 20. nu. 23. Gutierez de contractibus iuratis p. 1. c. 3. nu. 2. verſ. ſed rationes, & nu. 7. propè finem.* Si enim ex obſeruantia iuramenti peccatum oriretur per accidens, & indirectè, non eſſet ſatis, vt is, qui iurauit ab eius obſeruantia excuſetur, quia quæ principaliter fiunt conſiderantur, non autem ea, quæ in conſequentiam veniunt *l. ſi quis nec cauſam, vbi DD. ff. ſi cert. pet. D. Thom. 1. 2. q. 6. artic. 3. & 2. 2. q. 64. art. 7.* & ita apertè ſentiunt Alex. & alij allegati, & ideò cauendum eſt à Beroo conſil. 164. nu. 15. lib. 2. qui contrarium docet, & nemine allegato teſtatur de communi.

9 Huc pertinet traditio gloſſæ in cap. quamuis de pactis lib. 6. dum declarans textum dicentem, iuramentum in damnum tertij tendens non eſſe obſeruandum, ait hoc eſſe intelligendum de damno, quod venit directè. Sequuntur Felin. *in c. cũ M. Ferrarienſis nu. 29. verſ. & benefacit, de conſtit. in c. finali nu. 4. verſic. benefaciunt de maior. & obed. Iaſ. in l. nequaquam, §. decretum nu. 35. de offic. Proconſul. Abb. in c. cum contingat in fine de iur. iur. & alij de quibus Tho. Sanc. ſuper Decalogo, lib. 3. c. 9. n. 39.*

Finis præcepti an cadat ſub præcepto. ad l. 5. C. de legib. Cap. XX.

1 DEcantata illa Theologorum moralium aſſertio, finis præcepti non cadit ſub præcepto, à paucis benè intelligitur: exponam ergo ea, quę mihi circa ipſam occurrunt. Scriptum eſt: *Scire leges non eſt, verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatẽ* l. ſcire 12. ff. de legibus: Cum ergo vis, ac poteſtas legis conſiſtat in dirigẽdis actibus moralibus hominum l. 2. ff. de legibus, ſequitur, eos ſolos ſcire leges, qui finem legislatoris intelligunt: Cum verò ea de cauſa leges ſcire debeamus, vt eas obſeruemus l. leges ſacratiſſimæ 9. C. de legibus, finem legislatoris ea vtiq; de cauſa debemus perſcrutari, vt ipſi ſatisfaciamus.

2 Concordat l. penult. ff. ad exhib. in illis verbis, *non oportere ius ciuile calumniari, neq; eius verba captare; ſed, qua mente quid diceretur, animaduertere*: quæro autem, an is, qui ſic obſeruat præceptum, vt non ſatisfaciat præcipientis fini, ſequatur verba eius, vel mentem? nemo autem inficiaturus eſt, eum verbis adhærere omiſſa mentis conſideratione; mens enim legislatoris ex eius fine colligitur, quia omne agens agit propter finem, adeas *l. 7. in principio ff. qui pet. tutores l. 2. §. ſi mater in clauſula quid ſi curatores ff. ad S.C. Tertyl. l. 6. de verb. ſign.* quæro inſuper, quid ſit captare verba præcepti? ſi obſeruetur præceptum ſecundum mentem legiſlatoris, clarum eſt, eius verba tunc non cap-

tari; ergo ille captat verba præcepti. qui non ſatisfacit menti præcipientis: ergo is, qui non ſatisfacit fini præcepti, captat verba præcepti.

3 In l. 5. C. de legib. hæc ſcripta ſunt. *Non dubiū eſt, in legem committere eum, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem:* Dum ergo quis obſeruat præceptum quò ad verba, non autem quò ad finem, quem legislator reſpexit, committit in legem, quia operatur contra legislatoris voluntatem: ipſe enim perceptum edidit, vt per eius obſeruationem conſequeretur illum finem, ad quem tendit: hocq; eſt illud, quod legitur in l. contra leges 19. ff. de legibus, *in fraudem verò legis facit is, qui ſaluis verbis legis, ſententiam eius circumuenit.*

4 In c. 6. de verb. ſign. ex D. Hylario hæc legūtur: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus:* Ergo is, qui vult intelligere præceptum ſibi factum, debet cauſam eius intelligere: hæc autem conſiſtit in cognoſcendo eo fine, propter quem id ſibi præcipitur: ergo debet ſecundum huiuſmodi finē operari, non autem ſecundum nuda præcepti verba, quia tunc mentem præcipientis ſubijceret verbis: Huc ſpectat l. in ambiguis 97. ff. de reg. iuris; *In ambiguis actionibus maximè ſententia eius ſpectanda eſt, qui eas poſtulaſſet:* Dùm verba præcepti ſic conſcripta fuerunt, vt non explicent modum eius obſeruandi, oratio ambigua eſt, quia pari facilitate complectuntur duplicem modum operandi, iuxta com. doctrinam, quam exornaui ſupra lib. 6. c. 26. nu. 3.: Ergo is, qui debet obſeruare præceptum, debet maximè ſpectare ſententiam præcipientis: eius autem ſententia ex fine ipſius ſumitur: concordat doctrina D. Gregorij in c. humanæ 22. q. 5. *Non debet aliquis verba conſiderare, ſed voluntatem, ac intentionem, quia non debet intentio verbis deſeruire, ſed verba intentioni:* Dum enim fatemur, hanc eſſe mentem authoris præcepti, vt hoc vel illud per eius obſeruationem ſequatur, verba eius intentioni præferemus, ſi putauerimus ei ipſi ſatisfieri, ſecundum verba, opera noſtra dirigendo, neglecta conſideratione finis, ad quem reſpexit, dum præceptum promulgauit.

5 Concordat id, quod legimus ex D. Hyeronimo in c. marcion. 1. q. 1. dum ait, *nec putemus, in verbis ſcripturarum eſſe Euangelium, ſed in ſenſu, non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum folijs, ſed in radice rationis:* Cur enim non aſſentiemur ijs, qui dixerint, nec putemus, in præceptorum verbis conſiſtere regulas à S. Matre Eccleſia, eiuſq; Paſtoribus, Chriſtianis ad benè viuendum propoſitas, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; nō in ſermonum folijs, ſed in radice rationis: hoc autem qui admiſerit, quomodo poterit affirmare, finem præcepti non cadere ſub præcepto?

6 Hanc doctrinam ea etiam probant, quę leguntur ex D. Auguſtino in canone paratus 23. q. 1.: *ſunt ergo iſta præcepta patientiæ ſemper in cordis præparatione retinenda; ipſaq; beneuolentia ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate complenda eſt: Agenda ſunt autem multa etiam cum inuitis, benigna quadam aſperitate plena: quorum potius vtilitati conſulendum eſt, quam voluntati: Nam in corripiendo filio quamlibet aſperè, nunquam profectò amor paternus amittitur; fit tamen quod nolit, & doleat; qui etiam videtur dolore ſanandus:* Docet ergo D. Auguſtinus, in obſeruandis præceptis à D. N. nobis traditis, mentem præcipientis ſic ante oculos nos habere debere ſemper, vt finē præcepti ſectemur magis, quam externa opera: Ergo idem eſt ex ſententia D. Auguſtini obſeruandum in præceptis Eccleſiæ, cum ad ſalutem dirigant æternam, eo modo, quo efficiunt præcepta præciſa, quæ D. N. nobis in Euangelio propoſuit obſeruanda. Hoc etiam reſpicit §. his omnibus 6. diſtinct. in illis verbis. *Eccleſiaſticæ prohibitiones proprias habent cauſas, quibus ceſſantibus ceſſant & ipſæ:* Si n. cauſa prohibitionis eſt inſpicienda, vt intelligamus quatenus prohibitio nos aſtringat, vtiq; debemus in operando inſeruire ipſi.

6 Concordat D. Thomas 1. 2. q. 96. artic. 6.: quærit eo loci, vtrum liceat ſubditis præter verba legis agere; pro parte autem negante tertiū proponit arg., quod legislator ſuam verbis explicat intentionem; ergo de eius intentione non poſſumus iudicare, niſi ex uerbis: Huic autem arg. ſic ſatisfacit; *Nullius hominis ſapientia tanta eſt, vt poſſit omnes ſingulares caſus excogitare; & ideò non poteſt ſufficienter per verba ſua exprimere ea, quę conueniunt ad finem intentum:* inde concludendo, quod liceat à verbis recedere quando animaduertimus, id conuenire fini à legislatore intento: ergo in obſeruanda lege docet D. Thomas, debere nos, ante oculos habere finem legislatoris, eum pręferendo verborum cortici: Cuius doctrinæ vſus quotidianus eſt; ſub ſpecie enim veriſimilis voluntatis legislatoris paſſim coarctantur verba legum poſitiuarum: Si ergo verborum proprietatem omittimus, vt reſtringamus legum poſitiuarum præcepta ſub prætextu veriſimilis voluntatis legislatoris, quomodo dicere poſſumus, ſola verba legis eſſe conſideranda, dum quæritur, quid ſit faciendum vt eius præcepto ſatisfaciamus?

7 Sic puto, diſtinguere nos debere; aut agimus de præceptis ſpectantibus ad actus interiores animę, aut de ijs tractamus, quæ conſiſtunt in actibus exterioribus: De primis accipienda eſt huiuſmodi doctrina, non autem de ſecundis; Dum enim actus interiores animæ valdè difficiles ſunt, Eccleſia, quæ benigna mater eſt, non præcipit eos præciſè; ſed vt facilius eorum perfectionem aſſequamur ſua edit præcepta, quæ tendunt potius ad præparationem cordis, quam ad præciſam eius diſpoſitionem; In his ergo præceptis dicemus, finis præcepti non eſt in præcepto, quia S. Matri Eccleſiæ melius videtur, coarctare præceptum ad actus exteriores, vt per eos deueniamus ad ſanitatem animæ, quam imperare certam, ac determinatam diſpoſitionem actuum interiorum animæ, dumodo adhibeamus diligentiam ad diſponendam mentem ſecundum ſtatutum noſtrum.

8 Vbi verò agimus de alijs actibus, qui tantā non habent difficultatem, neceſſe eſt dicere, finem præcepti eſſe in præcepto, cum omne agens agat propter finem, nec vlla durities ſit, obligare ſubditos ad diligentiam mediocrem, ſecundum ſuū adhibendam ſtatum, ut per eam cooperentur legislatori ad conſequendum eum finem, quem deſiderat obtinere ob ſalutē ſubditorum: hoc enim, dubio procul, arbitrio piorū, & prudentū æquum eſt, & ſaluberrimum, licet homines frigidi per hoc incidant in peccata multa; ut enim monuit Sco-

tus

Digitized by Google

rus in 4. diſt. 20. q. unica in reſponſ. *legislator non debet ea prætermittere, quæ ſecundum ſe ſunt congruè in lege ordinata; licet aliquis ex illis accipiat occaſionē delinquendi: Recta autem ratio indicat, omnes actus humanos debere eſſe rectè circumſtantiatos rectitudine ſibi debita:* Sunt uerba eiuſdem Scoti in 2. diſt. 42. q. 4. in ſolutione ſecundæ quæſt. Ergo ſubditi in exequendo actus ſibi imperatos à ſuis ſuperioribus tenentur operari ſecundum rectitudinem ipſis debitam iuxta naturam ſuam: hoc autem ſi fiet, ſemper ſatisfacient fini præcepti; tunc enim agens, & patiens ſibi proportionabiliter reſpondebunt; hoc enim ſignificat, patiens actu tale eſſe debere, quale agens eſt potentia, ut idē Scotus declarat. in 4. diſt. 46. q. 4. in quarto articulo in clauſula ad rationem ergo, huc q; tendunt omnia arg. ſupra propoſita; quibus quid oppoſituri ſint probabiliter ij, qui cōtrarium ſenſuri ſunt, non uideo: Video autem, hanc doctrinam ualdè utilem eſſe ad occurrendum relaxationibus morum; & proinde ſpero, prudentes uiros à contraria ſententia defendēda futuros eſſe alienos: Nec dicas, in ieiunijs ſolere diuites uti cibis delicatis, & magni nutrimenti; & tamen abſurdū exiſtimaretur, ſi quis diceret, eos ob hoc non ſatisfacere præcepto ieiunij: quia reſpōdebo, in ieiunijs patētem eſſe conſuetudinem hanc, eiq; nec Prælati Eccleſiæ, nec SS. Pontifices clarè repugnāt: ideoq; dicemus, uniuerſalem conſuetudinem mutaniſſe naturam præcepti ieiunij: quod ergo eo modo, quo hodie recipitur, ſatisfiat ieiunio, non eſt tribuendum regulis Sacræ Theologiæ, aut iuris Canonici, ſed conſuetudini generali eſt aſcribendū; & conſequenter inde arg. ſumi non debet ad alia præcepta intelligenda: nam ſcriptum eſt, *quod non ratione introductum eſt, ſed errore primum, deinde conſuetudine obtentum, in alijs ſimilibus non obtinet l. quod non ratione 39. ff. de legibus.*

Queſtus factus ex pecunia ſpectante ad menſam Capituli an poſſit diuidi inter Canonicos eiuſdem Capituli; Res emptæ ex fructibus beneficij, ut ſuo tēpore dentur in dotem nepti pauperi, an acquirantur Eccleſiæ. Cap. XXI.

1 CVM ex pretio annuorum cenſuum debitorum Capitulo emptum fuiſſet, mediante opera laicorum, oleum vt deinde reuenderetur, factuſq; fuiſſet queſtus non leuis, fuit dubitatū, an huiuſmodi queſtus ſpectaret ad menſam Capituli, an potius diuidendus eſſet inter Canonicos; Pro menſa autē diſputat largè Riccius decil. 167. p. 3: Eius fundamenta huc reſpiciunt, quod queſtus ſit augmentum pecuniæ ad menſam Capituli ſpectātis, & proinde debeat ſequi naturam ipſius iuxta regulā c. acceſſorium de regulis iuris lib. 6. prout accidit in cæterarum rerum augmentis, vt allatis exemplis oſtendit Riccius.

2 Contrarium ſentio, quia in pecunia non datur augmentum proprium, cū ſingula corpora in ſua remaneant quantitate: Augetur quidem numerus pecuniarum, ſed non eſt idem numerus pecuniarum cum corporibus nummorū; & proinde augmentum numeri non inducit augmētum ipſorummet nummorum eo modo, quo accidit in aceruo frumenti, ſi frumento Titij mixtum fuerit frumentum Caij iuxta textum in l. 5. ff. de rei vind. §. quod ſi frumentum inſt. de rer. diuiſ.

3 Cum verò pecunia ſit ſterilis ſecundum Catholicos, neceſſe eſt fateri, eam eſſe incapacem augmēti naturalis: Si ergo eius numerus auctus fuerit, non ipſi, ſed induſtriæ eius accepto id ferendū eſt; & proinde abſurdum eſt dicere, plus valere, ad eius qualitatem cognoſcendam, quod coniuncta fuerit cum priori pecunia, cum ſit per accidens, quam contingiſſe eius opera, qui ipſam acquiſiuit: Hanc rationem cōſiderant DD. com. dum ſcribunt, furem, aut vſurarium non teneri reſtituere id, quod ex pecunia ſurrepta, aut fœneratitia lucratus fuerit; ſic enim ratiocinantur *Scotus in 4. diſtinct. 15. quæſt. 2. §. de quarto, vbi Gabriel. Biel. quæſt. 2. concluſione 2, Maior quæſt. 18. 10; Medina in C. de vſuris uer. de reſtit. vſurarum §. in quarto, Nauarrus in Manuali c. 17. nu. 8; Petrus Nauarrus de reſtit. lib. 4. c. 1. dubitatione 9. nu. 59. cum ſeqq.; Quā doctrinam clarè proponit D. Tomas 22. quæſt. 78. artic. 3. in corpore, & probat Conar. lib. 3. var. c. 3. n. 6. verſ. ſed ad huius quæſtionis ibi imo vſurarius, vbi alios concordantes adducit, latè Salon. de iuſtit. & iure q. 78. artic. 3. controuerſia 4.*

4 Hæc vero intelligas retenta paritate iuris vigentis in fure, & vſurario; quia ſcilicet negotiatio ſic facta fuerit nomine Capituli, vt damnum ex ea contingens per eos reſarciretur, qui in Capitulo ſedent; ſecus enim eſſet, ſi damnum ipſi ſentire noluerint: abſurdum enim eſt, eos velle lucrum percipere eius negotiationis, cuius damnū ſentire noluerunt l. ſecundum naturam ff. de reg. iur.: & per hoc excluditur à quæſtione noſtra deciſio l. ſi, & rem, & pretium in clauſula diſpicito ff. de petit. hæred., quia res hæreditariæ, ex quibus lucrum fecit poſſeſſor hæreditatis, non periſſent eius periculo, ſed hæreditatis vt in l. ſeq. habetur.

5 Nō eſt ſimilis huic ſpeciei illa, in qua quidā Epiſcopus Religioſus ex fructibus ſuæ Eccleſiæ ſuis vſibus deſtinatis parcè viuendo, haud modicam conflauit pecuniarum ſummam, ex quibus quaſdem res emit, non quidem vt Epiſcopus, ſed vti perſona priuata ſibi, ac quibus dederit eas ſtipulando: Cum enim paucis interiectis diebus eaſdem res in dotem ſuæ nepti dediſſet (quæ propter paupertatem, & alijs ex cauſis digna erat huiuſmodi liberalitate) fuit dubitatum de vigore huius dotationis: pro dote autem reſpondit Rota apud Ludouiſium deciſ. 401. n. 7. in fine, & ſeqq.

6 Contrarium autē ſentio per textum in c. 1. 12. q. 3. dum ſancit, *placuit, vt Epiſcopi, Presbiteri, Diaconi, vel quicunq; Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Clericatus, vel Epiſcopatus agros, vel quæcunq; prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum dominicarum inuaſione teneantur, niſi moniti eadem Eccleſiæ contulerint:* vbi notat gloſſa, huiuſmodi res Eccleſiæ acquiri, etiam ſi nomine proprio emptæ fuerint: Concordat textus in c. 3. 12. q. 5. vbi ex D. Gregorio hæc leguntur, *quia Ioānes quōdam deceſſor tuus dum viueret ſæpius à nobis expetijt, vt ea, quæ in monaſterio illo contulerat, quod iuxta Eccleſiam S. Appollinaris ipſe cōſtruxerat, noſtra debuiſſemus auctoritate firmare, & nos, hoc eſſe facturos promiſimus adhortādo, vt nihil de his, quæ illic contulit, atq; conſtituit, aliquo modo patiatur minui: Huius igitur Monaſterij, & collatarum illic rerum, quia in te-*

ſtamento,

ſtamento, quod condidit, feciſſe noſcitur mentionem, ſciendum vobis eſt, non ea ideo nos confirmaſſe, quoniam ſupremam eius ſequimur voluntatem: ſed quia ea (ſicut diximus) viuens promiſimus: Res huiuſmodi traditas monaſterio non fuiſſe ex ijs, quarum diſpenſatio ad Archiepiſcopum illum ſpectabat, euidens eſt, quia non fuiſſet opus confirmatione S. Pontificis: Non debemus etiam dicere, fuiſſe ex ijs rebus, quæ non poterant alienari; cum enim graues contra alienantes cõſtitutæ eſſent pœnę, de quibus in canone monemus cum ſequentibus 12. q. 2; nequaquam Sapientiſſimus, ac Sanctiſſimus Pontifex abſq; præfatione eas rerum Eccleſiaſticarum alienationes confirmauiſſet, quas ille Archiepiſcopus auſu temerario ipſo non conſulto fecerat; quod verò inſcio S. Pontifice illas res huiuſmodi monaſterio tradidiſſet, indicant illa verba, *vt ea, quæ in monaſterio illo contulerat, debuiſſemus noſtra authoritate firmare:* Non videtur itaq; occurrere alia rerũ ſpecies, in qua commodè hæc ſanctio intelligi poſſit, præter eam, quam præ manibus habemus; quãdo ſcilicet Epiſcopus ex pretio eorum fructuum, quorum diſpenſatio ſibi cõceſſa eſt, ea mente quaſdam res emit, vt in Monaſterium huiuſmodi transferret: In his enim repræhenſionis occaſio ceſſat, & confirmationis neceſſitas exiſtit, cum ius diſpenſandi tunc ceſſauerit; propterea quod ſancitum eſt, res emptas ex fructibus rerum Eccleſiarum, aut ex eorum pretio, ipſius Eccleſiæ illico ſic fieri, vt ceſſet ius diſpẽſandi, quod Prælatus habebat in illis fructibus, & eorum pretio.

7 Cum dictis concordat tex. in c. 2. de peculio clericorum, vbi ex Concilio Arelatenſi hæc ſanctio habetur; *Præsbiter cum Diœceſim tenet, de eis, quæ ſuperemerit, ad ipſius Eccleſię nomen ſcripturam faciat: aut ab eius ordinatione diſcedat:* Canon hic ſimpliciter editus non poteſt ſic intelligi, vt non compræhendat eum caſum, in quo voluerit transferre huiuſmodi res in eum vſum pium, cui ipſoſmet fructus, vel eorum pretium laudabiliter poterat applicare, quia eſt caſus ſæpe accidens; & proinde non licet, verba canonis ipſum comprænhendentia ſic coarctare, vt non comprænhendant huiuſmodi caſum: adeas eam *Ariſt. doctrinam, quam propoſui ſupra lib. 4. c. 2. nu. 17. D. Thom. in 1. 2. quæſt. 96. artic. 6, in corpore verſ. contingit, & in reſponſione ad ſecundum, & tertium argumentum, & 22. q. 120. artic. 1. in corpore, & in reſponſione ad ſecundum.*

8 Ad hæc confirmanda ſpectat tex. in c. 3. de peculio clericorum, in quo ex Epiſtola Pij Papæ hoc legimus, *vt vnuſquiſq; Presbiter res, quas poſt diem conſecrationis acquiſiuerit, propriæ Eccleſię relinquat:* Si ſæpè accidere poterat, vt ea mente res huiuſmodi emerent, vt conferrent in eos vſus, quibus applicare poterant fructus, eorumue pretium, cur indiſtinctè id præcipitur?

9 Concordat textus in c. 4. eiuſdem tituli de pecul. clericorum, vbi ſic dicitur. *Inquirendum eſt, ſi quis præsbiterorum ex reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparauit, quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine præsbiter fraudem facere de facultatibus debet:* Remenſe concilium mandat inquiri, an ſuo, alienoue nomine res fuerint à Præsbiteris comparatæ; non mandat autem inquiri, an ea mente id factum fuerit, vt in opera pia conuerterentur; & an is, cuius nomine acquiſitio fuit facta, ex ijs eſſet, cui liceret reditus, oblationes, ac vota huiuſmodi tradere: Hoc autẽ mandatum imprudenter ſic factum fuiſſet, ſi id inquirendum fuiſſet: Ergo manifeſtum eſt, ſacros canones coarctauiſſe facultatem diſpenſandi reditus Eccleſiarũ in opera pia, quomodo adhuc ipſimet fructus extiterint, aut eorum pretium, ac facultatem huiuſmodi ademiſſe reſpectu rerum ex ipſis, aut eorum pretio, acquiſitarum: Nota autem illa verba fraudem facere, quia explicant malitiam ipſius actus in hoc cõſiſtentem, quod ſi noluerint in ſuos vſus conuertere reditus, ac oblationes, aut ex ipſis aliqua opera pia facere; ſed maluerint, ex eis aliquas res comparare, omnino debere, nomine Eccleſiæ id facere: & proinde omiſſio nominis Eccleſię fraudem ſemper continet, ſiue nomine ſuo quis comparauerit eas, ſiue alieno, quia nõ permittitur ei, ſuo vel alieno nomine id facere: Quo poſito verum eſt indiſtinctè, hoc eſſe ſacrilegium æquale furtis Iudæ proditoris, qui ſacras oblationes furabatur.

10 Ex quibus patet, non ſubſiſtere argumentum ab ijs propoſitum, qui contrarium docent; quod nempe ſubrogatum ſapiat naturam eius, in cuius locum ſubrogatum fuit; nam hoc nihil aliud eſt, quã clarè aduerſari dictorum canonum ſanctioni diſtinguenti in propoſito, res cõparatas ex reditibus Eccleſiaſticis ab ipſiſmet reditibus: Quod verò dicitur, rem ſuccedere loco pretij, huic quæſtioni conuenire nullo modo poſſe intelliges ex ijs, quæ ſcripſi lib. 6. c. 23. à n. 12. ad n. 17. Quod verò Iulius 3. & alij recentes SS. Pontifices velut ſpolia capi mandauerint res emptas ex reditibus Eccleſiarum, non ex eo deſcendit, quod non debeantur Eccleſiæ, niſi eius nomine fuerint emptę, cum clarè id decernant allegati canones; ſed quia haud rarò difficile eſt, inuenire executores ſacrorum canonum hac in re, cum interſit eorum, qui reditus habent Eccleſiaſticos, ipſorũ ſanctionem non obſeruari: Ne ergo per hoc nimis laxaretur diſciplinæ Eccleſiaſticæ rigor, conſultiſſimè fuit ſancitum vt collectores ſpoliorum hoc munus exercerent.

Res emptas à piratis Infidelibus, quando ad eorum regiones delatæ fuerunt, an emptor retinere poſſit inuito domino. Cap. XXII.

1 COmmunis opinio eſt, res emptas à latronib᾽, reſtituẽdas eſſe prioribus dominis vt liquet ex authoribus allegatis à Rota deciſ. 120. apud Farinaccium in primo reſpõſorum volumine, vbi decidit, habere locum hanc doctrinam etiam ſi piratæ infideles ſint, & in ſuas regiones redierint cum rebus raptis: Circa quod hæc examinanda propono viris doctis, ac pijs.

2 Dominum habentem pro derelicto res ſuas amittere earum dominium, non eſt dubium l. 1. & toto tit. ff. pro derelicto: Dominos autem earũ rerũ, quas hi piratæ rapuerunt, & in ſuas regiones portauerũt, debemus dicere, eas pro derelicto habuiſſe, cũ nullam habeãt ipſas recuperandi ſpem: a hoc enim in propoſita quæſtione pro conſtanti ponimus. Scriptum eſt, id quod tibi non nocet, & mihi

& mihi prodeſt, concedendum eſſe, etiam ſi iure deficiamur l. 2. §. idem Varus ff. de aqua pluuia arcenda: At dominis rerũ huiuſmodi non nocet præſumere animum derelinquẽdi huiuſmodi res, alijs autem prodeſt, ergo id benigne concedi debet, etiam ſi fortè, ſtricta diſputandi ratio id præſumi vetaret: Non nocet Dominis hæc præſumptio, quia nõ reddit difficiliorem recuperationem rerum ſuarum: imò verò reddit faciliorem, quia hac ratione, aliquo mercatore Chriſtiano has res in regionibus piratarum emente, faciliùs, quam aliàs contigiſſet, eas recuperare poterit ſoluto minore pretio, quam ipſi accidiſſet, ſi huiuſmodi res remanſiſſent in ragionibus infidelium.

3 Dicam melius, dum piratæ, aut latrones noſtratibus vendunt res raptas in regionibus Principium fidelium, rectè dicimus, omnino prohibendum eſſe ipſis commercium, quia deficiẽtibus emptoribus rerum raptarum, ſegniores reddentur in rapiendo res alienas: Vbi verò res huiuſmodi ad infideles deferunt, quòd noſtri abſtineant ab ipſis emendis in regionibus infidelium, nullum prorſus inijciet piratis impedimentum ad perſeuerandum in rapinis, cũ apud infideles, emptores huiuſmodi rerum nunquam ſint defuturi: Cum verò hæc quæſtio diſputetur in ea ſpecie, in qua dominus harum rerum prętermittit ea facere, quæ oſtẽdunt animum recuperandi haſce res à piratis, magnam habemus occaſionem credẽdi, eum habuiſſe haſce res pro derelicto.

4 Dices, imò tacitus expectat vt res huiuſmodi ab aliquo mercatore emantur, & ad hunc portum deferantur, vt poſſit eas recuperare, eo modoq; quo is, cui fures, aut latrones res ſuas ſurripuerunt, aut rapuerunt, retinet animum eas recuperandi, & per hoc alienus eſt ab habẽdo eas pro derelicto: Reſpondeo, quod ſtatim ac euulgatum fuerit, hoc in loco ſolere Iudices cogere mercatores reſtituere dominis eas res, quas a piratis infidelibus in eorũ regionibus emerunt, illico omiſſuros eſſe emptionem huiuſmodi rerum, & proinde retentio huiuſmodi voluntatis recuperãdi res ſuas, deſtruit ſpem eas conſequendi; ergo hac in re differunt piratæ infideles à piratis fidelibus, latronibus, cæteriſq; furibus; in his enim huiuſmodi animus ſuffragari poterit, cũ fidelibus res raptas, aut ſurreptas vendere ſoleant; de quibus ſpes veriſimilis eſt, quod nolint æternæ ſalutis iacturam facere.

5 Si ergo dominus rerum ab infidelibus raptarum, ex retentione animi recuperandi has res non poteſt vtilitatem conſequi, cur negabimus, credendum eſſe, eum habuiſſe res huiuſmodi pro derelicto, cum nihil ex ijs faciat, quæ eum facere oporteret, ſi res illas recuperare vellet? hoc eſt non mandat id alicui in ijs regionibus verſanti, ad quas creditur res huiuſmodi à piratis fuiſſe delatas: Deſiderare autem, vt aliquis eas à piratis emat, & ad ſuam regionem deferat, vt eas, modica ſoluta pecunia recuperet, vani hominis opinio eſt, de qua non eſt habenda ratio, prout de vano timore non curamus l. 6. ff. quod metus cauſa.

6 In obſcuris id ſequimur, quod veriſimilius eſt, aut plerunq; accidit l. in obſcuris 115. ff. de reg. iuris: cum ergo rariſſimè accidat, eas res, quas piratæ infideles rapuerunt, & ad ſuas regiones detulerunt, à noſtris recuperari, niſi curauerint, eas in huiuſmodi regionibus ſuo nomine emi; & à veriſimili nimis diſtet, vt quis ſperet, eſſe euenturum, vt res huiuſmodi ad eum locum deferantur, vbi eas poſſit recuperare, merito dicemus, eſſe exiſtimandum, dominum huiuſmodi rerum habuiſſe eas pro derelicto, quotieſcunq; non mandat, ipſas emi in illa regione, ad quam delatas fuiſſe exiſtimat.

7 Dum agimus de interpretanda mente hominum plurimum vrget conſideratio ſenſus communis l. 4. in principio C. de nat. lib. cũ allegatis à Peregr. conſ. 23. nu. 18. lib. 3; cum ergo à ſenſu communi longiſſimè abſit, vt quis putet, ſe eſſe recuperaturum ſuas res ab infidelibus raptas, & ad ſuas regiones delatas, niſi mandauerit, aut mandare cogitet, in huiuſmodi regionibus eas emi, merito dicemus, non eſſe audiendum eum, qui dixerit, non habuiſſe eas pro derelicto, cum abiecerit curam ipſas recuperandi; non curauit enim, alicui mandare, vt eas ſuo nomine emere curaret ab ijs infidelibus, apud quos exiſtunt.

8 Animus talis præſumitur, qualem facta demonſtrant l. 1. §. finali ff. de dolo, & tradunt DD. com. apud Barboſam axiomate 27; Cũ itaq; dominus harum rerum nihil ex ijs faciat, quæ ad recuperãdas haſce res tendunt, debemus dicere, eum non eſſe ex ijs, qui res ſibi ſurreptas recuperare ſtudẽt; hi enim ea adhibent, quæ recuperationem huiuſmodi parere poſſunt: ſi dixeris, eum putare, nullam ſibi ſupereſſe rationem illas recuperandi; replicabo, ergo depoſuit animum eas recuperandi, ne ſtultus exiſtimetur exiſtimando, ſe poſſe recuperare eas res, quibus recuperãdis remedia deficere neceſſaria clarè intelligit: Dices iterum, eum deſiderare vehementer, ſe habere remedia opportuna ad ea recuperanda, & propter hoc nõ videri eum, habere eas pro derelicto: Non rectè; quia deſideria earum rerum, quas impoſſibiles cognoſcimus clarè, breuia eſſe ſolent; & proinde, poſteaquam multis diebus ſecum ipſe hanc rem examinauerit, nullo reperto remedio idoneo abijcit hanc cogitationem velut rei impoſſibilis; hocq; eſt, habere eas res pro derelicto l. 3. l. finali ff. pro derelicto: Hoc autem diſtinguit has res ab ijs, quas noſtrates ſurripuerunt, quia experientia oſtendit, ad notitiam dominorum ſæpiſſimè venire detentores rerum ſuarum, & ab ipſis recuperari, cum tamen ſecus ſit in rebus, quas piratæ infideles rapuerunt, & ad ſuos detulerunt: niſi .n. à Mercatoribus Chriſtianis apud infideles negotiantibus emantur, impoſſibile eſt moraliter loquendo, vt ad eas regiones deferantur, vbi dominus earum poſſit ipſas recuperare: Deſinent autem Mercatores Chriſtiani eas emere in locis infidelium, ſi tenebuntur ipſas priori domino reſtituere.

9 Ad hæc confirmanda ſpectat l. qua ratione 9. §. finali ff. de acq. rer. dominio, dum Caius ait, *alia cau a eſt eorũ, quæ leuandæ nauis cauſa eiciuntur. Hæ enim dominorum permanent, quia non eo animo eiciuntur, quod eas habere non velit, ſed quò magis cum ipſa naue periculum maris effugiat*; Si quis enim interrogauerit dominum harum rerum, cur omittat, eas recuperare à piratis, reſpondebit, adeo magnum ſumptum id deſiderare, vt ſibi magis expediat, pecuniam ad hoc neceſſariam retinere, quam re-

rum

Digitized by Google

rum huiuſmodi recuperationi incumbere: omittit ergo earum recuperationem, quia non credit, ſibi expedire, cum tanto ſumptu ſuas res habere, ergo eas habet pro derelicto; qui enim vult cõſequens, vult neceſſarium antecedens l. 2. ff. de iuriſd. omn. iudicum.

10 Huc etiam ſpectat l. falſus 44. §. ſi iactum ff. de furtis dum ait, *& ſi quidem derelinquendi animo iactauerit, quod plerumq; credendum eſt, cum ſciat periturum, qui inuenit, ſuum fecit:* Cum enim ille, qui ſcit, ſuas res à piratis infidelibus ad certum locũ fuiſſe delatas, eas non requirit, etiamſi ſciat, eas eſſe perituras ſi id omiſerit, iure cum I. C. dicemus, eum derelinquendi animo id facere: Dices, id ab eo omitti, quia ſcit, laborem hunc eſſe ſuperuacaneum: reſpondebo autem, quia fruſtratorium putat, circa hoc laborare, hac de cauſa eũ res habere pro derelicto.

11 Hanc ratiocinationem adiuuat l. qui leuandæ 38. ff. ad l. Rhodiã de iactu, vbi Iulianus ſic ſcribit, *qui leuandæ nauis cauſa aliquas res proiiciunt, non hanc mentem habent, vt eas pro derelicto habeant, quippe ſi inuenerint eas ablaturi; & ſi ſuſpicati fuerint, in quem locum iactæ ſunt, requiſituri, Vt perinde ſit, ac ſi onere preſſus unam rem abiecerit, mox cum alijs reuerſurus vt eandem auferret:* Cur I. C. requirit adeo aſſiduã curam rei ſuæ recuperandæ, niſi quia euidens ſignum eſt rei habitæ pro derelicto, quod eo tempore negligat, eam recuperare, quo timendum eſt, ne ab alio ſic capiatur vt ignoretur, apud quem ſit? Hoc eſt autem id, quod dicimus, dum aſſerimus, dominum rerum ab hiſce piratis raptarum habere eas pro derelicto, dum negligit, eas à piratis recuperare ſtatim ac ſuſpicatus fuerit, quò loci eas detulerint: Dices, Caium excludere animum habendi pro derelicto ex eo, quod dominus capturus ſit ſuas res, ſi in ipſas inciderit: Reſpondeo, non illico introduci à nobis animum habendi pro derelicto, ſed cum dominus negligit earum recuperationem: noſtro itaq; caſui applicanda eſt altera pars textus, non autem prima, cum ei non poſſit conuenire; nam agimus de rebus à piratis ad ſuas regiones delatis, & ſub cuſtodia ipſorum, aut aliorum exiſtentibus.

De iuſto pretio mercium, quæ venduntur habita eius fide. Cap. XXIII.

1 CIrca iuſtum pretium mercium, quæ venduntur habita fide pretij, non nulla in mentem mihi venere, quæ doctis, ac pijs viris examinanda propono: Triplex conſideratio loci, vbi merces venduntur, in propoſito occurrit; prima eſt, quando plures emere ſolent eiuſmodi merces habita fide de pretio, quàm præſenti pecunia; Secunda eſt, quando plures præſenti pecunia emunt, quàm habita fide de pretio; Tertia eſt, quando non poteſt determinari, plures ne hoc, an illo modo emant.

2 Circa primam conſiderationem illud occurrit, quod iuſtitia pretij dapẽdet ex vſu maioris partis populi l. pretia rerum ff. ad l. Falcidiam; ergo in conſtituendo pretio debet conſiderari, quod plures emunt habita fide pretij, quàm præſenti pecunia: Secundò perpendendum eſt, quod iuris, æquitatis, & publici commodi ratio non permittit, ſic conſtitui pretium mercium, vt mercatores non poſſint queſtum honeſtum facere: Hoc autẽ dubio procul contigit, ſi hoc in caſu quantitas pretij mercium determinetur ſecundum conſiderationem eorum, qui præſenti pecunia merces ſuas vendunt: Ergo in conſtituendo pretio debent conſiderari ea incommoda, quæ ſecum eo loci afferre ſolet vendere huiuſmodi merces habita fide pretij.

3 Hinc ſequitur, in huiuſmodi locis non eſſe deducendã iuſtitiã pretij mercium ex eo pretio, quò venduntur præſenti pecunia, quia in hiſce locis mercatores ſepiſſimè indigent pecunia numerata; hacq; de cauſa, cum eam preſentem vident, remittunt multum de pretio huiuſmodi mercium, ne ſibi elabatur occaſio habendi illam pecuniam: Et proinde infimum pretium exiſtimandum videtur illud, quo merces eo loci præſenti pecunia diſtrahi ſolent; ideoq; ex eo non debet regulam accipere venditio facta habita fide de pretio; quia iuſtitię, & ęquitatis ratio poſtulat, eã poſſe peruenire vſq; ad extremũ iuſti pretij ſummi terminum.

4 Quod ſpectat ad tertiam conſiderationem, res dubia videtur, quia pãr in parem nõ habet imperium; & proinde æquũ non videtur, in determinãda quãtitate pretij, alterũ ex his extremis capere, cum incertum ſit, vtrum ex ipſis præualeat: E contra verò durum eſt, damnum afferre mercatoribus, & valde difficilem reddere hominibus præſentem pecuniam non habentibus, rationem comparandi merces ſibi neceſſarias, vel opportunas.

5 Illi qui præſentem pecuniam habent, facile poſſunt merces vili pretio comparare, cum ſemper adſint mercatores putantes ſibi expedire, eas infimo pretio vendere, dumodo præſenti pecunia diſtrahant ipſas: ergo eis non nocet, pretium huiuſmodi mercium determinari iuxta eam partem, quæ reſpicit ementes abſq; pecunia præſenti; E contra determinando pretium iuxta eos, qui præſenti pecunia emunt, in anguſtias magnas conijciuntur illi, qui præſenti pecunia carent; mercatores enim ſcientes, magnum extare numerum eorum, qui præſenti pecunia emunt, abſtinebunt ab huiuſmodi venditionibus.

6 Vtilitatis ergo publicæ ratio iubet, vt pretium decernatur iuxta eos, qui abſq; præſenti pecunia emunt, quorum vt plurimum maior eſt numerus, nec propterea extorquebunt mercatores lucrum iniuſtum, quia plerunq; ipſis expedit, præſenti pecunia vendere merces iuxta illud pretium, quo ſolent vendi, quando emptor nullam dilationem ad ſoluendum poſtulat.

7 Quò ad ſecundam conſiderationem illud vrgent, quod diximus; vſum nempe maioris partis populi decernere quantitatem pretij, & quod in mixtis præualet pars potẽtior l. queritur 10. ff. de ſtatu hom.: E contra verò vrgere videtur, expedire Reipublicæ, ſic conſtitui pretia mercium, vt poſſint omnes facilius, quam fiari poſſit, ea comparare, quæ ſibi neceſſaria ſunt, vel opportuna; Hoc autem contingere non poteſt, ſi pretium ſumatur ex vſu eorum, qui præſenti pecunia emunt merces, quia mercatores ab ijs abſtinebunt emptoribus, qui præſenti pecunia carent, cum ſciant, pluximos præſenti pecunia emere ſolere.

8 Hæc

8 Hæc ratio mihi videtur vrgentiſſima, quia mercatura ſic inſtitui debet, vt plenè vſibus eiuium deſeruiat; hoc autem fieri non poteſt, niſi merciũ pretium determinetur iuxta opportunitatẽ eorũ, qui præſentem pecuniam non habent; nec propterea damnum inferimus emptoribus præſentẽ pecuniam habentibus; vt enim dixi, & experientia quotidiana confirmat, mercatores minori pretio vendunt huiuſmodi emptoribus, quam faciant alijs præſenti pecunia deſtitutis.

9 Nec te deterreat vſus Populi plerunq; ementis præſenti pecunia, quia idem Populus ſcit, & patitur, maiori pretio merces diſtrahi habita fide precij: Dicimus ergo, in conſtituendo pretio mercium conſiderari ea, quæ in ijs diſtrahendis contingunt, & inter alia, quod quotidie accidit, multas merces vendi pretio non præſenti: Populus autem ſolet conſtituere, illud eſſe iuſtum pretiũ, quod continet lucrum honeſtum, ſiue præſenti pecunia vendantur merces, ſiue abſq; ea; & proinde illud pretium iuſtum eſſe populus cenſet, quod adeo latum eſt, vt poſſit conſuli vtriuſq; generis emptoribus: Hoc autem contingit cũ pretium eiuſmodi eſt, vt per ipſum tam venditori conſulatur, quam emptori paratam pecuniam habenti: Pretium itaq;, quo merces præſenti pecunia vendi ſolent, non ſummum, ſed medium, vel infimum eſt cenſendum; ex hoc autem ſequitur, illud pretium, quo vendunt merces habita fide de pretio, non excedere pretium à populo conſtitutum: Hæc de re grauiſſima inſinuare magis, quam explicare volui; cum doctiſſimis enim Theologis, quibus hæc conſideranda committo, paucis agendum eſt: doctiſſimis inquam, quia hæc res eorum excedit captum, qui numerare magis, quam expendere ſententias conſueuere.

Cenſus annuos ſoluendos eſſe in certa ſpecie monetæ an pacisci liceat. Cap. XXVI.

1 PRæſens controuerſia verſabitur circa eam dubitationẽ, quę valde exagitatur inter recentes ſcriptores, an in annuis cenſibus valeat cõuentio, vt certa ſpecies monetę aureæ, aut argenteę ſoluatur, quam nouiſſime tractauerũt elaboratè, & acutiſſimè Larrea deciſ. Granatenſi 24. P. Auguſtinus Vbaldinus in conſultatione ſacra, quam de hac re edidit in hac Regia Ticinenſi Vrbe anno 1626: Antequam autem ſententiam meam explicem, admoneo, huius pacti damnum in eo conſiſtere, quod venditor cenſus vix poteſt capere ex eo vtilitatem re moraliter accepta; magnum autem damnum ex eo pati poteſt, non modo quia facilè eſt, augeri eius valorem amplius quam accidat nummis eiuſdem generis; ſed etiam quia poteſt, ob raritatem nummorum huius ſpeciei ſic creſcere difficultas eos inueniendi, vt opus ſit, maiori precio ipſos emere, quam valere ſoleant: quo in caſu per augmentum aliorum nummorum nõ poteſt damnum compenſari: vt interim nõ omittam, augmentum monetarum maiorum non ſemper inducere augmentum minorum vt nunc experimur.

2 Augere obligationem venditoris cenſus abſque eius vtilitate iuſtitia pati non poteſt, quia ſeruat æqualitatem inter contrahentes iuxta ſcripta ſupra lib. 11. contr. 40. n. 1. cum ſeqq.: Sed nullam percipit vtilitatem venditor cenſus quod acceperit aureos, puta Hiſpanos; argenteos, puta, Mediolanenſes, magiſquam aliam ſpeciem nummorum vſitatorum; e contra autem poteſt magnum damnum ſentire ex eo quod teneatur ſoluere aureos Hiſpanos, vel argenteos Mediolanenſes; ergo nõ poteſt admitti hæc conuentio, quia iuſtitia commutatiua ſemper requirit æqualitatem inter contrahentes, vt eo loci oſtendi.

3 Secundò conſidero, ex pecunia meliori neminem poſſe expectare maiorem vtilitatem, quã patiatur eius valor eo loci receptus, in quo eam vult alteri numerare, quia neminem inuenturus eſt, qui eam recepturus ſit maiori valore, quam alij recipiant, quando facile eſt eo loci, ſimiles nummos, valore vſitato ſoluto, reperire: Ergo iniuſta eſt eius poſtulatio, dum vult obligare venditorem cenſus ad ſoluendos eius prouentus annuos in ea ſpecie monetæ, quam ei numerauit, cum hæc obligatio eum plus grauet, quam mereatur valor huiuſmodi monetæ, cum numerando ei aliam nummorum ſpeciem ei ſimilem quò ad valorem, non poſſet talem poſtulare obligationem.

4 Dicam clarius, inter eos argenteos, quos vocamus *ducatoni* alij ſunt inferioris valoris, alij æqualis; ſæpe tamen contingit, eos parem ſortiri ęſtimationem à populo: ſi quis pro precio cenſus numeraret argenteos inferioris valoris, quantum ad veram ſpectat æſtimationem, vtiq; iniuſtè peteret, venditorem cenſus ſe obligare ad ſoluendos eius prouentus in argenteis maioris valoris, quia non adeſt æqualitas inter ipſos per ſe, ſed per accidens; Dum verò quis numerat argenteos Mediolanenſes, vel aureos Hiſpanos eo tempore, quo populus eos habet tanquam ęquales cum alijs aureis, argenteiſq;, re ipſa nihil amplius ei dat, quam tribueret numerando aureos, ac argenteos eiuſdem quidem generis, verum alterius ſpeciei: ergo non eſt permittendum ipſi ob numerationẽ aureorum Hiſpanorum, ac argenteorum Mediolanenſium illi obligationi ſubijcere venditorem cenſus, cui eum non poterat ſubijcere ſolutis ipſi aureis, vel argenteis alterius ſpeciei.

5 Dices, diuerſitatem eſſe manifeſtam, quia aurei Hiſpani verè ſunt meliores cæteris aureis eiuſdem generis, & argentei Mediolanenſes ſunt meliores ijs argenteis, qui æqualem ipſis à Populo habent valorem: Reſpondeo, eum qui emit annuum cenſum, ſe conformare debere naturæ huius contractus iuxta regulam l. qui cum alio ff. de reg. iuris, l. ſi vno ff. locati: cum itaq; ij vendant annuos cẽſus, qui paratam habent occaſionem expendendi eorum precium, debet vtiq; æſtimare vtilitatem venditoris cenſus iuxta huiuſmodi deſtinationem l. in obſcuris 115. de regulis iuris: & conſequenter debet eam æſtimare ſecundum ſtatum præſentem monetarum huiuſmodi; eo autem inſpecto non accipit ille plus vtilitatis ex numeratione aureorum Hiſpanorum vel argenteorum Mediolanenſium, quam accepiſſet ex alijs eiuſdem generis aureis argenteiſq;; cum ergo in re ſit paritas, nõ eſt aliud quærendum, cum leges rebus imponantur l. 2. in fine C. com. de legatis.

6 Dices rurſus, hoc oriri ex proprio defectu venditoris cenſus, qui non debet conuerti in damnũ

emptoris: non rectè, quia emptor debet perſuadere venditori cenſus, vt ſibi vendat annuum illū cenſum, quod facere non poteſt niſi ei oſtenderit, ipſi expedire, cenſum ſibi vendere l. ſi voluntate 8. C. de reſcind. vend.; hoc autem facere non poteſt niſi conſideret valorem monetæ ſecundum illud tempus, quo eam expendere vult: Quod ſi replicaueris, in hoc genere contractus ſæpiſſimè accidere, vt venditor interpellet venditorē, nihil ages, quia non propterea venditor emptoris ſe cōmittit voluntati; & proinde conditionea contractus deinde examinantur, nec perficitur, niſi venditori perſuadeat emptor, ei expedire contractum perficere: ergo neceſſe eſt, vt conſideret vtilitatem ſecundum illum vſum, cui venditor deſtinauit precium cenſus: ergo non poteſt plus vtilitatis ex numeratione capere, quam ſit ea, quā ſenſit venditor ex aureis, & argenteis ſibi numeratis: & hæc eſt differentia exiſtens inter mutuantem, & vendentem cenſum: nam mutuans moderatur obligationem reſtituendi ſecundum naturam rei, quam accepit l. 2. §. mutui datio ff. cert. pet.: vt interim non omittam, mutuum plerunq; breue poſt tempus reſtitui, annui autem cenſus ſunt perpetui; & per hoc damnum, quod in cenſibus occurrere facilè poteſt, perrarò accidet in mutuo; quod non conſideratur in conſtituenda regula generali l. omnis definitio de reg. iuris.

7 Hinc autem ſequitur, quod conuentio ſoluendi monetam iuſti ponderis non ſit intelligenda abſolutè, ſed quatenus opus eſt, vt facilè expendi poſſit: Verba contractuum ſic intelligi debent, ne iniuſtitia introducatur inter contrahentes, etiā ſi oporteat trahere ipſa ad ſenſus extraneos l. ſi vno ff. locati: habere aureos iuſti ponderis, in pleriſq; regionibus valde difficile eſt, & proinde in magnas venditor conijceretur anguſtias, ſi ei opus eſſet, inuenire aureos iuſti præciſè ponderis: Itaq; hoc pactum eſſet iniuſtum, cum nullam vtilitatem ſenſerit ex eo, quod ſibi numerati fuerint aurei iuſti ponderis; nam propter hoc non creuit eorum valor: debent ergo huiuſmodi verba accipi reſpectu facilitatis expendendi aureos, quod eius ponderis ſint, vt facilè eo tempore expendi poſſint, quo erunt ſoluendi.

8 Cum verò in obſcuris id ſequamur, quod veriſimilius eſt, aut plerunq; accidit l. in obſcuris 115. de reg. iuris, debemus exiſtimare, aureos numeratos venditori cenſus fuiſſe eius ponderis, cuius eſſe ſolebant tunc temporis aurei, qui communiter expendebantur, niſi dictum fuerit, eos iuſti ponderis præciſe fuiſſe; & proinde iniuſta conuentio eſſet, ſi voluiſſet eum obligare ad ſoluendos aureos iuſti præciſè ponderis, quod excludere debemus: adeas ſcripta ſupra lib. 15. c. 40. nu. 8. & 9: Quod ſi ex argenteis ſolutum fuerit precium cenſus, iniquiſſima conuentio eſſet, quia ſolutus fuit valor aureorum vſitatorum, & proinde non debuit obligari ad plus, quam ad ſoluendos, ſuis temporibus aureos tunc temporis, quò ad pondus vſitatos.

9 Dices, multum in propoſito differre, aureos expendi facilè poſſe ſecundum valorem aureorū eiuſdem ſpeciei, eoſq; eſſe iuſti præciſè ponderis, quia tunc vendi poſſunt maiore precio: reſpondeo, obligationem ſoluendi aureos, argenteoſq; iuſti præciſè ponderis, poſſe conijcere venditorē cenſus in maximas anguſtias ob penuriam, quæ interdum accidit ſimilium nummorum præciſè habentium debitam ſibi materiam: ergo maiori precio, quam cæteri cenſus fiant, debuit vendi cenſus ſimilem obligationem habens: cum itaq; venditus fuerit cenſus huiuſmodi eo precio, quo cæteri cenſus vendi ſolebant, non debemus exiſtimare, maiorem, quam in cęteris fieret cenſibus, obligationem fuiſſe iniunctam venditori cenſus, iuxta com. doctrinam, de qua in d. c. 40. nu. 8. & 9. lib. 15.

10 Dictis autem non obſtat doctrina Pauli in l. Paulus 99. de ſolut. in principio, dum docet, creditorem non eſſe cogendum accipere nummos alterius formæ, ſi ſibi damnoſum fuerit; quia id verum eſt, ſed non facit ad rem noſtram, quia ſupponit Paulus, certam ſpeciem nummorum fuiſſe in obligatione, debitoremq; velle ſoluere nummos alterius formæ; nos autem agimus de nummis certis in obligatione ponendis vel non.

11 Ex dictis videtur ſequi, valere conuentionem, vt ſoluantur aurei, argenteiq; eius generis, cuius ſoluti fuerunt venditori cenſus: verum res, ſi acurè conſideretur, aliter ſe ſe habet; cum enim venditori cenſus nimis obeſſe poſſet, obligari ad ſoluendos præciſè aureos, vel argenteos eiuſdem generis, huiuſmodi obligatio merebatur augmentum precij cenſus; cum itaq; fuerit venditus precio ordinario, ſic debemus intelligere conuentionem de ſoluendis aureis, vel argenteis eiuſdem generis, vt non introducatur iniuſtitia in contractu iuxta doctrinam Papiniani in d. l. ſi vno ff. locati; ſi ſcilicet non erit id damnoſum venditori cenſus: vbi verò id ei damnoſum erit, poterit ſoluere in ea moneta, in qua ſolui ſolent cenſus eo tempore venditi pari precio: huc reſpicit l. ſi cui 9. de ſeruit.: Ad hanc autem diſputationem ſpectant ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 17. c. 24.

De pacto circa diuiſionem rei litigioſæ inito cum Aduocato causæ Patrono, alioue quò ad forum externum, & internum. ad l. ſi quis Aduocatorum C. de poſtul. l. ſumptus ff. de pactis. Cap. XXVI.

1 Circa pactum de quota litis hæc examinabo in præſenti capite: primò quæram, an reprobetur indiſtinctè in omnibus perſonis, ſecundò an in foro conſcientiæ valeat, tertiò, an pactum initum cum perſona ſanguinis vinculo, aut beneuolentia valde coniuncta cum Aduocato, Patronoue cauſæ præſumatur factum ſimulatè, quartò an valeat promiſſio, palmarij nomine facta: de quibus tractant Farinaccius quæſt. 106., Menochius caſu 521, Medices deciſ. Senenſi 37. cum antecedenti examinatione, Fontanella deciſ. 179. & 180. Expendamus ergo noſtrarum legum placita, & primo l. ſi quis Aduocatorum C. de poſtul. *Si quis Aduocatorum. ait Conſtantinus Magnus, exiſtimationi ſuæ immerita; atq; illicita compendia prætuliſſe, ſub nomine honorariorum, ex ipſis negotijs, quæ tuenda ſuſceperat, emolumenta ſibi certæ partis, cum graui damno litigatoris fuerint inuenti, placuit, vt omnes, qui in huiuſmodi ſæuitate permanſerint, ab hac profeſſione penitus arceantur.* In hac conſtitutione primò notandum eſt, eam docere, Aduocatos negligere ſuam exiſtimationem, dum conſcribunt pacta cum litigantibus

gentibus de quota litis: ergo huiuſmodi pacta exiſti-mantur à cæteris indigna bono Aduocato: quis autem dixerit, in foro conſcientiæ non debere obtinere eam legem, quæ edita fuit vt conſeruetur bona Aduocatorum fama, cum ſcriptum ſit, honorem meum nemini dabo? ſi hæc pacta inducunt ad vtilitatem litigantium, cur adeo malè audiunt Aduocati ea ineuntes? in rebus practicis experientia eſt rerum magiſtra; non debent ergo ij, qui in foro nō verſantur, iudicium ferre de damnis, quæ hæc pacta inducunt, ſed iudicium legislatoris debent ſuo præferre, ne propriæ videantur inniti prudentiæ aduersùs præceptum Salomonis, de quo in c. ne innitaris de præſumpt.

2 Illicita compendia vocat Imp. ea, quæ ex huiuſmodi pactis capiunt Aduocati; quia ſcilicet non remittitur voluntati eorum, honoraria ſibi conſtituere, ſed publicæ relinquitur poteſtati l. 1. §. in honorarijs ff. de var. & extraord. cognit.; quis autem dixerit, legem honoraria Aduocatorum moderantem non obligare in foro interiori? non dicuntur ergo illicita hæc compendia ex eo tantum, quod malis artibus fuerint comparata, ſed etiam, & quidem principaliter, quia excedunt modum conſtitutum honorarijs Aduocatorum: Si verò liceret plus conſequi à litigantibus per hæc pacta, non ne ſuperuacanea lex redderetur? dicet autem quis, ſanctionem, quæ lata fuit, ne fraus fieret ſaluberrimæ ſanctioni, non obtinere in foro conſcientiæ? adeas l. non dubium C. de legibus.

3 Ait Imp. cum graui damno litigatoris, ac deprędatione poſcere Aduocatum à litigatore, vt de quota litis ſibi tradenda conueniat: Cur ita? quia plus ab eo poſtulat, quàm leges permittant ei, ex victoria huiuſmodi litis conſequi: quia prædonū inſtar patronus cauſæ aggreditur miſerum litigatorem eo tempore, quò eius deſiderium euadere non poteſt, dum eum hortatur ad ineundum pactum de quota litis: Si enim eius manus euadere poſſet, vtiq; alium eo dimiſſo, ſuæ cauſæ compararet defenſorem: Hocq; eſt illud, quod debent illi perpendere, qui hoc pactum pro valido ſuſcipiunt in foro conſcientiæ; Niſi enim malis artibus litigatorem compræhendiſſet, ad alium ſe ſe contuliſſet Aduocatum, ne tantam ſubiret iacturā.

4 Poſtremò perpende illa verba, quibus Imp. ait, Aduocatos huiuſmodi pacta facientes in ſæuitate permanere, & intelliges, conſuetudinem Aduocatorum ad hæc illicita compendia aſpirantium, ſæuos eos reddere, hoc eſt immites, dum pauperem litigatorem eo deducere ſtudent, vt neſciens quò ſe vertat, cupiditati ſuæ aſſentiendo conſcribat pactū, quod deſiderat de quota litis: Cum verò lex imponatur rebus non verbis l. 2. in fine C. comm. de legatis, meritò reijcimus eorum interpretationes, qui hanc ſanctionem excludunt à promiſſione certæ quantitatis, vel rei non litigioſæ, aut ſub nomine palmarij; quæ enim, ſi effectū inſpicimus, inter hæc differentia exiſtit? Eam autem ſanctionem, quæ occurrit fraudibus in re valde graui, dices ne ceſſare in foro conſcientiæ? nemo vtiq; vir prudens id affirmauerit; vbi enim maius eſt periculum, ibi eſt cautius eſt agendum c. periculum de elect. lib. 6; in iudicanda hac lege Neq; n. eſt inſpiciendum, quid vnus, vel alter facturus ſit, ſed conſiderari debet, quantum obeſſe poſſit, apud Aduocatos pro bonis recipi in foro hæc pacta, ſpoliare ſe ſuis affectibus dum ſpeciē boni habent, valde difficile eſt: non debent ergo confeſſarij, iudices in propria cauſa conſtituere pœnitentes, quando agitur de damno tertij, quia proprij commodi amor facillimè eis perſuadebit, malas non eſſe artes, quibus vtuntur, etiam ſi malæ ſint. Remedia ergo à prudentibus legiſlatoribus aduersùs rapinas malorum Aduocatorum inuenta, ij enertunt, qui dicunt, hanc legem in foro interiori non obtinere: fundamenta autem adeo euidentia non viderunt illi, qui docuerunt, tutum eſſe in foro cōſcientiæ Aduocatum, qui ex pacto huiuſmodi quidpiam fuerit conſecutus, meritò ergo illud, bona venia dixerim, vſurpabimus, ſi cæcus, cæcū duxerit, ambo in foueam cadent.

5 Expendamus nunc l. ſumptus 54. ff. de pactis; in ea Vlp. ſic ait, *ſumptus quidem prorogare litiganti, honeſtum eſt: paciſci autem, vt non quantitas eo nomine expenſa cum vſuris licitis reſtituatur, ſed pars dimidia eius, quod ex lite datum erit, non licet*; non eſſe intelligendum hunc locum de Aduocato, Cauſidicoq; tantum, oſtendunt verba Vlp. abſolutè poſita; hoc enim perperam factum fuiſſet, ſi cæteris id liceret, nā rem in abſtracto examinat, non autem in aliqua ſpecie ſibi propoſita, vt ex verbis allegatis liquet, & ex opere, vnde hæc lex ſumpta fuit, ex libro nempe 4. opinionum.

6 Ad idem ſpectat l. ſi contra licitum 20. C. mandati, vbi hæc leguntur: *ſi contra licitum, incertum litis redemiſti, tibi fidem impleri fruſtra petis*: quomodo fruſtra petit, ſi in foro interiori tenetur ei ſatisfacere? Cum verò incertus euentus pariter redimatur, dum promittitur res non litigioſa, vel ſub nomine palmarij, non poſſumus in his pactionibus diuerſum ius obſeruare: ſequuntur deinde hæc verba, *quod ſi gratuitum mandatum ſuſcepiſti, ſecundum bonā fidem ſumptus rectè poſtulas*: Agitur ergo in hoc textu, non de Cauſidico, aut Aduocato, ſed de eo, qui onus litis proſequendæ ſuſcepit, quod genus hominum appellamus *ſolicitatori*. Et ſi autem nos vocare ſoleamus Cauſidicos Procuratores, in iure tamen noſtro nūquam huiuſmodi nomine nuncupantur; de iſſq; agitur in titulis de poſtulando, nō autem in titulis de Procuratoribus, & mandati: Quod ſi animaduerteris morem Cauſidicorum in Tribunalibus inſignibus cum nomine verſantium, intelliges, mandata à litigantibus ipſis non dari ad ſuas lites proſequendas, ſed alijs, qui ſolliciti ſunt circa acta huiuſmodi litium ſuo tempore peragenda; ideoq; abſonum eſt, hunc textum, qui indiſtinctè agit de ſuſcipiente mandatum ad litem agendam, coarctare ad Cauſidicos: quod eo minus fieri debet, cum agat de mandato gratuito; neq; enim ſolent Cauſidici mandata gratuita ſuſcipere.

7 Cum verò in hoc textu ità demum concedatur repetitio ſumptuum, ſi gratuitum mandatum ſuſceperit, apparet, eum, qui de quota litis pactum conſcripſit, nec quidem ſumptus repetere poſſe; quia ſcilicet non ſuſcepit mandatum gratuitum, ſed pactus fuit, ſibi tradi certam partem eius, quod ei dabitur virtute rei iudicatæ in ea lite, quam proſequendam ſuſcepit: ſicq; docent cum gloſſa Bal. Caſtr. Salic. & alij com. apud Farinac. quæſt. 106. nu. 9. nu. 61. cum ſeqq.; ex quo intelligis, quàm

graue exiſtimetur à legum conditoribus, hæc pacta conſcribi; abſurdum ergo eſt, ea ſuſcipere conuentiones veluti validas in foro interiori, quas velut pernicioſas adeo ſeuere legum conditores puniunt: imo multarum Regionum ſtatuta, ac conſtitutiones pœnas addunt varias aduersùs huiuſmodi pactorum authores, & proinde inuiteretur propriæ prudẽtiæ ille, qui forenſium negotiorum ignarus, ex ſuo intellectu metiri vellet, quam ſit pernicioſum, huiuſmodi pacta aliquam habere firmitatem.

8 Expendamus nunc reſponſum Papiniani in l. 7. ff. mandati, *ſalarium procuratori conſtitutum, ſi extra ordinem peti cęperit, conſiderandum eſt, an laborem dominus remunerare voluerit, atq; ideo fidem placitis haberi oporteat, an euentum litium, maioris pecuniæ præmio, contra bonos mores procurator redemerit.* Cum procurator litis ille ſit, cui dominus litem agere mandauit, ſiue is ſit Cauſidicus, ſiue alius forenſiũ actionum imperitus, mera calumnia eſſet negare, in hoc textu omnem contineri perſonam, quæ litem alienam agendam ſuſcepit, cum adeo alienũ ſit à legum noſtrarum Conditoribus, Cauſidicos appellare nomine procuratorum, vt nullus appareat locus, in quo Cauſidicus tali nomine nuncupetur, qui non haberet ſpeciale mandatum ad huiuſmodi litem, agendam: & hoc; ibi benè docet Cuiacius lib. 3. reſponſorum Papiniani.

9 Monet autem Papinianus, inſpicere nos quantitatem ſalarij, vt cognoſcamus, an redemptor litis ſit exiſtimandus: quia ſcilicet fruſtra prohiberetur redimi lites alienas, ſi liceret quodcunq; conſtituere ſalarium procuratoribus lites nomine domini proſequentibus; nam ſub nomine ſalalarij id acciperent, quod ex euentu litium eos aucupari leges vetant: Idem ergo dicemus de palmario, & de promiſſione rei ſub lite non compræhenſæ; quid enim refert, ex his rebus, vel ex litigioſis ſatisfieri cupiditatibus redemptorum litium, vel palmarij nomine, aut alio titulo id ipſum habere, quod diſcupiunt?

10 Nota autem poſtrema verba Papiniani, quia docent, hæc pacta aduerſari bonis moribus; quod etiam habetur *in l. 1. §. ſi cui cautum ff. de varijs, & extraordin. cognit. in l. litem 15. C. de procur.*: Cum itaq; ſcriptum ſit, non eſſe obligatorium, aduerſus bonos mores præſtitum iuramentum c. non eſt oblig. de reg. iuris lib. 6, quomodo admitti poterit, has pactiones accipere à iuramento virtutem obligandi? neq; enim dici poteſt, hos eſſe bonos mores politicos magis, quam morales, de quibus agitur in hoc textu vt oſtendi lib. 1. contr. 15. nu. 1. cum ſeqq.: dices, ex ibi ſcriptis num. 8. ſolui hoc arg.; quia ſcilicet offenſio bonorum morum tunc impedit virtutem iuramenti, cum incidit ex parte eius, qui iurauit, quod non accidit in hac re: reſpondeo, grauiter offendere bonos mores Aduocatum, qui perſeuerauerit in hac conuentione d.l. qui Aduocatorum C. de poſtul.; cum ergo opus ſit ad conſeruandum pactum de quota litis, vt Aduocatus, Cauſidicus, aut quiuis alius, qui id fecit, perſeueret in promiſſione defendendę litis, ob quam litigator ſe obligauit l. 2. §. circa primam ſpeciem ff. de doli mali, & metus except., conſequens eſt, conſeruationem huius pacti habere ſuum fundamentum in perſeuerantia alterius partis in ea promiſſione, quæ per ſe offendit bonos mores naturales: hæc autem connexitas euertit promiſſionẽ litigantis, etiamſi admitteremus, eã poſſe per iusiurandum validam fieri, quia in indiuiduis vtile per inutile vitiatur, vt docent DD. noſtri paſſim, de quibus Auguſtinus Barboſa axiomate 231. nu. 2. cum ſeqq.

11 Conſideremus nunc doctrinam Vlp. in l. 1. §. ſi cui ff. de var., & extraord. cognit.: ait autem, *ſi cui cautum eſt honorarium, vel ſi quis de lite pactus eſt, an petere poſſit:* Ex profeſſo hoc exponit; non poſſumus ergo, ſic eius dicta exponere, vt indiſtinctè ea propoſuerit, que facilè diſtingui poterant: hoc enim eſſet; eum redarguere: pergit autem Vlp.: *Et de pactis quidem ita reſcriptum eſt ab Imp. noſtro, & diuo patre eius: litis cauſa malo more pecuniam tibi promiſſam, ipſe quoq; profiteris*; litis cauſa, ſcilicet vincendæ, nam remunerare laborem eius, qui ſuam litem agit, honeſtum eſt l. 7. ff. mandati: non exponitur autẽ ab eo quantitas pecuniæ, quia ſat eſt, eam eſſe talẽ, quæ ob victoriam magis præſtetur, quã ob remunerationem laborum, quod prudens Iudex æſtimabit; illud autem, quod pro palmario promittitur, non ne victoriæ litis cauſa promittitur? agit autem hoc reſcriptũ de pecunia ex cauſa litis promiſſa, quomodo ergo eorum diſtinctio conſiſtit, qui dicunt, aliud eſſe, paciſci de parte eius, quod litigatur, vel de ea re, quam lis non complectitur? ſi enim dixerint, in eo reſcripto actum fuiſſe de lite pecuniaria, ab ipſis quæram, vnde hoc colligant?

12 Sequuntur in reſcripto hæc verba: *Sed hoc ita ius eſt, ſi ſuſpenſa lite ſocietatem futuri emolumenti cautio pollicetur: ſi verò poſt cauſam actam cauta eſt honoraria ſumma, peti poterit vſq; ad probabilem quantitatem, & ſi nomine palmarij cautum ſit*; nota illa verba, *ſed hoc ita ius eſt*, quia ſignificant, authores huius reſcripti voluiſſe, diſtinctione adhibita, eas adimere dubitationes, quę poterant incidere: caueas ergo, ne tu eos redarguas ſuplendo eas diſtinctiones, quas verba reſcripti non ſuggerunt: Nota inſuper diſtinctionem litis pendentis, & finitæ, quæ vtiq; ſuperuacanea eſſet, ſi pendente lite valere poſſet illa cõuẽtio, quã finita lite permittit: nota inſuper illa verba honoraria ſumma, & intelliges, hic agi de certa pecuniæ quantitate promiſſa, quæ poſt litem finitam ſolùm conceditur: nota deniq; illa verba, & ſi nomine palmarij cautum ſit, quia hinc intelliges, intra quos limites contineri debeat promiſſio nomine palmarij facta, ideſt, lite finita, & vſq; ad probabilem quantitatem.

13 Quæ autem ſit probabilis quantitas, hæc verba exponunt, *ſic tamen vt computetur id, quod datum eſt, cum eo, quod debetur, ne vtrumq; compoſitum licitam quantitatem excedat: licita autem quantitas intelligitur in ſingulis cauſis vſq; ad centum aureos:* Agitur de honorario poſt litem finitam pro palmario promiſſo, nec patitur reſcriptum, ipſum excedere legitimam quantitatem; qui dicunt, hæc pacta valere in foro conſcientiæ, concedunt ne legislatori politico ius moderandi honoraria Cauſidicorum, ac Aduocatorum? ergo illicitum eſt, plus accipere, quam leges permittant, non quidem ſub prætextu, quod Aduocatus ſit curaturus malis artibus, victoriam conſequi (in hac enim ſpecie lis finita erat) ſed quia lex non vult, Aduocatum accipere

pluſ-

pluſquam centum aureos pro ſingulis cauſis; illi autem qui vltra metas legitimæ quantitatis aliquid ſtipulantur, poſſunt ne excuſari in foro conſcientiæ? Si lex non permittit, Aduocatos accipere vltra centum aureos in ſingulis cauſis, quomodo tu ei permittis ſtipulari vltra hanc quantitatem, pecuniam, aut alias res ſub lite non comprehenſas.

14 Remanet poſtrema quæſtio de fratre, aliaue perſona valde coniuncta cum Aduocato, vel Cauſidico de quota litis paciſcente, ſi lis per ipſum fuerit tractata; quæ ſupervacanea futura eſt apud eos, qui præferunt leges authoritatibus Doctorũ; ſupra enim oſtendi, omnibus hoc pactum vetari; neceſſaria tamẽ erit apud imbecilles intellectus, qui à Doctorum traditionibus non audent recedere, quamuis clariſſimè cognoſcant, malo inniti fundamento; Nunquam leges ſic exponimus, vt ipſis poſſit fraus fieri l. non dubium C. de legibus; ergo non poſſumus admittere in fratribus, alijſue perſonis coniunctis cum Aduocatis, & Cauſidicis pacta de quota litis, cum huiuſmodi ratione faciliè ſit, eludere legum prohibitionem; non poſſunt enim detegi taciti contractus, quos ſimul habuerunt: idem euincit regula l. in obſcuris 115. ff. de reg. iur. in obſcuris ſcilicet nos ſequi debere id, quod veriſimilius eſt, aut plerumq; fit; quis enim negauerit, à veriſimili nimis abeſſe, eum qui litium agendarum peritus nõ eſt, ſubire onus tractandi alienas lites? quis dixerit, eius fratrem, conſobrinumue, niſi ad ſe tracturus eſſet pactionis illius compendium, in huiuſmodi lite ſedulam præſtiturum eſſe operam cum euidenti iactura exiſtimationis? quis dixerit, eum qui hoc pactũ conſcripſit, à foro abſtinere relinquendo omnem curam litis fratri, aut conſobrino, cum experientia doceat, ſanguinis vinculum non eſſe ſatis ad excitandos Aduocatos, Cauſidicoſq; niſi ij præſto adſint, de quorum re agitur: rectè ergo dicemus, cum nudum nomen præſtitiſſe, & inſpiciendum eſſe, quid res ipſa indicet nobis, omiſſa negotij cortice: *i fatti ſono maſchi, le parole ſemine*.

25 Non eſt prætereunda conſtitutio l. per diuerſas C. mand.; ſi enim licet paciſci de quota litis ijs, qui non ſolent vacare forenſibus negotijs, cur eis non licebit conſcribere huiuſmodi pactũ, & deinde emere pro eo precio actionem, quo emere conſtituerant incertum euentum illius litis? cur non licebit eis, conſcripto hoc pacto, nomine illius litem tractare? hæc autem clarè repugnant huiuſmodi ſanctioni vt animaduertit Cuiac. lib. 16. obſer. 16: diſtinguere autem hæc ea ratione, quia in terminis l. per diuerſas lis agitur nomine ceſſionarij, in noſtra autem ſpecie tractatur nomine domini, nihil aliud eſt, quam imponere legem verbis, non rebus aduerſus regulam l. 2. in fine C. com. de legatis.

Solutum per errorem iuris an poſſit repeti ſi fuerit indebitũ tam naturaliter, quam ciuiliter tã in foro externo, quã interno: ad l. cumquis 10. C. de iuris, & facti ignor. Cap. XXVII.

1 PLacet quidem paſſim noſtris, & præcipuè in comentarijs l. 1. ff. de condict. indebiti, l. cũ quis 10. C. de iuris, ac facti ignor. concedi repetitionem eius, quod per errorem iuris fuit ſolutũ, cum indebitum eſt ciuiliter, ac naturaliter; verum, re acutè conſiderata longè recedunt à tenore legũ noſtrarum, quód mox oſtendere ſtudebo ſequendo veſtigia *Eguinarij Baronis ad tit. inſt. quib. modis re contrahit. obligatio, Duareni ad tit. ff. de condict. indebiti, Cuiacij lib. 19. reſponſorum Papiniani ad l. 7. ff. de iuris, & facti ignor. Donelli lib. 1. comentar. c. 21. & lib. 14. c. 14. D. Fachinei lib. 8. controuerſia 106*; Primò autem loco expendenda eſt l. cum quis 10. C. de iuris, & facti ignor. vbi hæc leguntur: *Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam ſoluerit, ceſſat repetitio*: ignorans ius ille ſoluit, qui citra errorem facti putat, ſe debere pecuniam, quam verè non debet: Si dicimus, aliquo iure eum debere ipſam, vtiq; falſum eſt, ignorantem ius ſoluiſſe pecuniam huiuſmodi, quia eam debuit ſecundum tenorem eius iuris, à quo obligabatur: ſi dixeris, cum putauiſſe, ſe debere eo iure, ſecundum quod verè non debebat, exiſtimando, ſe non debere id, eò iure, quo vere debebat.

2 In magnas incides anguſtias, quia difficilimum erit tibi, inuenire ea exempla, quæ ſatis ſint ad conſtituendam huiuſmodi regulam, cum obligationes naturales, & perpetuæ exceptiones lumine naturæ adeo ſint cognitæ, vt difficillimum ſit, quẽpiam ſenſus communis participem poſſe exiſtimare, id quod debetur naturaliter, deberi ciuiliter, non autem naturaliter, & è contra: ergo textus eſt intelligendus de eo, qui ideo ſoluit, quia putabat, ſe aliquo iure debere id, quod nullo modo debebat: idq; clariſſime ſequentia verba indicant. *Per ignorantiam enim facti repetitionem tantum indebiti ſoluti competere tibi notum eſt*: cum in hac clauſula reddatur ratio antecedentis doctrinæ, vtique debemus intelligere ipſam, quatenus ſe extendit ratio, quam exprimunt hæc verba: cum itaq; doceãt, ignorantiam facti tantum parere repetitionem, vtiq; hæc verba docent, ignorantiam iuris ſic excludere repetitionem, vt nõ poſſit fundari ſuper ipſa, niſi interuenerit ignorantia facti; Si enim ſufficeret aliquo caſu ignorantia iuris, malè diceretur, ob ignorantiam tantum facti concedi repetitionem.

3 Conſidera inſuper contextum huius legis: dum Impp. aiunt: *Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam ſoluerit, ceſſat repetitio*: aut enim agebant de eo caſu, in quo nullo iure pecunia debita erat, aut de illo, in quo debebatur aliquo iure; aut non fuit id narratũ Impp.: Si dixeris primũ, euertis receptam ſententiam, quia eo in caſu negatur ius repetendi, in quo per errorem iuris id ſolutum fuit, quod omni iure erat indebitum: Sin autem ſecundum affirmaueris, opus eſt, te confugere ad indebitũ naturaliter, ciuiliter autem debitum; tunc autẽ, vt cætera prætercam, non poteris defendere rationẽ in reſcripto allegatam, quod repetionem pariat error facti tantum, quia debebant dicere, ceſſare repetitionem, quia erat debitum naturaliter, omiſſa diſtinctione erroris iuris, & facti, cum authores ſententię receptæ doceant, quò ad debitum naturaliter, non differre errorem iuris ab errore facti; Sin autem tertium dixeris, neceſſe eſt affirmare, non fuiſſe narratam Impp. ſpeciem facti, ſed abſolutè fuiſſe quæſitum ab ipſis, quæ nam ignorantia pariat repetitionem indebiti: hoc verò ſenſu retento,

Digitized by Google

tento, redarguis Impp. ſi admittis, aliquo caſu iuris ignorantiā parere repetitionem, cum ipſi poſt doctrinam negantem abſolutè propoſitam, quod iuris ignorantia non facit locum repetitioni indebiti, reſcripſerint, eam oriri ex ignorantia tantum facti: nota autem poſtrema verba huius reſcripti *tibi notum eſt*; ſi enim ille de hoc Impp. interrogauit, quomodo reſcripſerunt, eſt id notum eſſe? quia nempè voluerunt ſignificare, in propoſito non admitti allegationem ignorantiæ iuris iuxta regulam l. leges ſacratiſſimæ 9. C. de legibus.

4 Secundò vrget l. error 9. C. ad legem falcidiam, cum dixiſſet Imp. *error facti, quartę ex cauſa fideicōmiſſi non retentæ repetitionem non impedit: is autem, qui ſciens, ſe poſſe retinere, vniuerſum reſtituit, condictionem non habet*: addidit hæc verba, *quin etiam, ſi ius ignorauerit ceſſat repetitio*: augent hęc verba doctrinam ſecundæ clauſulæ; quod enim dixerat, ſciens ſe poſſe retinere ampliat, etiam ſi ignorans, ſe habere ius retinendi quartam, integrū fideicommiſſum ſoluerit: & proinde docet; æquiparari enim, qui ſcienter omittit retinere quartam, cum illo, qui ideo non retinet, quia ignorat, ſe habere ius eam retinendi: ergo hoc omnino impedit repetitionē l. cuius per errorem 54. de reg. iuris: Deinde quæro, an integrum fideicommiſſum eſſet debitū naturaliter? ſi affirmas, notas Imp. quod conceſſerit repetitionem eo in caſu, quo per errorem facti id contigit, nam obligatio naturalis impedit repetitionem indebiti *l. naturaliter 13. de condict. indebit. l. naturales 9. de act. & oblig. l. fideiuſſor obligari 17. §. fideiuſſor de fideiuſ.*; ſin autem dixeris, naturaliter nō fuiſſe debitum integrum fideicommiſſum, fateris, indebitum fuiſſe naturaliter, & ciuiliter quò ad partem ad quartam ſpectantem, & tamen Imp. clarè docet, errorem iuris impedire repetitionem: quod verò dicitur in l. 1. C. ad legem falcidiam, non videri plus debitò ſoluiſſe eū, qui omiſit falcidiam, accipias eo caſu, quò id fecit ſcienter: hoc enim ſignificat illa verba, *quo pleniorem fidem reſtituendæ portionis exhiberes*: Conſiderata inſuper proprietatem verborum *non videri*: & intelliges, ſenſum reſcripti huic eſſe, ſic ſuſcipi, haberiq; hanc ſolutionem, vt non contineat plus debito, etiam ſi verè contineat; idem ſignificat Iuſt. in l. finali eiuſdem tituli dum ait, *hæredem, qui plenam fidem teſtatori exhibet, inſolidum legata dependentem, non poſſe poſtea rationem legis falcidiæ prætendentem repetitionę vti, quia videtur voluntatem teſtatoris ſequi*: ad quam ſententiam confirmandam adeas l. ſi ſponſus ſponſæ §. ſi quis rogatus de donat. inter virum, & vxorem.

5 Ad noſtram ſententiam confirmandam valdè etiam vrget reſcriptum Veri, & Antonini Impp., de quo in l. regula 9. §. ſi quis ff. de iuris, & facti ignor. primò loco cōſideranda eſt doctrina Pauli; *ſi quis ius ignorans lege falcidia vſus non ſit, nocere ei, dicit Epiſtola D. Pij*: ſecundo cōſidera hæc reſcripti verba: *Quod ex cauſa fideicommiſſi indebitum datum eſt, ſi non per errorem ſolutum eſt, repeti non poteſt*: nota in primis, indebitum appellari abſolutè id, quod pro falcidia poterat retineri: ſecundò nota, abſolutè concedi repetitionem, ſi per errorem id fuerit ſolutum; hoc autem non erat concedendum l. naturaliter 13. de condict. indeb.: in vltima autē parte huius reſcripti hæc leguntur, *Quod ſi ijdem repetitionem eius pecuniæ ſe habere credunt, quod imperitia lapſi legis falcidiæ beneficio vſi non ſint: ſciant, ignorantiam facti, non iuris prodeſſe, nec ſtultis ſolere ſuccurri, ſed errantibus*: cum in principio reſcripti dixiſſent, ſolutum per errorem repeti poſſe, poterat arripi occaſio id trahendi ad eos, qui ob ignorantiam iuris errauerunt, ideoq; Impp. ad occurrendum huic dubitationi reſcribunt: *Sciant, ignorantiam facti, non iuris prodeſſe*: ergo error iuris non ſufficit ad inducendam repetitionem: Cum verò error facti non ſuffragetur ad inducendam repetitionem dum adeſt obligatio naturalis d. l. naturaliter 13. de condict. indebiti, vtiq; pares erunt error facti, & iuris quò ad rem noſtram, ſi error iuris tribuet ius repetēdi ea de cauſa, quod naturaliter ſit indebitum: quod ſi dixeris, tunc repetitionem concedi, non quia ſit indebitum naturaliter, ſed quia indebitum eſt naturaliter, ciuiliterq; reſpondebo, vt cætera præteream, id, quod retinetur ob legem falcidiam eſſe debitum ei, cui auffertur, naturaliter, ſi credimus authoribus ſententiæ, quam impugnamus: ergo non erat diſtinguendum in hac ſpecie inter errorem facti, & iuris: Cum verò replicari poſſet, ignorantiam iuris errorem continere, eos autem, qui errant dignos eſſe, quibus ſubueniatur, dixerunt Impp., nec ſtultis ſolere ſuccurri, ſed errantibus: ſi illi, qui ius ignorant, verè errant, cur ſic eos diſtingunt ab errantibus, vt ipſos appellent ſtultos, hos autem errantes? concordat Vlp. in l. 2. ff. de confeſſis, dum ſcribit, nō fatetur qui errat, niſi ius ignorauerit, ex quibus locis confunduntur illi, qui aiunt, dari condictionem ſoluentibus per errorem, cum ij, qui labuntur ob ignorantiam iuris, habeantur pro ſtultis, nō autem pro errantibus vt benè notauit Donellus. Vbi quid nullo iure debetur, ibi maior ſtultitia erit, (ſi ſtultitia exiſtimatur, quod etiam notat gloſſa, errare in iure) quam ei poſſit imputari, qui errat eo in caſu, quo debitum eſt ciuiliter tantū; abſonum ergo eſt, ſic interpretari dicta Impp. vt admittant repetitionem indebiti quò ad eos, in quibus maior ſtultitia extat, eos excludendo, in quibus minor extitit, cum ideo eos excludant à repetitione, quia ſtulti exiſtimantur illi, qui errant in iure.

6 Ad noſtram ſententiam firmandam pertinent l. 6. C. de condict. indebiti: *Si per ignorantiam facti non debitam quantitatem pro alio ſoluiſti, hanc ei, cuius nomine ſoluta eſt, reſtitui, eo agente prouidebit*: non debitam quantitatem appellant Impp. abſolutè, ergo nullo iure debita erat: reſtringunt autem ius repetendi ad errorem facti, ergo clarè docent, ſecum eſſe in iuris errore: cum verò dicant, ſi per ignorantiam facti ſoluiſti, non poſſumus affirmare, expoſitam fuiſſe qualitatem erroris, quia tunc non erat aliud quærendum l. cum precum 9. C. de liberali cauſa; & conſequenter ſatis erat dicere adito rectore prouinciæ fuerit probatum: cum itaq; non fuiſſet expoſitum, qualis error fuiſſet, munus Impp. erat diſtinguere inter errores iuris, ſi non eſt perpetua prohibitio repetendi, quia ſolutum fuit indebitum ex ignorantia iuris.

7 Congruit etiam noſtræ ſententię l. fideicommiſſum 7. C. de cond. indeb. *fideicommiſſum, vel legatum indebitum per errorem facti ſolutum, repeti poſſe, exploran iuris eſt*: indebitum aiunt abſolutè Impp.

ergo

Digitized by Google

ergo docent, fideicommiſſum, ac legatum abſolutè indebitum repeti non poſſe, ſi fuerit ſolutum per errorem iuris: non rectè enim dictum fuiſſet per errorem facti, ſi pari iure vteretur error iuris: Indebitum autem legatum dici poteſt tripliciter, vel quia inutile ſit teſtamentum, in quo fuit relictum, vel ex incapacitate perſonæ; aut ex eo, quod teſtator noluit, ipſum relinquere eo in caſu: Primò modo poteſt quidem accidere error facti, veluti quia ignorauit teſtium conditionem, & putauit, adhibitam fuiſſe ritè eam ſolemnitatem, quę minus ritè adhibita fuit ob errorem facti; ſæpiſſimè tamen accidit, tunc incidere errorem iuris: Hoc poſito dico, circa hæc non fuiſſe dubium, quia nihil de ipſis dicitur in lege; ergo error contigit eo in caſu, quo defectus conditionis indebitũ reddebat legatum, quo in caſu omnino indebitum eſt l. vnica §. ſin autem ſub conditione C. de cadúc. tol.; & proinde caſus huius legis verſabatur in ea ſpecie, in qua par eſt error facti, & error iuris; ergo reſtrictè dixerunt, eo in caſu repetitionem habere locum, ſi per errorem facti ſolutio contigerit.

8 Concordat cum dictis l. 2. de iuris, & facti ignor. *in omni parte error in iure, non eodem loco, quo facti ignorantia haberi debebit: cum ius finitum eſſe poſſit, & debeat: facti interpretatio plerunq; etiam prudentiſſimos fallat*: in omni parte ait I. C., ergo regula vniuerſaliter propoſita exiſtit contra receptam ſententiam: ratio autem huius regulæ magis viget contra eos, qui errant circa id, quod nullo iure debetur, quam aduerſus errantes circa debitum eius, quod non eſt omni iure indebitum; quomodo autem poſſunt authores receptæ ſententiæ excludere ab ipſa eum caſum, in quo magis viget ratio eius, quam accidat caſui, quem ſub ea compræhendunt? Hinc autem intelligimus, excludi à repetitione indebiti eos, qui per errorem iuris ſoluunt indebitum, non quia acquiſiuerit ius ea in re is, qui indebitum accepit, ſed in pœnam ſtultitiæ ſoluentis, ideoq; locum habebit regula c. non remittitur de reg. iuris lib. 6.

9 Verùm conſiderandum eſt, non tractari de condictione indebiti, ſi res extiterit, quia ipſa vindicanda eſt l. interdum 29. de condict. indeb.; quia nempe habet animum ſoluendi debitum, non autem cogitat, ex alio titulo eum facere dominum §. item is cui inſt. de oblig. quæ quaſi ex contr. naſc. & conſequenter traditio huiuſmodi non eſt habilis ad traſſerendum dominium §. per traditionem de rer. diu.; & proinde error iuris non impediet, rem ſolutam indebitè vindicari; & hoc eſt illud, quod docet Papinianus in l. 7. de iuris, & facti ignor. iuris ignorantiam non nocere ſuum petentibus: ſecundum quem ſenſum idem Papinianus in l. ſeq. dixit, omnibus iuris error in damnis rei ſuæ non nocet; tunc enim agitur de amittenda re ſua ob errorem iuris, cum impeditur dominus vindicare rem ſuam ex eo, quod per errorem iuris ipſam tradiderit velut debitam ei, cui eam tradidit. Sicq; hos locos optimè declarat Donellus: vbi enim res vſu, aut alia ratione conſumpta fuit, non dicimus, eum amiſiſſe rem ſuam ob errorem iuris, ſed quia amplius non exiſtit in rerum natura; per condictionem autem indebiti non poſtulat rem ſuam, ſed eius æſtimationem; qua de cauſa Iuſt. loco allegato dixit, eum, qui accipit indebitum, perinde obligari, ac ſi mutuum ei daretur.

10. An autem in foro Poli tunc obligetur is, qui indebitum accepit bona fide ab eo, qui id ſoluit per errorem iuris, ſi res amplius non extiterit, videamus: Sic diſtinguendum eſſe cenſeo, aut ex indebito auctum fuit eius patrimonium, vel fuit factus ille ſumptus, quem de ſuo feciſſet; aut res periit, vel ſic conſumpta ab eo eſt, vt re conſiderata ab effectu durante, non fuerit factus locupletior: in primo caſu obnoxius erit reſtitutioni, quia natura non patitur, aliquem locupletari cum aliena iactura l. nam hoc natura 14. de condict. indebiti, quę ratio apud Chriſtianos iudices potior eſſe debet, quã ſit ſtultitię culpa, quam iuris ciuilis authores iis opponunt, qui in iure errant.

11 In altero autem caſu naturæ regulæ ei non aduerſantur, cum res illa non exiſtat, nec inde ſuum auxerit re ipſa patrimonium; quia pecuniam perdidit, aut id profligauit, quod ex precio huiuſmodi rei comparatum fuit; rectè enim tunc dicimus, ſtultitiæ ſuæ pœnam eum ſubire debere, non aliũ; quod vtiq; accideret, ſi ſoluens per errorem iuris tunc petere poſſet æſtimationem rei ſuæ, accipiens autem indebitum bona fide, ſubijceretur, ſui patrimonij diminutioni, quam non pateretur, ſi ille prudens fuiſſet: non debemus ergo tunc recedere à iuris ciuilis regulis, quæ repetitionem denegant.

12 Dices, obligari velut ex mutuo eum, qui accepit indebitum, in mutuo autem quæri ſolere, an accepetit, omiſſa quæſtione, in quam rem id erogauerit, quod accepit; reſpondeo, id dici per ſimilitudinem, non autem propriè vt oſtendit aduerbium perinde, & ratiocinatio Imp.; ad omnes enim contractus ſpectat, quod fieri non poſſint, niſi id egerint partes vt huiuſmodi contractus perficiant l. 1. §. 1. de pactis: Actio ergo ex indebito oriens non eſt ſuſcipienda velut actio deducta ex natura actus geſti, ſed velut actio data ex æquitate naturali ei, qui ſoluit indebitum per eum errorem, cui leges noſtræ indulgent condictionem indebiti: Ex allegato autem loco Inſt. ſatisfit doctrinæ eiuſdem Imp. in §. 1. inſt. quib. modis re contrahitur oblig. vt re contrahi dicatur obligatio per ſolutionem indebiti habito reſpectu ad actionem, quę ſoluenti conceditur perinde ac ſi mutuum ei id dediſſet; & proinde ad eos ſpectat ſolos, quibus competit cõdictio indebiti: inſpecta enim iuris ratione non habet actionem perſonalem, quia non interuenit conuentio de reſtituenda re, vel æſtimatione: realis autem adeſſe non poteſt, cum non poſſideat rem, aut dolo deſierit eam poſſidere: Æquitatis verò naturalis prætextus omnino ceſſat, cum non fuerit factus, re ipſa, ex re aliena locupletior.

Quatenus peccent Profeſſores ſcientiarum, artiumq; liberalium diminutè laudando eiuſdem profeſſores ſcientiæ, vel artis; aut eorum laudes ſubticendo. Cap. XXVIII.

1 Nimiùm, iterumq; nimiùm verum eſt verus illud verbum, ars inuidet arti: Inter magna autem, & quotidiana, quæ inde naſcuntur peccata, bono publico valde noxia, illud eſt maximum, vt

eorum laudibus tenebræ offundantur, qui cæteros ſuę artis Profeſſores virtute ſuperaut; Cum enim Populo valde expediat, virtutem eorũ plene noſcere, qui artes exercent hominibus neceſſarias, non eſt dubium, valde damnoſos eſſe Populo eos, qui eximios Profeſſores huiuſmodi artiũ ſua fraudant laude, cum per hoc impediatur Populus, eorum opera vti, qui ſuis rebus multò magis poſſunt prodeſſe, quam alij eiuſdem artis in eadem Ciuitate Profeſſores: Huius autem generis ſunt, Gramaticæ, & humanarum literarum Magiſtri, Chyrurgi, Cauſidici, Medici, Aduocati, & Profeſſores publici ſcientiarum, ac artium liberalium: Cum verò videam circa hoc paſſim peccari, ab ijs etiam qui in reliquis ſuis actibus haud mali homines videntur, vehementer ſuſpicor, plurimos hominum ei obnoxiorũ non habere hoc pro peccato; Quod ſi de caſu ageretur, in qua propter ignorantiam, vel negligẽtiam poſſet excuſari peccatum, ab hac tractatione equidem abſtinerem; quantùm enim profuturum ſit, huius peccati pondus exponi, mihi valdè incertum eſt; Eminentium enim hominũ virtutes nulla frequentius arte, quam hac, ab eorum æmulis ſolent, magno cum populi damno obſcurari.

2 Dupliciter hoc peccatum committitur, primò laudando minus, quàm putet, eius virtutem in huiuſmodi arte, vel ſcientia mereri; ſecundo, ſilendo dum audit alios eius laudes proponentes: In laudibus autem diminutis contineri mendacium formale probat doctrina D. Thomæ 22. q. 110. artic. 2. in corpore, dum ſic ſcripſit: *Secundum hoc, mendacium in duo diuiditur, ſcilicet in mendacium, quod traſcendit veritatem in maius, quod pertinet ad iactantiam; & in mendacium, quod deficit à veritate in minus, quod pertinet ad ironiam, vt patet per Philoſophum in 4. Æticorum; Hac autem diuiſio per ſe eſt ipſius mendacij, quia mendacium in quantùm huiuſmodi, opponitur veritati vt dictum eſt: Veritas autem æqualitas quadam eſt, cui per ſe opponitur minus, & maius.*

3 Cum verò laudes diminutæ eò tendant, vt ij, qui præſentes ſunt, minorem concipiant opinionem de virtute illius, quàm mereatur; non poteſt reuocari in dubiũ, quin hic adſit dolus formalis; docet enim I. C. in l. 1. §. 1. ff. de dolo malo, *dolum malum eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam*, Si ergo contigerit, vt ſæpiſſimè accidit, haſce diminutas laudes ſic diminuere exiſtimationem alicuius, vt propter hoc damnum pecuniarium ſentiat ille, qui ſic laudatus ſuit; quia ſcilicet ij, qui audiunt, ob parcam huiuſmodi laudationem, eam quam de ipſo habebant bonam opinionem, ex parte deponunt; aut propter hoc in eam veniunt ſententiam, vt eius ſcientia ſit inferior ſcientiæ eorum, quibus virtute cedere non debet; non eſt dubium, teneri eos, qui huic damno cauſam dederunt, ad ipſum reſarciendum; Prętor enim ſpeciale edidit edictum *aduerſus doloſos, qui alij obfuerunt calliditate quadam, ne vel illis malitia ſua ſit lucroſa, vel iſtis ſimplicitas damnoſa l. 1. in principio ff. de dolo malo.* Adeo autem ſeuerè iura noſtra aduerſus eos ſe ſe gerunt, qui ſuo dolo alios lædunt, vt notent infamia eos, qui in actione de dolo victi fuerint, vt in eadem l. 1. habetur §. at Prætor.

4 Quod verò peccatum mortale non poſſit excludi ab his diminutis laudationibus, quando procedunt ab intentione diminuendi exiſtimationem illius, quem ſic laudauit, oſtẽdit doctrina D. Thomæ in d. q. 110. artic. 4. in corpore, primò dum inquit; *Si verò falſa ſignificatio ſit circa aliquid, cuius cognitio pertineat ad hominis bonũ, puta quæ pertinet ad perfectionẽ ſcientiæ, & informationẽ morũ, tale mendaciũ, in quãtùm infert damnũ falſæ opinionis proximo, contrariatur charitati, quantùm ad dilectionem proximi; vnde eſt peccatum mortale: & rurſus dum ſic ſcripſit, ratione verò finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati: puta quod dicitur in nocumentum proximi, quantùm ad perſonam, diuitias, vel famam: Et hoc etiam eſt peccatum mortale, cum nocere proximo ſit peccatum mortale: Ex ſola autem intentione peccati mortalis aliquis mortaliter peccat.*

5 Latentem autem parcarum laudationum malignitatem ex ſentẽtia Phauorini Philoſophi explicat eleganter in noctibus Agellius lib. 19. c. 5. his verbis: *Turpius eſſe dicebat Phauorinus, exiguè, atq; frigidè laudari, quàm inſectanter, ac grauiter vituperari; quoniam qui maledicit, & vituperat, quanto id acerbius faciet, prę iniquo, & inimico ducitur; & plerunq; propterea fidem non capit; ſed qui infecundè, ac ieiunè laudat, deſtitutus à cauſa videtur, & amicus quidem creditur eius, quem laudare vult; ſed nihil reperire poſſe, quod iure laudet.*

6 Expendamus nunc eos, qui tacent, dum audiunt laudari eũ quem putant, iure merito ſic laudari ne ſuo teſtimonio huiuſmodi laudatio cõfirmata, maiorem acquirat vim: Hoc autem commodè faciemus recenſendo verba D. Thomæ 22. queſt. 111. artic. 1. in corpore ſic dicentis; *Sicut dictum eſt, ad virtutem veritatis pertinet, vt quis talem ſe exhibeat exterius, per ſigna exteriora, qualis eſt: Signa autem exteriora non ſolum ſunt verba, ſed etiam facta; ſicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet, ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium eius, quod in eo eſt, quod propriè ſimulatio dicitur. Vnde ſimulatio propriè eſt mendacium quodã, in exteriorum ſignis conſiſtens: Non refert autem, vtrũ quis mentiatur verbo, vel quocunq; alio facto; vnde cum omne mendacium ſit peccatum vt ſupra dictum eſt, conſequens eſt, quod omnis ſimulatio eſt peccatum.* Quæ ergo de mendacio conſiſtente in diminuta laudatione diximus, ad eum pertinent, qui ſilet, dum audit, aliquem ſuæ artis profeſſorem laudari, quando eius mentis eſt vt per hoc diminuat fidẽ huiuſmodi laudationis, quam tamen veram eſſe exiſtimat.

7 Cum verò is, qui abſq; vllo commotæ mentis ſigno audit aliquem ſuæ profeſſorem ſcientiæ, vel artis laudari, indicet, ſe ab æmulatione, & malignitate alienum eſſe; maiorem habebit authoritatem eius ſilentium ad diminuendam fidem huiuſmodi laudationi; & proinde tunc veritati magis opponitur eius ſilentium, quàm accidat ſilentio eius, qui mentis commotæ ſigna præbet: Sic .n. ratiocinantur ij, qui præſentes ſunt; quod ſilentio ſuo noſtram reuocet in dubium laudationem æmulatio fecit; non ne animaduertiſtis, eum ægrè tuliſſe laudationem noſtram? E contra autem dicetur; cum pacatè audiuerit noſtras laudes,

oſtendit

oſtendit, ſe non ægrè ferre, eum quem laudamus, bonæ exiſtimationis eſſe; veriſimile ergo eſt, eum eius laudibus ſuam adiecturum fuiſſe approbationem, niſi cognouiſſet, eius uirtutem longe minorem eſſe, quam nos putamus: Ne ergo malignitatis notam ſubiret imitatus fuit probos, ac prudentes viros, qui ſilent dum aliquid proponitur à ueritate alienum quando exiſtimant, non expedire, apertè aduerſarijs, qui id dixerunt.

8 Cum itaq; apud Populum ſilentium in pleriſq; in laudationibus uerò ſemper locum teneat contradictionis modeſtæ quando de ijs agitur, quæ nota ſunt illi, qui ſiluit; utique is, qui ſilet dum audit laudari quempiam ſuæ artis uirum, ſecundum opinionem Populi modeſtè contradicit huiuſmodi laudibus; & proinde ſi putauerit, laudationē eſſe ueram abſolutè, uel ex parte, ſemper contradicet ueritati niſi uerbis, aut ſignis indicauerit adeò ſincerè ſuam de huiuſmodi laude ſententiam, ut qui præſentes ſunt, quid uerè ſentiat facilè poſſint intelligere: Quod ſi id omiſerit vt per hoc diminuatur illius exiſtimatio, qui laudatus fuit, ea ad vnguem concurrunt, quæ circa laudationes diminutas peccatum gignũt mortale; Huc ſpectat doctrina D. Thomæ 22. q. 77. ad 3. dum ait: *Quamuis homo non teneatur ſimpliciter omni homini dicere veritatem de ijs, quæ pertinent ad virtutes: tenetur tamen in caſu illo de ijs dicere veritatem, quando ex eius facto alteri periculum immineret in detrimentum virtutis, niſi diceret veritatem*. In Profeſſoribus autē publicis hoc peccatum longe magis graue eſt, quia nimis refert ſtudioſæ iuuentuti cognoſcere penitus ſingulorum Profeſſorum virtutem: Studioſorum autem errata circa electionem præceptoris continent errorem in fundamento, qui, etiam ſi in principio leuis ſit, in progreſſu tamen iugiter augetur.

Annuus cenſus ſecundum ſuam naturam an poſſit ſuper perſonali obligatione conſiſtere, aut ſuper re non valente reddere quantitatem annuam ex huiuſmodi cenſu percipiendam. Cap. XXIX.

1 INgens eſt controuerſia inter nouos Theologiæ moralis, & Iuris Doctores; numquid inſpectis iuris naturalis regulis liceat conſtituere cenſum ſuper perſonali obligatione, vel ſuper re mobili, vel re non valente reddere annuum eius prouentum, de qua latè agunt *Io: Medina de reb. per vſuram acquiſitis quæſt. 11. Couar. lib. 3. var. c. 7. nu. 5. Nauar. de vſur. nu. 81. & 82. Lopez de contract. c. 54. D. Fachin. lib. 2. contr. c. 44. Michael. Salon. de Iuſt. & iure tom. 2. tit. de cenſib. controuerſ. 9. Molina de contr. diſp. 387. Felician de cenſibus lib. 1. capite 8. à num. 3. & in add. ad huiuſmodi caput. num. 1. cum ſeqq. Rebell. de obligat. Iuſt. lib. 10. quæſt. 3. Io: de Salas de cenſibus dub. 3. Gutierez. pract. 99. lib. 2. c. 177. Auen. de cenſibus c. 58. Cencius eodem tract. p. 1. c. 3. q. 1. artic. 6. Rota poſt addit. ad. d. tractatum de cenſibus deciſ. 42. & plurimi alij ab his allegati.*

2 Cum verò multa hinc inde afferantur in primis diligenter exponam, & confirmabo illud fundamentum, ex quò deciſio huius dubitationis deduci debet: Si Caius tradiderit centum aureos Titio promittenti ſibi annuam quantitatem pro dictis centum aureis, ea tamen conditione vt inuitus eos reddere non teneatur; ſibi tamen, & ſuis ſucceſſoribus liceat, ad libitum eos reſtituere quæro, an ſit contractus vſurarius? Non poteſt autem aliter huic quæſtioni benè reſponderi quam dicendo, inſpiciendum eſſe fundamentum annuæ illius ſolutionis; ſi enim ſoluatur in compenſationem beneficij ab eo accepti, qui ſibi tradidit ſuam pecuniam, ea addita conuentione vt ipſam ſibi repetere non liceat, non eſt dubium, hanc eſſe vſuram formalem, quia nulla alia ratione velut debita ſoluitur, accipiturq; annua huiuſmodi quãtitas, quàm, pro vſu ſuæ pecuniæ; ſi quis enim dixerit, eam ſolui in compenſationem conuentionis, ne ſibi liceat vllo tempore ſuam repetere pecuniam, vſuram fatebitur eſſe licitam, quia eius fundamentum eſt, quod non ſine periculo, & incommodo ſe ſe ſuis priuant pecunijs; & proinde æquum eſſe aiunt, vt huius incommodi, & periculi compenſationem accipiant; quòd enim replicaturi ſunt, multum inter ſe differre, alicui ſuam pecuniam tradere vſq; ad certum aliquod tempus retinendam; & eam ſic tradere vt nunquam repeti poſſit, non ſatisfacit difficultati; & ſi enim verum ſit, longe maius incommodum eſſe auferre ſibi, & ſuis hæredibus ius repetendæ ſuæ pecuniæ; negari tamen non poteſt, non ſine periculo, & incommodo eſſe, ſuam pecuniam tradere alicui, certo aliquo tempore quamuis breui retinendam; & proinde qui admittit, in priori caſu licitum eſſe, pro compenſatione accipere aliquid, velit nolit admittet, fœneratorem poſtulare poſſe compenſationem breuis illius temporis, quò ſuam pecuniam apud alterum eſſe patitur, ſeruata tamen temporis, incommodi, & periculi proportione: Hoc autem admittere, quid aliud eſt, quam vſuram approbare, cum non interſit, quantum ad ſubſtantiam vſuræ ſpectat, quid quantunque pro vſu pecuniæ tradatur, dumodo ſit pecunia æſtimabile, & pro huiuſmodi vſu velut debitum tradatur, accipiaturq;: Cum autem plerunq; accidat, eos, qui ſoluunt vſuras, eas ſcienter ſoluere, nimis imperitè faciunt illi, qui ad ſuſtinendum cenſum perſonalem allegant, emptorem cenſus ſcienter admittere pro idoneo eius ſubiecto eam perſonam, ſuper qua conſtituitur; ſi enim hæc ratio valet omnes contractus illiciti iuſti fieri poterunt.

3 Vt ergo annuos cenſus à fœneratitijs contractibus diſtinguamus, opus eſt aſſignare annuo ipſorum prouentui aliud fundamentum, quam compenſationem incommodi, & periculi orientis ex vſu ſuæ pecuniæ perpetuò conceſſi; in eo autem huiuſce materiæ ſcriptores conueniunt, quòd in venditione cenſus is, qui accipit pecuniam, vendit ius percipiendi annuam illam quantitatem vt infra c. 8, & conſequenter aſſerunt, fundamentum annuæ ſolutionis non eſſe vſum pecuniæ venditori cenſus conceſſum, ſed eſſe ius illud ab eo ſibi venditum, cui ſuam pecuniam tradidit pro pretio dicti iuris.

4 Hoc autem ius exigendæ annuæ quantitatis duplex fundamentum habere poteſt, primo quòd ſeruitus conſtituatur in re fructifera reddendi illam annuam quantitatem, quæ deinde vendatur emptori cenſus eo modo, quo accidit dum quis in pariete ſuo cõſtituit ſeruitutem oneris ferendi,

aut in ſuo fundo ſeruitutem viæ, aut aquæductus, eamq; vicino vendit; ius enim cogendi vicinum vt patiatur, ſuum parietem onus ferre, vtq; liceat ſibi per fundum ſuum ire, aquamue ducere, ex ipſa ſeruitute immediatè oritur, & per ipſam conſeruatur.

Secundò poteſt cõſiderari exiſtentia iuris percipiendi annuam quantitatem, velut quid non adhærens per ſe alicui rei, ſed velut ius perſonali obligationi inhærens, ità ut ſubiectum ipſius ſit ipſamet obligatio perſonalis, rerumq; obligatio acceſſoria ſit; pro cautione ſcilicet creditoris eo modo, quò accidit in conuentionibus, quæ in dies contrahuntur.

5 Si primò modo ius annuorum cenſuum conſideretur exploratiſſima eſt eorum iuſtitia; ſicut enim pariens eſt capax ſeruitutis oneris ferendi, ita res fructum parientes, ſiue naturales ſint, ſiue ciuiles, capaces ſunt ſeruitutis reddendi ſingulis annis annuam quantitatem ex venditione huiuſmodi fructuum colligendam; & proinde nulla ſupereſſe poteſt dubitatio, quin ſeruitus conſtitui in ipſis poſſit à domino rei, reddendi ſingulis annis eam annuam quantitatem, quam eius fructus ferre poſſunt; eamq; pro certo pretio uendere ualeant; ea autem ſic diſtracta quis inficiabitur, iuſtiſſimum eſſe exigere fructum huiuſmodi ſeruitutis quò uſq; durauerit?

6 Sin autem ſecundò modo ius, ſuper quò annui cenſus conſiſtunt, conſiderauerimus; quæro an ius huiuſmodi ſit per ſe aptum parere annuam aliquam quantitatem, an ratione ſubiecti, cui adhæret? affirmare, huiuſmodi ius per ſe poſſe annuam quantitatem parere, abſurdum eſt, cum ſit ens legale, quòd ſolo intellectu percipitur; Ergo ex ſubiecto, cui adhæret accipere debet uim reddendi annuam huiuſmodi quantitatem; non poterit ergo ex hoc iure prouenire reditus annuus, de quò agimus, niſi adhæreat ſubiecto apto parere tot fructus, quot ſufficiant ad conflandam huiuſmodi quantitatem; & proinde concludendum erit, annuos cenſus ſecundum ſuam ſubſtantiam omnino deſiderare ſubiectum aptum parere eos fructus, ex quibus annuus prouentus poſſit comparari; repudiandamq; eſſe ſententiam eorum, qui dicunt, in cenſibus realibus re perempta non extingui ius percipiendi annuum reditum; cum enim per ſe non conſiſtat, ſuam utiq; accipit uim ex corpore, cui adhæret; ſublato itaq; corpore, ipſum perire neceſſe eſt l. 2. ff. de vſufr. §. 1. Inſt. eodem tit.

7 An verò perſona hominis liberi apti quæſtum facere ſit ſubiectum capax iuris, de quò agimus, varijs argumẽtis examinant DD. allegati; Vt verò negantibus accedam facit id, quòd legimus in l. in pecudum 28. ff. de vſuris, abſurdum nempe eſſe, hominem in fructu eſſe, cum omnes fructus hominum gratia rerum natura comparauerit; quòd etiam habetur in §. in pecudum Inſt. de ret. diuiſ.; hinc enim ſequitur, hominem liberum non eſſe ſubiectum capax ſeruitutis reddendi certam annuam quantitatem, quia hac ratione incidimus in huiuſmodi abſurdum: reddimus enim ſimilem rebus, ac brutis liberum hominem conſtituendo eum, veluti ſubiectum ſeruitutis, annuam quantitatem reddentis.

8 Licet autem homo liber conuentione, vel legis, conſuetudiniſq; authoritate obligari poſſit ad certam annuam quantitatem priuato ſoluendam, vel ſuo Prælato, Principiue; non tamen inde deduci poteſt id, quòd quærimus; aliud enim eſt, ſua voluntate, vel legis authoritate hominem liberum obligari ad aliquid annuum perſoluendũ; aliud eſt, hominem liberum ſubire vices rei fructum ferentis, vt ſit ſubiectum ſeruitutis præſtandi annuam quantitatem; primò enim caſu nihil inducitur indignum homine libero; in ſecundò autem caſu id accidit; quid enim magis ab hominis liberi conditione alienum eſt, quàm ipſum ſubire vices rei frugiferæ, & eſſe ſubiectum ſeruitutis præſtandi annuam quantitatem?

9 Cum verò res nobis ſit cum hominibus obſtinatè ſuam tutantibus ſententiam, non inuitus ſinam me trahi in contrariam ſententiam, modo fateantur (quòd iuris ratio verum eſſe euincit) hominẽ liberum, cui imponitur huiuſmodi ſeruitus, eſſe illud ſubiectum, cui dicta ſeruitus innititur eo modo, quo fundus eſt ſubiectum cenſus ſuper ipſo conſtituti.

10 Dicam clariùs, contractus annui cenſus ea ratione ab vſurarijs cõuentionibus excluditur, quòd per ipſum emitur ius quoddam aptum parere annuam illam quantitatem, quæ ex eo prouenit vt patet ex iis quæ ſcribunt *Io Medina de rebus per vſuram acquiſitis quæſt. 12. verſ. his tamen non obſtantibus, & verſ. ſupereſt ad rationes Couar. lib. 3. var. c. 7. nu. 2. verſ. contrariam verſ. ſecundò hoc annuos cenſus, & verſ. ſeq. nec non verſ. non obeſtunt ibi, & præterea, & verſ. quartum itidem Salon. tom. 2. de Iuſt. & iure tit. de cenſibus controuerſ. 2. col. 6. nu. 6. verſ. probatur hæc à DD. citatis Felicianus de cenſibus lib. 1. c. 7. nu. 3. Frideric. Martinus de cenſibus c. 3. nu. 143. cum ſeqq Andr. Gayl. lib. 2. obſer. 5. nu. 7. Bannes de Iuſt. & iure tit. de cenſibus col. 3. verſ. pro deciſione Roder. de annuis reditibus lib. 1. quæſt. 4. nu. 14. Io: de Salas de cenſibus dub. 2. nu. 4. & alij quos longum nimis eſſet recenſere.*

Vbi autem cenſus ſuper obligatione perſonali conſtituitur, emptionis contractus conſiderari nõ poteſt niſi dicamus, ius percipiẽdi ſingulis annis illam annuam quãtitatem ex cenſu prouenturam deduci ex ſeruitute impoſita perſonæ, ſuper qua cenſus cõſiſtit; remota autẽ huiuſmodi perſona nullum eſt ſubiectum, ſuper quo hoc ius conſiſtere poſſit; ſupponimus enim, in cenſu perſonali obligationem rerum per modum acceſſorij interuenire eo modo, quò accidit in obligatione omnium bonorum ab eo facta, qui vendidit cenſum conſiſtentem in fundo certis finibus deſignato. Hoc autem admiſſo, neceſſariò ſequitur, perſonam, ſuper qua cenſus perſonalis conſtituitur, eo modo prorſus ſe habere, quò ſe habet fundus, ſuper quo exiſtit cenſus realis; ſicut enim prædium eſt ſubiectum iuris percipiendi annuos reditus venditos in cenſu reali, ità perſona eſt ſubiectũ iuris percipiendi annuum reditum, in cenſu perſonali venditum; & ſicut ius percipiendi annuum prouentũ in cenſu reali per ſe conſiſtere nequit, ità ius percipiendi annuos cenſus in cenſu perſonali alienatum per ſe ſtare non valet.

11 Dicet aliquis, cur obligatio præſtandi annuum cenſum non eſt ſubiectum capax illius contractus

ven-

Digitized by Google

venditionis, qui in censu omnino existere debet, ne in fœneratitiorum cōtractuum numero recenseatur? respondeo, id quòd venditur velut existēs, prius existere debere, quam venditio perficiatur; obligatio autem, de qua agimus non antea existit, quam perfecta fuerit venditio illius iuris, quòd velut quid existens distrahitur; quòd exemplo ante oculos proposito verum esse ostendam.

12 Titius habet fundum, & ſuper eo constituit annuum censum viginti aureorum annuorum, eumq; vendit Titio; in hoc contractu priusquam perficiatur venditio in esse deducitur ius reddendi annuum cēsum mediante constitutione seruitutis reddendi viginti annuos aureos explicitè, vel tacitè impositæ ab eius domino; perfecta deinde venditione producitur in eo fundo, ſuper quō cēſus cōſiſtit, obligatio realis preſtandi annuos census vēditos quòusq; illa seruitus durauerit, eo prorsus modo, quò accidit in venditione cæterarum seruitutum realium.

13 E contra in censu personali obligatio prestandi annuos reditus non antea potest existere, quam perfecta fuerit conuentio deducens in esse hunc contractum, nisi dicamus, ſuper persona imponi seruitutem reddendi annuum prouentum, eamq; deinde vendi eo modo, quò accidit in censu reali; remota enim seruitutis huiusmodi constitutione, obligatio reddendi annuum prouentum aliundè deduci non potest, quam ex ipsamet census personalis alienatione; Dicere autem, obligationem ex censu personali descendentem esse id quòd venditur in huiusmodi conuentione, iuris rationi, & sensui communi apertè repugnat; & proinde concludendum est, alterum esse omnino fatēdum; vel in censu personali habere locum fundamentum eorum, qui contractum census fœneratitium esse scripserunt, vel ipsum requirere venditionem iuris prestandi annuum reditum ſuper subiecto idoneo consistentis, eo prorsus modo, quò accidit in censu reali; ità vt census realis, & personalis equaliter habeant essentiam census in genere vniuoco considerati.

14 Ex quò sequitur, eas tantum personas esse capaces census personalis, quę deductis sumptibus necessarijs pro qualitate personæ, superlucrari possunt annuam quantitatem in censu venditam; & eatenus durare huiusmodi censum, quatenus durauerit facultas id lucrandi; Cum enim census consistat ſuper iure precipiendi annuam quantitatem sibi venditam; huiusmodiq; ius supponat subiectū aptum eam parere, manifestè sequitur, ipsum non posse consistere super persona inhabili ad acquirendam quantitatem singulis annis soluendam; Vtor verò vocabulis questus, & lucrari, quia de his, qui reditus habent ex rebus quæ immobilia sunt, aut inter immobilia numerantur, hoc non est quærendum; mera enim stultitia esset emptoris census, ad censum personalem confugere quando realem acquirere potest.

15 Multò magis ergo dicere debemus, extingui census personales mortuo eo, super cuius persona consistebant; cum enim huiusmodi personæ adhęreat ius percipiendi annuam illam quantitatem, ipsa mortua ius huiusmodi perire necesse est l. 2. ff. de vsufructu; cum verò aduersarij dicant, personalem obligationem, super qua census personalis consistit, in hæredem transire l. hęreditas ff. de regulis iur. huiusmodi assertio est diligenter confutanda: Duplex adest obligatio in censu personali, prima consistit in iure prestandi annuam quantitatem, quæ in contractu census venditur; Secunda oritur ex vēditione ipsiusmet cēsus, quę nihil aliud continet, quam venditorem, & eius hæredes esse obseruaturos contractum eo modo, quò gestus fuit; & proinde hæc secunda obligatio est accessoria ad ipsummet contractum census; ideoq; ex ipso omnino dependet, & iuxta eum semper moderari debet.

16 Prima autem obligatio non est simplex obligatio, sed est restricta ad certum, & determinatum ius; idest ad onus præstandi annuam quantitatem in censu personali venditam; Ergo iuxta eius naturā omnino est moderanda; ergo eatenus durat; quatenus durabit huiusmodi ius: Si itaq; sine culpa debitoris ius huiusmodi extingui contigerit, hanc obligationem extingui oportet, iuxta l. quòd te, & ibi not. per DD. ff. si certum petat. Cum itaq; ius percipiendi annuam quantitatem non possit consistere absq; subiecto apto ad huiusmodi quantitatem pariendam, manifestum est, extingui hoc ius mortuo, aut inhabili ad faciendum questum reddito sine sua culpa eo, super quò consistebat hoc ius.

17 Dices, cur in hæredis personam nō transfertur hoc ius? huic autem quæsito satisfit duos casus considerando, primus est, cum census simpliciter constitutus fuit super persona eius, qui ipsum vendidit, secundus quando constitutus fuit super persona sua, suorumq; hæredum; Si de primo casu tractetur euidens est non posse, in personam heredis transire, quia est onus merè personale, & proinde nō est ex ijs, quæ in hæredem transferri possint *l. priuilegia 157. ff. de reg. iur.* huc q; spectat *l. Paulus 30. ff. de pignor.* Si verò de secundo casu sit sermo, indagare oportet, an liceat super persona suorū hæredum constituere huiusmodi ius: Cum autem tempore venditionis census venditor nullum habeat ius in personam hæredis, quis non videt, tunc temporis non posse considerari hoc ius, veluti consistens; sed debere considerari, veluti quid tunc temporis ceptum, & deindeper aditionem hæreditatis perficiendum?

18 Cum autem pro regula traditū sit, quę ab initio non valent tractu temporis non cōfirmari l. quòd ab initio 30. ff. de reg. iur. non est dubium, aduersus censum personalem regulam iuris existere; licet autem fuerit, æquitate suggerēte admissum, vt hypotica super aliena re contracta pariat actionē, si deinde huiusmodi res eius fiat, qui ipsam obligauit l. 5. C. si aliena res pignor. data sit, non est propterea affirmandum, seruitutem super persona hæredis constitutam ab initio nullam, adita hereditate conualescere, cum agatur de contractu, quē rationes efficaces oppugnant, & freqnētiora DD. suffragia fœneratitium esse comprobant; scriptum enim est, ea quę contra rationem iuris introducta fuere, nec ad consequentiam quidem trahi debere l. quòd verò ff. de legibus. Cum autē magnis contentionibus DD. disputent, an obligatio bonorū hæredis expresse facta in contractibus à fœnore omnino alienis per aditionem hereditatis confirmetur vt patet ex ijs, quæ scribunt *Negusant. de*

V 2 *pignor.*

pignor. p. 2. membro 2. à nu. 55. Surd. deciſ. 315. à nu. 8. quomodo poſſumus nos admittere, per aditionem hæreditatis confirmari ſeruitutem ſuper perſona hominis liberi inutiliter conſtitutam, ea ſola de cauſa, vt per hoc ſuſtineatur contractus tãtam habens fœnoris ſuſpicionem?

19 Quoniam verò Aſſertores ſententię, quàm impugnamus profitentur, hanc ſuam doctrinam deduci ex conſtitutionibus Martini V. & Caliſti III. ralatis in extrauagãtibus com. tit. de empt. & vẽdit. quam falſum id ſit, oſtendamus; Verba conſtitutionis Martini V. ab aduerſarijs allegata ſic ſe habent: *& ſemper in ipſis contractibus expreſſa ipſis emptoribus fuit data facultas atq; gratia, quod ipſum annuum cenſum &c. extinguere, & redimere &c. ſed ad hoc huiuſmodi cenſus venditores inuiti nequaquam per emptores arctari, vel aſtringi valerent, etiam ipſis poſſeſſionibus, & bonis obligatis penitus interemptis, ſeu deſtructis &c.* verba autem Caliſti III. *hæc ſunt.*

Sed ijdem emptores, etiam ſi bona, domus &c. ad omnimodæ deſtructionis, ſeu deſolationis reducerentur obrobrium, pecuniam ipſam, etiam agendo repetere non valerent.

Verum re diligenter conſiderata hæ conſtitututiones noſtræ apertè fauent ſententiæ; quòd vt appareat conſidero, per modum regulæ dici in his conſtitutionibus, quòd venditor cenſus non teneatur eum redimere; & deinde veluti caſum magis dubitabilem proponunt eum, in quò extinctæ fuerunt res, ſuper quibus conſiſtebat cenſus; quæro autem, vnde nam dubirandi occaſio oriretur? ſi dicatur, ex eo oriri, quia tunc creditor cenſus non eſt ſatis cautus, cum in ſola perſonali obligatione cenſus conſiſtat, dupliciter ſatisfaciam, & primò quæram, quæ nam iuris ratio ſuadere poſſit vt is, qui pignus conſtituit pro cautione ſui creditoris, pignore fine ſua culpa peremptо teneatur ei ſoluere id, quòd inſpecta natura contractus, vel conuentionis, aliàs non teneretur ei tunc ſoluere? Secundò quæram, cur dubitatum fuerit, an obligatio redimendi cenſum per huiuſmodi peremptionem induceretur, cum ſatis emtori cenſus conſuleretur ſubijciendo hypothecæ bona immobilia apta ei ſatisfacere?

20 Aliunde ergo deducenda eſt ratio dubitandi in huiuſmodi caſu; ex eo ſcilicet, quòd cum venditum fuiſſet ius percipiendi annuam quantitatem conſiſtens ſuper rebus peremptis, non poterat amplius poſtulari annua illa quantitas, quæ ſoluebatur virtute dicti iuris; ſublato enim ipſius ſubiecto extinctum omnino fuerat, iuxta regulam l. 2. ff. de vſufructu; dubitatio ergo in eo conſiſtebat; an venditor cenſus, qui amplius non ſoluebat annuam quantitatem, teneretur reſtituere ſortem; cum ceſſaret ratio, propter quam iniquum eſſe videbatur eum cogi redimere annuum cenſum: enim de cauſa obligauerat ſe ea ad perpetuã ſolutionem dictæ annuæ quantitatis, vt poſſet perpetuò, ſi libuiſſet, eam penes ſe retinere: Contrariũ tamen deciditur, quia emptum fuit ius percipiendi annuam quantitatem ſuper rebus certis conſtitutum; Sicut ergo huiuſmodi ius plenè fuit emptori acquiſitum, ità pretium pleno iure factum fuit venditoris: Cum itaq; illud ius proprium emptoris eſſet, eius periculo extingui debebat peremptis rebus, ſuper quibus conſiſtebat, quia res ſuo domino perit l. 1. & toto tit. ff. de periculo & com. rei vendi. & conſequenter repetitioni pretij ſoluti locus eſſe non poterat.

21 Non minus irrito conatu alij curauerunt eandẽ doctrinam deducere ex ea Nicolai V. conſtitutione, quam edidit ad moderandos annuorum redituum contractus, quos in vtriuſq; Siciliæ Regnis fieri contingeret; & commentarijs ornarunt Follerius, Petrus de Gregorio, & alij, in illis verbis, *cum opportuna contrahentium ſecuritate, tuitione, ac indemnitate; ac cum poteſtate, vt vendentes, perſonas, eorumq; proprietates reditus, iura &c. obligandi, & obligari faciendi*: nimis enim diſtant inter ſe, ſuper obligatione perſonali licere, contractum cenſus conſtituere; & licere contrahentibus, ſuas perſonas obligare pro cautione creditoris; hęc enim perſonalis obligatio ponit pro conſtanti, contractum in eſſe deductum fuiſſe; ad eius namq; executionem reſpicit; illa autem eſt fundamentum ipſius contractus, prius .n. in eſſe deducitur, quam ipſe contractus fiat; Cum itaq; nulla extent Summi Pontificis verba quæ ſuadeãt, ad obligationem perſonalem ſecundò modo conſideratam eius ſermonem trahi, abſurdum eſt, Summum Põtificem ad hunc ſenſum trahere, cum in hac clauſula exponantur ea, quæ pertinent ad executionem contractus; & in clauſula antecedenti, in qua ſpecialiter expreſſit ea, quę poſſunt eſſe ſubiectum huius contractus, de obligatione perſonali nõ meminerit; inquit .n. *huiuſmodi cenſualia ſuper rebus, & proprietatibus ſuis, ac facultatibus, & emolumentis eorundem interſe contrahendi, emendi, ac vendendi.*

21 Atq; ità hanc conſtitutionem intellexit Gregorius XIII. in ea conſtitutione, quam ad eius confirmationem edidit, quæ extat apud Quarantam tit. de contr. cenſus ait .n. S. Pontifex; *Illud addentes, vt in cenſuum emptione, & venditione prius vnius, vel plurium rerum certarum, ſuper qua, vel quibus cenſus ipſe conſtituatur expreſſe; & deinde, ſi voluerint, omnium bonorum in genere mentio fiat.*

13 Hęc autem, & ſi perſonalem cenſum proſternãt, benè tamen erit, alia huius ſententiæ fundamenta refellere: dicunt in primis, licere donationis titulo ſe ſe, & ſuos hęredes obligare ad ſoluendam annuam quãtitatem in perpetuum; ergo etiam licebit id facere accepta certa quantitate pecuniarum, veluti pretio obligationis ſoluẽdæ annuæ illus quantitatis; Si autem hæc argumentatio valet, conſequens eſt, vſuram eſſe licitam, nulli enim eſt dubium, nos poſſe id, quòd ſoluitur fœneratori, donationis titulo ei largiri: Ideo autem non valet hæc ratiocinatio, quia diſpar ratio inter hæc exiſtit; vbi enim titulus donationis exiſtit, ibi adeſt fundamentum, ſuper quo obligatio illa annua cõſiſtet, hoc eſt donatio; vbi verò accepta certa pecuniæ quantitate quis ſe ac ſuos citra animum donandi in perpetuum obligat ad certam annuam quantitatem pręſtandam, dicimus, non poſſe aliud allegari fundamentum annuæ illius obligationis, pręter id, quòd omnes dicunt fœneratores, ob ſuę nempè pecuniæ vſum id ſibi tradi, niſi deducatur in eſſe ius illud, quòd nuncupamus ſeruitutem pręſtandi annuam quantitatem, ſuper ſubiecto eius capace conſiſtentem, emptori cenſus venditum pro certo pretio, eo modo quò accidit in cenſu reali vt ſupra expoſui; ex quò apparet, diſparem

rationem

rationem exiſtere inter cenſum perſonalem, & locationem operarum; vbi enim locantur operæ præcedit contractus locationis, ſuper quò conſiſtit obligato præſtandi operas.

24 . Secundum fundamẽtum ex eo deducitur, quòd cenſus ſit contractus venditionis, vſura autem in ſolo mutuo conſiſtit: reſpondeo, cenſum verè eſſe emptionis contractum; eius tamen imago non eſt adeo aliena à mutuò, vt ſub ſpecie cenſus, mutuum latere non poſſit; Hoc autem, ſi quis inficiabitur, fateri eũ oportet, damnandos eſſe infinitos plurimorum doctorum virorum labores, qui diligenti ſtudio curauerunt detegere impoſturas fœneratorum in cõtractu cenſus latentes, ſequendo veſtigia Pij V. declarantis fœneratitios cenſus aliter cõſtitutos, ac eius cõſtitutio ſanxerit; Quatenus autẽ ad rem noſtram ſpectat, mutuum ea ratione inducitur in cenſu perſonali, quòd is, qui mutuam pecuniam tradit, patitur ſibi eam reſtitui minutatim diuiſis, puta ſolutionibus in annos quatuordecim; pro hoc autem beneficio compenſationem accipit, vt mutuatarius, euſq; hæredes in perpetuum obligentur, ſingulis annis, ei certam ſummam ei, ſuiſque hæredibus ſoluere, niſi malint, ſe ſe ab hoc onere liberare ipſis reſtituendo tantum, quantum venditor cenſus accepit tẽpore facti mutui: Hunc autem eſſe verum, & formale mutuum non eſt dubium, cum nemo dicat, ad eius eſſentiam pertinere, rem mutuatam certo aliquo tempore reſtitui debere, aut in plures partes eius reſtitutionem nõ poſſe ſecari: Ea verò obligatio, quam ſubit mutuatarius ſoluendi in perpetuum annuam quantitatẽ, eſt illud, quód vltra ſortem accipitur pro vſu ſuæ pecuniæ: Reſtitutio autem quantitatis reſpondẽtis quantitati initio contractus acceptæ, non continet reſtitutionem pecuniæ mutuò acceptæ; ſed eſt medium, per quód mutuatarius, aut eius hæredes ſe ſe liberant ab onere, quod ille ſubijt præſtandi annuam quantitatem: Nullum deniq; adit periculum mutuans, ne ſterilis ſua pecunia futura ſit, quia eouſq; duratura eſt obligatio ſoluendi annuam illam quantitatem, quòuſq; tantum mutuatarius reddiderit, quantum accepit, nulla habita ratione annuarum illarum præſtationum, quas mutuans interim acceperit.

25 Tertiò dicunt, obligationem perſonalem principaliter conſiderari in contractu cenſus, realem autem obligationem eſſe acceſſoriam pro cautione creditoris; ergo nulla exiſtit repugnantia, quin ſuper obligatione perſonali hic contractus conſiſtat circumſcripta reali obligatione; Pro reſolutione huius fundamenti animaduerto, duplicem conſiderari poſſe obligationem realem in cenſu, prima eſt illa, quæ oritur ex impoſitione ſeruitutis reddendi annuam quantitatem ſuper fundo eius capaci; ſecunda eſt illa, quæ adijcitur contractui cenſus perfecto quando venditor ipſius pro eius obſeruatione obligat ſe, & ſua bona præſentia, & futura: De hac autem obligatione verum eſt, eam obligationi perſonali accedere, adiecta enim fuit pro cautione promiſſionis factæ ſoluendi annuam illam quantitatem quòuſq; obligatus fuerit illa ſoluere: De prima verò obligatione reali id euidenter falſum eſt, quia ex ſententia aduerſariorum, & cæterorum huius materiæ ſcriptorum ſubſtantia contractus cenſualis conſiſtit in emptione iuris præſtandi annuam quantitatem vt infra c. 8. obligatio ergo perſonalis ſoluendi cenſus annuos oriens ex venditione huiuſmodi iuris ſupponit in eſſe ipſum ius, & conſequenter illi adhæret, ſuam vim ab huiuſmodi iure accipiendo.

26 Hæc ſunt, quæ in hac Illuſtri quæſtione ſcribere volui, in qua exiſtimaui, melius eſſe parcere grauiſſimorum ſcriptorum nomini, quam errata ipſorum detegere (ſi enim pleroſque eorum qui cenſui perſonali fauent attentè perlegeris, facilè inuenies, ſibi apertè contradicere, pro veriſq; ſupponere aſſertiones erroneas) ſatis meo muneri ſatisfactũ exiſtimans eorũ fundamẽta deſtruxiſſe.

Cenſus realis ad certum tempus conſtitutus an ſit licitus; & vnde colligatur iuſtum eius pretium. Cap. XXX.

1 SI quis ſuper re eius capace conſtituerit annuum cenſum, non quidem perpetuum, ſed vſq; ad certum tempus duraturum, an licitus ſit, inter DD. valdè controuertitur vt liquet ex Michaele Salon *de iuſt. & iure tract. de cenſibus contr. 32. ex Io. de Salas tract. de cenſibus dubio 4. Ludou. Cencio de cenſibus p. 1. c. 1. quæſt. 4. artic. 3. à nu. 1. à Duardo in ſimili tract. in prohem. quæſt. 28. à n. 95.*

2 Breuiter me expediendo puto, eſſe veram ſententiam receptorem docentem, hunc eſſe contractum per ſe euidẽter iuſtum; Iuſtitia autem ipſius ex eo redditur manifeſta, quòd inter huiuſmodi cenſum, & perpetuum nulla alia eſt diuerſitas præter perpetuitatem: Hæc autem diuerſitas non poteſt obeſſe, quia ſubſtantiam cenſus non attingit, ſed accidens, eo modo, quò cæteræ ſeruitutes in rebus noſtris conſtitutæ, ſi ſint temporales, non minus iuſtè venduntur, quam accidat perpetuis; cenſus autem nihil aliud eſt, quam ſeruitus reddendi annuam quantitatem conſtitutã ſuper ſubiecto eius capace vt docent DD. com. & latè expoſui capite antecedenti.

3 Dicam clarius, iuſtitia cenſus perpetui conſiſtit in eo, quod quis iuſto pretio emit ſeruitutem aptam ad reddendam illam annuam quantitatem, quæ ſibi, & ſucceſſoribus ſuis ſoluenda erit, eo modo, quò quis ſibi acquirit, & ſuis ſucceſſoribus ius perpetuum habendi tignum in pariete vicini; ſicut enim ſeruitus tigni immittendi apta eſt tribuere ius perpetuũ habendi tignum in alieno pariete ità ſeruitus impoſita ſuper re capaci reddendi certam annuam quantitatem tribuit ius perpetuum percipiendi ex re cenſita illam quantitatem; Cum itaq; nihil referat quò ad formam huiuſmodi ſeruitutis, an perpetua ſit, vel tempore certo determinetur (ſemper enim eandem formã habet, vt ſcilicet cõſiſtat ſuper ſubiecto eius capace, & legitimis modis conſtituatur) meritò dicimus, re per ſe conſiderata, eandem prorſus eſſe rationẽ cenſus temporalis quòuſq; durauerit, & cenſus perpetui: ergo non poterit damnari per ſe cenſus ad tempus certum ſuper re eius capaci conſtitutus; dixi per ſe, quia ex circunſtantijs iniuſtus reddi poteſt eo modo, quò accidit cenſui perpetuo, alijſq; commercijs per ſe licitis.

4 Timor verò vſurariæ prauitatis ſub ſpecie cenſus latentis ex eo excluditur, quod non ſupponi-

mus tantum in annua quantitate præſtandâ exceſſum, vt ſatisfacere poſſit fœneratorum voracitati: Dicam melius, pretium cenſus ad certum tempus conſtituti deducitur ex pretio cenſuum perpetuorum facta comparatione temporis, quò duraturus eſt, cum perpetuitate, quam illi habent; relinquiturq; debitoris cenſus voluntati, ab ipſo ſua redimere bona: His autem obſeruatis quæro, quid hic adſit iniquitatis? quantitas ne annuæ pecuniæ ſoluendæ? non equidem, eum iuſtiſſima fit obſeruando huiuſmodi proportionem; Quod intra ſpatiū temporis extinctioni cenſus aſſignatū emptor longè plus conſequatur quàm capiat quantitas pecuniæ à ſe numeratæ? nec iſtud quidem cum id longè facilius accidat in cenſu perpetuo, nec hic tractetur de reſtituenda pecunia pro pretio cenſus accepta, ſed de fructu annuo ſeruitutis iuſto pretio emptæ; his autem dempeis, re per ſe conſiderata nulla poteſt inueniri in hoc contractu iniquitas: ideoq; eum retinendum eſſe exiſtimo veluti remediū idoneum ad liberandum Reges, Principes, Magnates, & Ciuitates à cenſibus perpetuis eorum diuitias deuorantibus; vix enim eſt vt accidat caſus, in quò, facta comparatione fructuum cenſuum perpetuorum cum temporalibus, multò minus non reddat temporalis, quam perpetuus; quæ enim comparatio exiſtit inter redditum perpetuum, & eum, qui lapſo vigeſimo quinto anno extinguitur? longeq; magis expedit, hoſce cenſus vendere, quam perpetuos; hacq; de cauſa videmus Monaſteria, & alia loca pia, cenſus vitalitios frequenter vendere quando indigent pecunijs ad vſus ſuos neceſſarijs; horū enim extinctio eſt certa, perpetuorum autem cenſuum incerta nimis eſt.

5 Vt autem iuſtitia huius cenſus, re ad praxim deducta, euidentior reddatur: Ponamus, pretium commune cenſuum perpetuorum eſſe octo aureorum annuorum in ſingula centena. Titius conſtituit annuum cenſum quadraginta octo aureorum duraturum annis viginti quinq; eumq; vendit aureis quadringentis: hic cenſus reddet annua duodecim in ſingula centena; eum verò vtiliorē eſſe venditori, quam emptori inde liquet, quod ſi emptor cenſus ſingulis annis conſeruaret ſexdecim aureos, quos accipit vltra redditum cenſuum perpetuorum; completis annis viginti quinq; (& ſic, eo tempore, quò cenſus extinguetur) habebit ſolum eam aureorum quantitatem, quæ ſatis ſit, ad emendum ſibi annuum cenſum perpetuum triginta duo aureorum; qui cenſus tantū ſibi reddet, quantū percepturus erat ex cenſu perpetuo, quē poterat ex dictis quadringentis aureis eo tēpore comparare, quò emit cenſum illum temporalem; e contra autē venditor cenſus ſpatio viginti quinq; annorum commodiſſimè extinxit eum cenſum, quem vno, eodemq; tempore, ſi perpetuus fuiſſet, extinguere oportebat.

6 Dices, creditorem cenſus interim frui annua illa quantitate, quam vltra ſolitum reditum cenſuum percipit. Reſpondeo, dupliciter hoc dici poſſe, primò, quia in vſus ſuos eam conuertit, ſecundò quia eam exercere poteſt. Si primum dixeris, nihil oberit, quia hoc compenſatur per extinctionē cenſus lapſis annis 25: ſi verò ſecundum affirmaueris, reſpondebo, eum non poſſe exercere pecuniam huiuſmodi citra periculum; ergo ad ipſius commodum vtilitas eius pertinere debet l. ſecundùm naturam ff. de reg. iur. Secundò dico, hanc argumentationem ſupponere hominem induſtrium, & exercendæ pecuniæ idoneum; eamq; eſſe quantitatem, quę opportuna ſit negotiationibus ei conſuetis: Hæc autem per accidens veniunt, & ſunt eius propria bona: & proinde non poſſunt mutare naturam contractus eo modo, quò ruſticus non poteſt vltra ſolitum valorem herbæ, quā aromatario vendit, aliquid poſtulare ſub prætextu, quòd emptor aliquid inde facturus eſt, magno pretio ab ipſo deinde diſtrahendum.

7 Oppones rurſus, poſſe ex huiuſmodi pecunia, cùm peruenerit ad centum aureos, annuum cenſum comparari; ego autem dicam, hoc eſſe incertum, & plerisq; modicæ ſummæ cenſus valdè diſplicere, nec ſemper adeſſe occaſionem opportunam; & proinde non poteſt inde colligi regula generalis deſtruens iuſtitiam huius contractus.

8 Vt autem his ſcrupoloſis dubitationibus cumulatius ſatisfaciam: quæro à te, vnde nam deſcendat, homines diuites longis annorum ſpatijs perſeuerare in ſoluendis annuis cenſibus, à quibus paucorum annorum ſpatio ſe ſe poſſent liberare, ſi ſingulis annis ſeponerent aliquam pecuniæ ſummam, vt ex ea, poſtquam aſcenderit ad certam quantitatem, aliquem eorum extinguant? Reſpondebis autem, ſi modo rem perpenderis ſecundum id, quod vt plurimum accidit, ex eo id deſcendere quòd homines nimis faciles ſunt in ſumptibus faciendis quando habent paratam pecuniam; A te rurſus quæram, an venditori cenſus expediat inuenire rationem, per quam ſingulis annis deponere debeat quatuor aureos in ſingula centena pretij cenſus vt ex ipſis lapſo vigeſimo quinto anno certò extinguatur cenſus? & ni fallor affirmabis, re prout accidit vt plurimum conſiderata;

9 Si quis autem dixerit, hoc depoſitum (cum non ſit faciendū in ſacculo obſignato, ſed in pecunia numerata) ad vtilitatem depoſitarij tendere; interim enim poteſt pecunia depoſita vti; vtiq; reſpondebis, dominium pecuniæ in depoſitarium transferri, ideoq; æquum eſſe, vt vtilitas ad eum ſpectet, ad quem periculum pertinebit vt latè exponunt *Honded. conſ. 42. lib. 2. Barboſ. in l. ſi mora p. 2. à nu. 82. ff. ſol. matrim.* Cum verò vtilitas debitoris cenſus per hoc non impediatur; quia certum eſt, redemptum iri cenſum lapſo vigeſimo quinto anno, non debemus eſſe ſoliciti, an depoſitarius ex huiuſmodi pecunia vtilitatem capturus ſit nec ne.

10 Cum itaq; nihil referat venditori cenſus, nomine depoſiti ſingulis annis quatuor aureos in ſingula centena aureorum deponere apud aliquem; vel eos creditori cenſus tradere, nimia ſubtilitas eſſet, in emptore cenſus conſiderare vtilitatem ex d. pecunia fortè fortuna venturam, quam in depoſitario negligimus, cum eius periculo apud ipſum ſit eo modo, quo eſt apud depoſitarium; & certus ſit, cenſum hac ratione extinctum iri lapſo vigeſimo quinto anno.

11 Dices, hoc præbere occaſionem fœneratoribus paſſim exercendi vſuram, reſpondeo, duplex eſſe genus fœneratorū: alij enim id palā exercent, alij

verò

Digitized by Google

verò ſubdolis inuentionibus ciuium diuitias deuorant: primi generis ſunt illi, qui ſub prætextu lucri ceſſantis extra cſus à iure permiſſos eas tutantur pecuniariis præſtationes, quas à ſuis debitoribus exigunt; & de his non eſt aliquid mali pertimeſcendum, quia hoc genus hominum non putat ſeſe vſuram exercere, cum varijs aliquorum recentium Doctorum traditionibus ſic ſæpe ſuas defendunt conuentiones vt pro certo habeant, ſeſe ab vſura eſſe alienos; In ſecundo autem genere verum eſt, poſſe nos vehementer de eorum mente ſuſpicari quando non adeſt materia capax iuſti contractus; quæ tñ clarè adeſt in caſu noſtro, ſi reditus horum cenſuum adeo moderatus ſit, vt non excedat proportionem cenſus perpetui.

12 Dices deniq; in ſocietatibus officiorum, quæ per mortem extinguuntur, fructus non excedere duodecim in ſingula centena; reſpondebo autem, huiuſmodi ſocietates ſingulis ſex menſibus diſſolui poſſe; quòd magnum affert ijs incommodum, qui hac ratione pecunias ſibi neceſſarias comparant; magno autem eſt commodo dominis pecuniarum, quia facile poſſunt ſuam pecuniam integrè recuperare; & conſequenter magna eſt diuerſitas in æſtimatione iuſti pretij horum contractuum, & niſi ego fallor, pleriq; eorum, qui magna indigent pecuniarum quantitate, putabunt, ſibi magis expedire, cenſum de quò agimus vendere, quam contrahere ſocietates officiorum; & è contra pleriſq; magis placebunt huiuſmodi ſocietates, quam hi cenſus; & per hoc puto, hos cenſus poſſe indiſtinctè moderari iuxta reditum harum ſocietatum.

13 Illud autem diligenter animaduertendum eſt, quòd loca montium vacabilium in vrbe vſitatorũ vendi poſſunt ab eorum dominis pro eodem, vel paulò minori pretio, quò fuere empta, etiã ſi per multos annos illa retinuerint; è contra verò noſtri cenſus venditio quotannis diminuitur; licet ergo emptores locorum montium vacabilium ſubeant periculum ea amittendi ſtatim, ac empta fuere; tamen pluris æſtimanda ſunt, quam valeant hi cẽſus temporales; periculum enim huiuſmodi rarò ſortitur effectum, cum paſſim accidat, ipſa cum effectu diſtrahi à ſuis dominis pro eo pretio, quò empta fuere, licet multis annis ipſa retinuerint; E contra autem vix accidet, noſtros cenſus poſtquã aliquibus annis retẽti fuère, diſtrahi pro eo pretio, quò empti fuerũt; Et pro inde plus (vtq; puto) vltra decimã partem reddere debent hi cenſus temporales, quam loca montium vacabilium; Hacq; ratione Reges, Principes, & Ciuitates facile poterunt ſeſe liberare à ſolutione perpetua montium non vacabilium, reditũumq; perpetuorum, qui eorum diuitias abſumunt; nunquam enim de futuri ſunt emptores huiuſmodi locorum montium, redituumque.

14 In Ciuitatibus Magnis multi ſunt carẽtes vxore aut prole, qui modicis inſtructi facultatibus, nõ poſſunt ex reditu perpetuo ſui patrimonij tantum capere, quantum abſumunt illi ſumptus quotidiani, quos facere conſtituerunt; Hoc autem genus hominum ad vitalitios reditus ſolet aſpirare, ad loca mõtium vacabilium, ad ſocietates officiorũ, vel ad officia vacabilia: Hæc autem per ſe conſiderata voti compotes ipſos facere poſſunt, quia extinguuntur per eorum mortem.

15 E contra loca montium finitura lapſo ab eorũ acquiſitione vigeſimo quinto anno, per ſe nõ poſſunt eorum deſiderio ſecutè ſatisfacere, quia curſus vitæ noſtræ eſt incertus; itaq; quò ad hanc partem minus valent reditus huiuſmodi; Accidit etiam ſæpe, hoſce homines mutata ſententia deſiderare, ſuã pecuniam mortis periculo eximere; in ſocietatibus autem officiorum, locis mõtium vacabilibus, & officijs per mortem finituris, ſuam recuperare quis poteſt pecuniam diſſoluta ſocietate, & diſtractis locis montiũ, officijſq; plerumq; enim accidit, ſocietati diſtractæ, & alienationi officiorũ, ac locorum montium eos ſuperuiuere per legitimum ſpacium; in locis autem montium, de quibus agimus, ſpes ſuam recuperandi pecuniam intra vnum, vel alterum annum durare vix poteſt, ſingulis enim annis eorum valor omnino diminuitur.

16. Ergo nulla iniuſtitia erit, reditus, de quibus agimus, tantum reddere, quantum reddunt ſocietates officiorum; hę enim ſunt grauiores debitoribus, quam ſint hi reditus, & creditoribus vtiliores; etiã ſi autem in ſocietatibus officiorum inopia debitoris principalis, & fideiuſſorum poſſit iacturam magnam inducere (quòd in locis montium rariſſimè accidet) non tamen muto ſententiam, quia hoc periculum ex eo compenſatur, quòd in ſocietatibus poteſt recuperari ſua pecunia, etiam ſi per multos annos durauerint, & diligentis hominis ſolertia huiuſmodi periculum facile euadet, cum lapſis ſex menſibus ſocietas poſſit diſſolui.

Fructus ex re aliena perceptos fieri bonæ fidei poſſeſſoris, qua ratione fuerit introductum. ad §. ſi quis à non Domino Inſt. de rer. diuiſ. Cap. XXXII.

1 IVſtin. Imp. in §. *ſi quis à non Domino Inſt. de rer. diu.* ſic ſcribit; *ſi quis à non Domino, quem Dominum eſſe crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, alia ve iuſta cauſa æquè bona fide acceperit, naturali ratione placuit, fructus, quos percepit eius eſſe pro cultura, & cura:* Naturali ratione inquit Imp.; ea ſcilicet, quæ ſatis ſit vt hic modus acquirendi numerari poſſit inter eos modos, qui ex eo iure deſcendunt, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit; de his enim modis in huiuſmodi titulo agitur vt in §. ſingulorum.

2 Hoc autem, quomodo verum eſſe poſſit, magnã continet difficultatem; culturæ enim ratio & curę, ab Imp. allegata nõ complectitur omnes, qui bona fide res alienas poſſident; illos nempè, qui coloni partiarij opera vtuntur, aut pro certa mercede annua rem alicui locarunt; Si quis autem dixerit, hoc ius fuiſſe introductum ne commercia turbarentur, & lites multiplicarentur, rationem diuerſam proponet ab ea, quam Iuſtinianus adduxit, & quæ ciuilis eſt & politica non autem naturalis *vt in Inſt. de vſu cap. in prin. l. 1 ff. de vſurp. & vſucap.*

3 Non poteſt etiam huiuſmodi ratio huic iuri accommodari; aliquod enim tempus conſtitui debebat dominis ad res ſuas perquirendas, prius quam in iacturam inciderent vt docet Caius loco mox allegato; & quia partim refert, litem ſuper dominio ſolo fieri, vel ſuper eo, & fructibus perceptis conſumptiſq; cum ex vno, eodemq;

iure

iure res dependeat; ideſt ex probatione dominij; eo enim probatos non tātum res, ſed fructus inde nati debentur domino velut nati ex re ſua; *l. 6. l. idem Pomp. §. idem ſcribit ff. de acq. rer. dom. l. qui ſcit ff. de vſur. §. item ea, §. ſi titius Inſtit. de rerum diuiſ.*

4 Hanc arduam difficultatem diſſoluit vt puto Pomponius *in l. fructus 45. ff. de vſur. dum ait; fructus percipiendo vxor, vel vir ex re donata ſuos facit; illos tamen, quos operis ſuis acquiſiuit, velut ſerendo; nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilua cædit, non fit eius; ſicut nec cuiuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris; quia non ex facto eius is fructus naſcitur*; Hæc enim poſtrema clauſula ſignificat, rationem huius acquiſitionis in eo conſiſtere, quòd fructus pertinentes ad bonæ fidei poſſeſſorem illi ſunt, qui ex facto ipſius naſcuntur, qui aliàs non erant naſcituri; & proinde ad eum huiuſmodi fructus pertinere ſi conſumpti fuerint bona fide, ratio naturalis omnino iubet; eius enim culturæ, & curæ fructuum natiuitas accepto ferenda eſt.

5 Dicam clarius, dominus rei, qui ignorat ſuam eſſe vtiq; eam relinqueret ſine cultura, ſi ſine cuſtode eſſe, animaduerteret, & abſq; aratore; quia ſcilicet putat, eam ad alium non autem ad ſe ſpectare; quatenus ergo ad ipſum ſpectat, nullo modo nati eſſent fructus bonæ fidei poſſeſſoris facto nati; cum autem natura dictet, vt in re noſtra alteri concedamus id, quod nobis non nocet, & ei prodeſt *l. 2. §. idem Varus ff. de aqua pluuia arcenda*; non debet vtiq; conqueri dominus rei, quòd bonæ fidei poſſeſſoris facto huiuſmodi fructus nati fuerint, etiam ſi nullam eorum partem habiturus ſit; quia id, non modo ipſius rei obſuit, ſed valde profuit; per culturam enim ipſius, & curam factū eſt, ne fundus aratore carens deterior redderetur; æquitas ergo naturalis dictat vt poſſeſſor pro cultura, & cura acquirat fructus facto eius natos; non tanquam compenſationem laboris, ſed quia facto ipſius nati fuere.

6 Hæc autem ratio in ſola æquitate fundata non poteſt adimere dominium fructuum ad dominū ipſo iure pertinens, cum ſint nati ex ſuo fundo iuxtà regulam nu. 1 propoſitam; & proinde hoc ius ad fructus conſumptos reſtrictum fuit *l. certum 22. C. de rei vindic. certum eſt, malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſoluere cum ipſa re præſtare; bonæ fidei verò extantes; poſt litis autē cōteſtationē vniuerſos.*

7 Quando fructus extant dominium ipſorum ſpectat, procul dubio ad dominum rei; ideoq; non minus vindicantur quam res, vndè nati fuere; itaq; non poterit Iudex eorum reſtitutionem impedire, cum id non veniat ex eius Officio, & benignitate; ſed vi ac poteſtate actionis domino à iure ciuili conceſſæ ad res ſuas vindicandas: Vbi autem de fructibus conſumptis agitur, rei vindicatio locum habere non poteſt, quia à reo non poſſidentur, nec dolo deſierunt poſſideri iuxta regulam l. quod ſi dolo 23. ff. de rei vindic.; opus itaq; eſt, ad Officium Iudicis confugere vt cogat poſſeſſorem reſtituere fructus ex ea re perceptos §. 1. Inſt. de Offic. Iudicis; ne autem Iudex ſuam hac in re interponat authoritatem ſatis eſt, quòd æquitas aliud ſuggerat; prout accidit eo in caſu, quo fructus facto ipſius nati fuerunt, & bona fide ab eo fuere conſumpti.

Fructus ante Iudicium acceptum bona fide perceptos, & conſumptos an poſſeſſor reſtituat, quando fuit inde factus locupletior, ſi verſemur in iudicio ſingulari. Cap. XXXIII.

1 SI poſſeſſor fructus induſtriales bona fide perceptos ante iudicium conſumpſerit, an eos reſtituere teneatur, quando ex ipſis factus fuit locupletior, dubitant DD. vt ex ijs conſtat, quæ ſcribunt *Couar. lib. 1, var. c. 3. nu. 6. verſ. ſexta concluſio, Menoch. remed, 15. recup. poſſ. nu. 585. & ſeq. Barz. deciſ. 58. à nu. 36. & deciſ. 61. à nu. 14. Francus deciſ. 31. num. 1, Theſaur. deciſ. 29. nu. 10. D. Fach. lib. 1. cap. 58. Thomas Sanchez. ſuper Decalogo lib. 2. c. 23. nu. 77, Laderch. conſ. 165. à nu. 7, Surd. conſ. 293. num. 13. Cauallos quæſt. 119. Rota deciſ. 394. num. 2. part. 2. recent. Petra de fideicom. quæſt. 15. à nu. 335.*

2 Negantium ſententiam, vbi verſamur in iudicijs particularibus veriorem eſſe exiſtimo, ex eo motus, quod ex tot iuris noſtri locis ex profeſſo tractantibus de horum fructuum reſtitutione nullus eſt, qui in iudicijs particularibus quærat, an ex fructibus huiuſmodi poſſeſſor fuerit factus locupletior; cum enim hoc ſæpiſſimè accidat abſurdum eſt dicere, id in mentem non veniſſe iuris noſtri Authoribus; cur ergo indiſtinctè docuerunt, fructus conſumptos ante iudicium non eſſe poſtulandos, ſi diſtinguendum erat an locupletiores facti fuiſſent ij, qui eos perceperant? non eſſet hoc docere, ſed decipere.

3 Ad hanc ſententiam confirmandam ſpectat textus *in §. & ſi hereditas Inſt. de Offic. Iudicis*; ait autem Imp. *& ſi hæreditas petita ſit, eadem circa fructus interueniunt, quæ diximus interuenire de ſingularum rerum petitione*: cum autem in his iudicijs per omnia par ratio non ſit, vt rem apertius definiret addit hæc verba: *Illorum autem fructuum, quos culpa ſua poſſeſſor non perceperit, in vtraq; actione eadem ratio penè habetur, ſi prædo fuerit*: duos diſtinguit caſus; Primus eſt, quando malam fidem habuit, qui his verbis expoſitus eſt; Secundus autem eſt quando bonam fidem habuit, quē his verbis exprimit; *Si verò bonæ fidei poſſeſſor fuerit non habetur ratio neq; conſumptorum, neq; non perceptorum*; ſcilicet in iudicijs particularibus; in petitione enim hereditatis aliud obſeruari conſtat *l. item veniunt 25. §. eos autem ff. de petit. hæred.*

4 Non habetur ratio ait Imp., ideſt de ipſis non eſt quærendum; Si enim ad eos reſtituendos aliquo remedio poſſet or cogi poſſet; vtiq; de ipſis ratio haberetur; quid enim refert, hac vel illa ratione fructus conſumptos, ſeu eorum æſtimationem recuperare dummodo recuperentur? & ideò gloſſa vim infert textui dùm eum ſic reſtringit vt non comprehendat condictionem *l. ſi me, & Titium ff. ſi certum pet.*; quid enim refert, huiuſmodi remedio fructuum conſumptorum æſtimationem obtinere, vel Officio Iudicis.

5 Confirmatur hæc ſententia ex *l. præterea 30. ff. de rei vindicat.*, vbi Caius ſic inquit; *Præterea reſtituere debet poſſeſſor, & quæ poſt acceptum iudicium, non ex re ſua acquiſiuit*: ſi eo locupletiore facto reſtitutioni locus eſſet, etiam ſi ante acceptum iudiciū eos percepiſſet, cur I. C. dixiſſet poſt acceptum iudicium? cur reddens rationem huius deciſionis,

Digitized by Google

ſcholio ait; *Neq; enim ſufficit corpus ipſum reſtitui; ſed opus eſt, vt & cauſa rei reſtituatur:* cauſa enim rei ſignificat acceſſiones rei, quæ in iudicio ſuper re moto veniunt *l. Iulianus 17. §. idem Iulianus eo tit.* quatenus autem huiuſmodi cauſæ ratio ſe ſe extendat, exprimunt ſequentia verba; *id eſt, vt omnia habeat petitor, quod habiturus eſſet ſi eò tempore, quo iudicium accipiebatur, reſtitutus illi homo fuiſſet;* ſi cauſæ appellatio complecteretur ea etiam, quæ percepta, & conſumpta fuere ante iudicium acceptum, quando locupletiorem fecere poſſeſſorem, cur I. C. ſe reſtringit ad tempus iudicij accepti? quòd argumentum eò magis viget; quia idem obſeruauit Paulus *in l. reſtituere 35. ff. de verbor. ſign.*

6 Tertiò viget *l. 4. §. finali ff. finium regundorum;* ait Paulus: *Poſt litem autem conteſtatam etiam fructus venient in hoc iudicio; ſed antè iudicium percepti in hoc iudicium non omnino venient;* huius diſtinctionis rationem reddit his verbis: *Aut enim bona fide percepit, & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſerit; aut mala fide, & vindari oportet:* hæc ratio proponit doctrinam generalem; & diſtinctam; quia non dixit lucrari ſimpliciter; ſed addidit, ſi eos conſumpſerit; cur ergo nō addidit, nec locupletior factus fuerit, ſi hoc interueniente, doctrina huiuſmodi nō erat obſeruanda?

7 Viget etiam *l. 2. C. ſi quis ignor. minor. eſſe;* minoris fundi abſq; ſolemnitatibus alienati fuerāt, eiuſq; is, quid ſibi faciendum eſſet, conſuluiſſet Gordianum Imp., hoc obtinuit reſcriptum: *Si contra ampliſſimi ordinis decretum poſſeſſiones tuæ diſtractæ ſunt; conueni earum poſſeſſorem; (vt ſi ita probaueris geſtū) & poſſeſſio retrahatur, & fructus vniuerſi reuocentur, ſi non bona fide emptorem fuiſſe, qui emit, conſtiterit.* Reſtringit ergo Imp. recuperationem vniuerſorum fructuum ad caſum malę fidei; ergo locupletatio non præbet cauſam recuperandi vniuerſos fructus: dubium autem fuiſſe circa conſumptos ex eo patet, quòd reſpectu extātium non eſt opus mala fide ad eos recuperandos l. certum 22. C. de rei vindicat.: ſicq; video à iuris noſtri Conditoribus obſeruatum, vt agant de malę fidei poſſeſſoribus quando docent, fructus conſumptos poſſe recuperari l. ſi aduerſus in fine C. de crim. expil. hæred. l. 3. C. de condict. ex lege.

8 Confirmatur hæc ſententia ex l. emptor 65. ff. de rei vind.; quidam bona fide acquiſiuit fundum pignori datum; I. C. docet, poſſeſſori ſoluendam eſſe pecuniam, pro qua pignori datus fuerat vna cum vſuris medij temporis; ſcilicet ait I. C. ſi minus in fructibus antè litem perceptis fuerit; nā eos vſuris nouis dumtaxat compenſari, ſumptuū in prædio factorum exemplo æquum eſt.

Vt inducatur compenſatio fructuum ante litē perceptorum cum vſuris Papinianus confugit ad æquitatem, cuius allegatio omnino ſuperflua eſt, ſi eorum æſtimationem condicere poterit, quatenus locupletior factus fuerit, quia ſummo iure tunc haberet ius recuperandi fructus; ergo alterū dicendum eſt; vel Pap. pro abſoluto ponere, fructuum huiuſmodi æſtimationem peti non poſſe, vel ipſum agere de ea ſpecie, in qua non fuerit factus locupletior; quòd nullatenus eſt admittendū, quia proponit quęſtionem in abſtracto; ideoq; maxima notā dignus eſſet, ſi indiſtinctè propoſuiſſet id, quod diſtinctionem deſiderabat.

9 In eandem ſententiam tendit l. certum 22. C. de rei vind.: Certum eſt malæ fidei poſſeſſores, omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare; bonæ fidei verò extantes; poſt litis autem conteſtationem vniuerſos: diſtinguit textus reſpectu poſſeſſoris bonæ fidei tempus litis conteſtatæ à tempore antecedenti; reſpectu huius temporis extantes reſtitui debere monet; reſpectu autem temporis antecedentis vniuerſos; ſi conſumptos teneretur reſtituere, quando factus fuit locupletior, male dixiſſet extantes; ergo diſcrimen cōſiſtit inter cōſumptos, & extantes; quòd hos ſemper, illos nunquam reſtituat.

10 Poſtremò hanc partem euidentem reddit Iuſt. in §. ſi quis à non domino Inſt. de rer. diuiſ.: *Si quis à non domino, quem dominum eſſe crediderit, bona fide emerit; vel ex donatione, aliaue iuſta cauſa, æquè bona fide acceperit; naturali ratione placuit, fructus, quos percepit, eius eſſe pro cultura, & cura:* ex profeſſo rem explicat; ideoq; diligenter cauendum eſt, ne eius doctrinam ſic exponamus, vt defectiua ſit; declarans autem id, quòd dixerat, ait; *& ideò, ſi poſteà dominus ſuperuenerit, & fundum vendicet, de fructibus ab eo conſumptis agere non poteſt:* ſi diſtinguendum erat, an factus fuerit locupletior, vel non; perperam Imp. concluſionem generalē colligit, fructus conſumptos repeti non poſſe; pergit Imp. & indicat differentiam exiſtentem inter poſſeſſorem bonę fidei, & eum qui mala fide rem poſſedit, & ait; *Ei verò, qui alienum fundum ſciens poſſederit, non idem conceſſum eſt; itaq; cum fundo, etiam fructus, licet conſumpti ſint, cogitur reſtituere.* Illa verba licet conſumpti ſint, inſinuant differētiam inter poſſeſſorem bonæ, vel malæ fidei; nam reſpectu extantium non differunt; ergo indiſtinctè bonæ fidei poſſeſſor liber eſt à reſtitutione conſumptorum, alias non conſiſteret differentia in ſola conſumptione, ſed præterea locupletatio eſſet conſideranda; ideoq; Imp. debebat dicere, licet cōſumpti ſint, & locupletior nō fuerit factus.

11 Expendamus nunc argumenta contrariæ ſententiæ, primum deducitur ex *l. item veniunt 20. §. eos autem ff. de pet. hæred.* ab Vlp. recenſentur verba S. C. facti aduerſus eos, qui poſſident hæreditates ad alios ſpectantes, quæ ſic ſe habent: *eos autem, qui iuſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſſent, vſq; eò dumtaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent:* Vt huic arg. ſatisfaciā recenſebo verba eiuſdem Vlp. hanc S. C. partem exponentis in *l. ſed & ſi lege 28. §. conſuluit;* eodē tit. his verbis: *conſuluit Senatus bonæ fidei poſſeſſoribus, ne in totum damno afficiantur; ſed in id dumtaxat teneantur, in quo locupletiores facti ſunt:* magna eſt ergo differentia inter poſſeſſorem hæreditatis, & bonę fidei poſſeſſorem rerum ſingularium; in illo enim illud quæritur, ne damno afficiatur; in hoc autem quæritur, quatenus lucrari debeat fructus ex re aliena perceptos; bonæ enim fidei poſſeſſorem rerum ſingularium in lucro, quò ad fructus perceptos verſari poſſe ſignificat *Iuſt. in §. ſi quis à non domino Inſt. de rerum diuiſ.* dum ait; *placuit fructus, quos percepit eius eſſe pro cultura, & cura;* concordat I. C. *in l. fructus 45. ff. de vſuris;* hucuſq; reſpiciunt iura ſupra conſiderata dum à fructuū conſumptorum reſtitutione indiſtinctè excuſant

bonæ fidei poſſeſſorem; & in propoſito differentiam inter petitionem hæreditatis, & iudicia ſingularia indicat *Iuſt. in §. 2. Inſt. de Offic. Iudicis*, *vt oſtendi nu. 3. & ſeq.*

12 Vnde verò hæc differentia deſcendat videamus: in eo autem conſiſtit, quòd hæreditas augetur fructibus interim natis, *l. item veniunt 20. §. item non ſolum verſ. fructus ff. de pet. hæred.* & proinde hæres iure ſuo, nō autē Iudicis Officio omnes omnino fructus conſequi poteſt; qui enim hæreditatis conſequendæ ius habet, ſingulas eius partes iure ſuo poſtulat *l. quæ de tota ff. de rei vindic.* & proinde fructus percepti ab eo, qui conuenitur petitione hæreditatis, extantibus fructibus ſimiles ſunt; à quorum reſtitutione nec bonæ fidei poſſeſſor excuſatur, *l. certum 22. C. de rei vind. vt expoſui in c. antecedenti nu. 6. & 7.*

13 Vt interim non omittam, hoc ius nouè fuiſſe à Senatu introductum *l. ſi, & rem 25. verſ. num, & in oratione l. Iulianus 33. verſ. ad quum, l. poſt 31. eodem tit.* quòd non erat opus facere, ſi cæteri bonæ fidei poſſeſſores cogebantur reſtituere fructus, quando locupletiores inde facti fuerunt.

14 Secundò adducitur regula *l. ſi, & me, & Titium 32. ff. ſi cert. pet.* quòd ſcilicet quis poſſit condicere rem ſuam, quæ ad alium peruenit, etiam ſi cū eo nullum negotium geſſerit; Vt cætera prætermittam dico, regulam huius legis ceſſare, quando res ad alium peruenit titulo oneroſo vt ibi notat *Bar. nu. 2. in fine verſ. aut titulo oneroſo, vbi Angel. nu. 2. verſ. nec obſtat Caſtr. in ſum Alex. nu. 2. Socin. nu. 3. verſ. ſecundò limit. Corn. in principio verſ. primò quòd, Purpur. nu. 10. in fine, & nu. 11. vbi alios adducit, Alciatus nu. 16. Menoch. remed. 4. recup. poſſ. nu. 4. & plurimi alij, de quibus Marius Giurba ad Statuta Meſſane p. 1. c. 2. gloſſa 8. num 14. Coſta remed. ſubſidiar. 12. nu. 4. verſ. ſecundum eſt*; & proinde noſtræ quæſtioni applicari non poteſt; quia quò ad fructus lucrandos non eſt maior poteſtas tituli oneroſi, quam lucratiui *§. ſi quis à non domino in principio Inſt. de rerum diuiſ.*; quomodo enim poſſumus applicare condictionem generalem diſtinguentem inter titulum lucratiuum, & oneroſum, materiæ habenti ſuas regulas proprias, & reijcienti diſtinctionem tituli oneroſi, & lucratiui, ſuper qua fundatur condictio generalis? poterunt autem ij, qui titulum oneroſum habent, excludere facilius à ſe opinionem, quam impugnamus; cum enim omnes eius ſequaces authoritate d. l. ſi me, & Titium potiſſimè moueantur, debet vtiq; eorum doctrina reſtringi ad limites ipſius.

15 Tertiò adducitur *l. item ſi verberatum 15. §. 1. ff. de rei vind.* vbi habetur, in rei vindicatione venire pretia fructuum diſtractorum; reſpondeo, hunc textum coniungendum eſſe cum *l. non ſolum 13. eiuſdem tit.* vt ex inſcriptione, & earum contextus ſimul iunctio liquebit; in his autem textibus dico agi de tempore poſt litem motam; id primo loco indicat principium d. l. non ſolum, & ſenſit ibi gloſſa vt patet ex legibus ab ipſa adductis; idem clarius docet in verbo habebitur; Secundò id probatur ex eadem *l. nō ſol. verſ. quamq; & legis Aquiliæ iuncta l. 2. & 5. §. inutiā ff. ad l. Aquiliam*; *Tertiò id probatur ex d. l. item verberatum in principio, iuncta l. 3. §. 1. ff. de iniur. & notat gloſſa in d. l. item verberatum*; *Quartò probatur ex principio §. 1. eiuſdem legis, vbi vt*

pretium duntaxat iuncta regula l. vtiq; 16. §. 1. ff. de rei vindicat.; *Quintò demq; probatur ex verſic. item ſi forte ager*, conſiderando continuationem ſermonis cœpti; dum ergo I. C. dixit, *nam & ſi fructus perceptos diſtraxit ne corrumperentur, aquè non ampliùs, quam pretium præſtabis*, in eiſdem terminis verſatur, cum hoc dixerit ad comprobationem doctrinæ in antecedenti clauſula propoſitæ; ad æquitatem autem huius deciſionis aſſequendam adeas l. ſeq. §. 1.

16 Concludo itaq;, receptam opinionem eſſe veriſſimam; receptam inquam in foro, vt ex eo liquet, quod licet frequentiſſimæ ſint lites, in quibus poſſeſſor locupletior factus fuit ex fructibus induſtrialibus rariſſimi tamen ſunt loci deciſionum, & reſponſorum, in quibus de hac diſputatione tractetur; caueas ergo diligenter, ne aliud ſentias iudicando, aut reſpondendo.

Fructus naturales, & ex annuis reditibus percepti, conſumptiq; an per bonæ fidei poſſeſſorem reſtituendi ſint, ſi ex ipſis factus fuerit locupletior ad l. qui ſcit 25. § 1. l. fructus 45. ff. de vſur. l. bonæ fidei 48. ff. de acq. rer. dom.

Cap. XXXVI.

1 AN fructus naturales conſumpti ſpectent ad bonæ fidei poſſeſſorem locupletiorem ex iis factum; ardua eſt dubitatio de qua agunt DD. allegati à *Couar. lib. 1. var. c. 3. nu. 6. Pinellus ad l. 2. C. de reſc. vend. p. 2. c. 4. num. 57. Menoch. remed. 15. recup. poſſ. à nu. 580. Duar. ad tit. de vſur. & qui fructus in reſt. vend. l. vlt. Scolaſt. diſcept. c. vlt. Anton. Fab. lib. 4. coniect. c. 17. D. Fachin lib. 1. cap. 37. Petra de fideicomm. q. 8. à nu. 344. Peregr. in ſimili tract. artic. 49. num. 122. Laderch. conſ. 165. Thomas Sanchez ſuper Decalogo lib. 2. c. 23. à nu. 67. Paritanus conſ. 59. nu. 6.*

2 Veriſſimam reor, & omnino retinendam eſſe eorum ſententiā, qui negant ad bonæ fidei poſſeſſorem fructus naturales ſpectare ex eo motus, quòd naturali ratione placuit, bonæ fidei poſſeſſorem ſuos facere fructus conſumptos teſte *Iuſt. in §. ſi quis à non domino Inſt. de rerum diuiſ.*; hæc enim naturalis ratio conſiſtit in eo, quod poſſeſſoris cultura, & cura nati fuerunt illi fructus, qui aliàs nati non fuiſſent, vt expoſui ſupra c. 32. & proinde hoc ius eſt reſtringendum ad fructus induſtriales; de his enim ſolis dici poteſt, quòd eius facto nati ſint.

3 Vt in propoſito docet I. C. *in l. fructus 45. ff. de vſur.* dum ait; *fructus percipiendo vxor, vel vir ex re ſibi donata ſuos facit; illos tamen, quos ſuis operis acquiſiuit; veluti ſerendo*; reſtringit I. C. propoſitionem generalem ad eos fructus, qui opera eius nati fuerint, inde inferendo ad fructus naturales, quòd eis non acquiruntur, his verbis: *Nam ſi pomum decerpſerit, vel ex ſilua cædit, non fit eius*; ne quis autem putaret, hoc ius ſingulare eſſe in illa ſpecie addit; *ſicut nec cuiuſlibet bonæ fidei poſſeſſoris*; Hæc autem verba duplicem ſenſum accipere poſſunt; Primò vt ſignificent, non omnem poſſeſſorem retinere fructus naturales; Secundò vt indicent, nullum bonæ fidei poſſeſſorem hoſce fructus ſuos facere.

4 Secundò autem ſenſu à I. C. accepta fuiſſe indi-

cat

cat ratio ab eo adducta, *quia non ex facto eius is fructus naſcitur*; hęc enim ratio omnibus omnino cõuenit, qui res alienas poſſident, quando agitur de fructibus naturalibus; ſemper enim verum eſt, eorum facto hoſce fructus natos non eſſe; redarguunt ergo illi I. C. qui qualitatem tituli poſſeſſoris hac in re conſiderant; ſi enim ex qualitate tituli id pendebat, cur omiſſa hac ratione aliam attulit omnem complectentem titulum?

5 Confirmatur hæc opinio ex regula *l. quæſitum 40. in fine ff. de acq. rer. dom.*; vt ſcilicet pari iure procedant acquirere fructus rei bona fidei poſſeſſæ, & acquirere per perſonam ſerui bona fide poſſeſſi; de ſeruo enim alieno, quem ad nos pertinere putamus, ſcriptum eſt *in §. de ijs autem, & §. ſeq. Inſt. per quas perſon. nob. acq.* nihil acquirere poſſeſſori præter ea, quæ ex re poſſeſſoris acquiſiuerit, vel ex operis ſuis; ergo nec bonæ fidei poſſeſſor acquiret fructus, præter eos, qui facto eius naſcuntur; huc reſpicit *l. qui ſcit 25. §. 1. verſ. reſpondi ff. de vſuris*.

6 Poſtremò conſidero, Iuſtin. in titulo de rerum dimiſ. explicare modos acquirendi dominij ex eo iure deſcẽdentes, quòd cum ipſo genere humano proditum fuit vt patet ex §. ſingulorum eiuſdem tituli; non eſt ergò ſatis in propoſito, allegare rationem ciuilem, & politicam, cuius modi eſt, ne commercia impediantur, ne dominia ſint in incerto *l. 1. ff. de vſucap. & in princip. tit. eiuſdem in Inſt.*; ſed opus eſt afferre rationem naturalem, cur ad bonæ fidei poſſeſſorem ſpectent fructus naturales ex re aliena percepti, cum facto eius nati nõ fuerint; hæc autem ratio allegari non poteſt, cum ideo fuerit receptum, fructus ad bonę fidei poſſeſſorem pertinere, quando conſumpti fuerunt, quia cura, & cultura eius nati fuere; ſi enim alia ratio aderat, cur eam omiſit Iuſt. rem ex profeſſo explicans?

7 Nullam autem aliam rationem exiſtere inde liquet, quòd ratio commerciorum huic rei applicari nõ poteſt, cum diſcrepet perceptio fructuum ab vſucapione, non ſolum quò ad titulum *l. bonæ fidei 48. ff. de acq. rer. dom.*, ſed etiam reſpectu tẽporis conceſſi domino ad rem ſuam perſequendam *l. 1. ff. de vſucap.*; nullum enim quò ad fructus conceſſum fuit ſpatium domino, ad rem ſuam recuperandam; litium etiam tollendarum ratio non poteſt allegari, quia idem iudicium proprietatis, fructuumq; diſputationem expedire commodè poteſt.

8 Valdè confirmat hanc ſententiam *l. qui ſcit 25. §. 1. ff. de vſur. proponit Vlp. hanc facti ſpeciem, in alieno fundo, quem Titius bona fide mercatus eſt, ſeui; an Titius bonæ fidei emptor præceptos ſuos faciat?* ſeui in quã vt eſt in Pandectis Florentinis; cui ſic ſatisfecit: *Reſpondi quo ad fructus, qui ex fundo percipiuntur, intelligi debet propius ad ea accedere, quæ ſerui operis ſuis acquirunt*: ſic legitur hæc clauſula in Pandectis Florentinis; quæro autem, cur Vlp. hanc rationẽ attulerit, cum vno verbo poſſet ſe expedire dicẽdo, non deſtrui bonam fidem poſſeſſoris ex eo, quod alius fundum ſeuerit?

9 Si dixeris, id factum fuiſſe, quia æquiparantur hęc, vt quis acquirat ex ſeruo alieno à ſe bona fide poſſeſſo, & acquirere fructus fundi alieni à ſe bona fide poſſeſſi *l. quæſitum 40. ff. de acq. rer. dom.* replicabo, duas eſſe quæſtiones, prima eſt, an bonę fidei poſſeſſor faciat fructus ſuos, ſecũda quatenus huiuſmodi regula ſe ſe extendat; prima quæſtio eſt explorata, ſecunda autem varias admittit conſiderationes; ſi dicimus, Vlpianum circa primam verſatum fuiſſe, eum redarguimus, quòd in re explorata laborauerit, attulerit q; eas rationes ſuæ doctrinæ, quæ in dubium poterant reuocari, ea ratione omiſſa, quæ euidens erat; quod ſcilicet ordinarij iuris ſit, vt bonæ fidei poſſeſſor fructus faciat ſuos.

10 Si autem dixeris, Vlp. in ſecunda queſtione verſari, quæram à te, quæ circumſtantia adfuerit in huiuſmodi ſpecie ſuadens non eſſe locum regulę docenti, bonæ fidei poſſeſſorem facere ſuos fructus ex ea re perceptos? nullã autem aliam inuenies præter eam, quòd facto poſſeſſoris hi fructus non fuerint nati, ſed alterius; hæc autem circumſtantia ideò vrgebat, quia dicta regula ad eos ſolos fructus pertinet, qui facto poſſeſſoris nati fuerunt; hucq; reſpexit Vlp. dum dixit; *quoniam in percipiendis fructibus magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quam ſeminis, ex quo oriuntur, inſpicitur; & ideò nemo vnquam dubitauit, quin ſi in meo fundo frumentum tuum ſeuerim, ſegetes, & quòd ex meſſibus collectum fuerit, meum fieret*; ſeuerim in quam vt legitur in Pandectis Florentinis.

11 Huc enim hæc tendunt vt oſtendat, non impediri acquiſitionem fructuum poſſeſſori, quod ex alterius ſemine ab eius domino iacto in fundum, nati fuerint; ait autem I. C. ius fundi præualere ſemini; ergo quis dixerit, fructus debent ſpectare ad dominum fundi, non autem ad bonæ fidei poſſeſſorem, cuius facto fructus nati fuit; hæc oppoſitio eſt valde difficilis, ideoq; multum confirmat id, quod dixi, Vlpianũ ſcilicet velut rem valde difficilem hanc dubitationem tractauiſſe; puto autem, hunc nodum diſſolui poſſe conſiderando, ius fundi ſignificare hoc in loco ius percipiendi ex fundo velut ad ſe ſpectante, fructus ex eo natos; quod adeò efficax eſt in bonę fidei poſſeſſore, vt in clauſula ſequenti hæc legantur; *porrò bonæ fidei poſſeſſor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum eſt*.

12 Senſus ergo I. C. eſt hic; licet hoc in caſu facto poſſeſſoris fructus omnino nati non fuerint; quia alius ſeuit; ſeminis tamen ius cedit iuri fundi, eo modo quo accidit in domino fundi in ipſum alienum ſemen iacente; quod exemplum non conueniret quæſtioni propoſitæ, ſi ille, qui ſeuit fundum, ipſum coluiſſet, & fructus opera ſua ad maturitatem deduxiſſet; nec commodè I. C. facti ſpeciem propoſuiſſet, quia ſerere non poteſt culturam, & curam exprimere; ratio itaq; dubitandi apud I. C. erat, quia licet poſſeſſori fundi cultura, & fructuum cura tribui debeat; natiuitas tamen, & vita eorum accepto ferri debet ei qui fundum ſeuit; & proinde facto poſſeſſoris fructus nati dici non poſſe videntur; I. C. autem reſpondet, quod vbi concurrunt ius ſeminis, & ius fundi; hoc eſt eius cultura, & fructuum cura, minus valet ſemen; vt ex eo liquet exemplo, in quo quis ſeuit ſuum fundum ex alieno ſemine; in percipiendis enim fructibus bonæ fidei poſſeſſor loco domini eſt.

13 Illud præterea animaduertendum eſt, quod

I. C. poterat vno verbo rem expedire dicendo, eum, qui ſeuit fundum ab alio poſseſsum, non poſse fructum inde naſcentem vindicare *§. ex diuerſo §. ſi Titius Inſt. de rer. diu.* cur ergo hac ratione omiſsa aliã adeò difficilem allegauit? reſpondeo, non fuiſse dubitatum, an fructus ſpectarent ad eũ, qui ſeuit, ſed id fuiſse quæſitum reſpectu domini fundi, an cauſa ipſius cederet iuri bonæ fidei poſſeſsoris; ratio autem dubitandi idonea nulla allegari poterat, quam quia ad bonæ fidei poſseſſorẽ illi ſoli fructus ſpectãt, qui facto eius nati fuere.

14 In contrarium primo loco perpenditur *l. bona fidei 48. ff. de acquir. rer. dom. bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex aliena re, ſuos interim facit; non tantum eos qui diligentia, & opera eius peruenerint, ſed omnes, quia quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt*: illa mihi videtur commodiſſima reſponſio, quæ deducitur ex aduerbio interim vt nempe I. C. ſignificet illud tempus, quo rem poſſidebit; vt interim ſcilicet eos faciat ſuos, ità vt ipſos conſumere, & alienare liberè poſſit; an verò eorum æſtimatio à petitore condici deinde poſſit, non attingit I. C. & ideò ex alijs legibus id erit deducendum: huic interpretationi fauet illa clauſula; *deniq; etiam prius quam percipiat, ſtatim vbi à ſolo ſeparati ſunt, bonæ fidei emptoris ſiunt*: conſtat enim, ſi lis fuerit ante conſumptionem ipſorum mota, eſse reſtituendos *l. certum 22. C. de rei vind.* ad idem ſpectat clauſula nec contrarium.

15 Non obeſt autem huic explicationi, quod retento hoc intellectu I. C. non debebat dicere eſse penè loco domini quò ad fructus; ſed debebat id abſolute dicere vt fecit *Vlp. in l. qui ſcit 25. §. 1. de vſuris*; quia reſpondeo circa fructus duo conſiderari, ius ſcilicet percipiendi, & ius conſumendi, ſeu diſtrahendi eos; quò ad primum bonæ fidei poſſeſſor loco domini eſt, & in his terminis verſatur Vlp. ait enim, *bonæ fidei poſſeſſor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis prædiorum tributum eſt*; quò ad ſecundum autem minus iuris habet, ideòq; ſi diſtraxerit fructus non liberatur ſimpliciter, ſed ità demum ſi eos diſtraxerit, ne corrumperentur *l. item ſi verberatum 15. §. 1. ff de rei vindic.*

16 Non eſt autem omittendum, I. C. in d. l. bonæ fidei non egiſſe de fructibus, qui opera noſtra naſcuntur, ſed ſic ſcripſiſſe, *non tantum eos, qui diligentia, & opera eius peruenerint*; adiectiuum enim eius reſtringit dictum ad fructus natos opera poſſeſſoris; dum ergo dixit, *ſed omnes*; id dixit ad amplificandum ſermonem; vt ſit ſenſus, non ſolum facit ſuos fructus, qui opera eius nati ſunt, ſed omnes, cuiuſcunq; opera nati fuerint; quæ adiectio erat neceſſaria, cum dubium eſſet, an fructus nati alterius opera, quam bonæ fidei poſſeſſoris, ad ipſum ſpectarent vt cum *Vlp. in l. qui ſcit 25. §. 1. ff. de vſur. oſtendi nu. 8. cum ſequentibus*; quam conſiderationem illud adiuuat, quòd vtroq; loco eadẽ ratio allegatur; quia ſcilicet quò ad fructus bonæ fidei poſſeſſor equiparatur domino.

17 Secundò vrget *l. certum 22. C. de rei vindic.* dum *ait; certum eſt, malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare; bonæ fidei verò extantes; poſt litis autem conteſtationem vniuerſos*; aiunt in hoc textu proponi doctrinam perfectam circa fructus à poſſeſſore reſtituendos, vel non; cum itaq; nullũ proponat diſcrimẽ inter naturales, & induſtriales; nec nos proponere debemus: vt huic argumento ſatisfaciam præmitto, hunc textum eſſe reſcriptũ redditum cuidam mulieri ab Impp. Diocletiano, & Maximiano, & proinde agimus de lege, in qua legiſlator non ſolet perfecte rem explicare; Veteres .n. Impp. in reſcriptis non ſolebant iuris rationem ſimpliciter enodare, ſed quatenus opus erat, vt ſatisfacerent poſtulatis; tariſſima .n. in C. qui ex ipſis penè conſtat, reperies reſcripta ambiguum iuris locum perfectè enodantia, quando poſtulatis poterat, aliqua eius parte omiſſa, plenè ſatisfieri; vt ergo dicamus, Impp. voluiſſe, omnem quæſtionem de fructibus à bonæ fidei poſſeſſoribus perceptis in hoc textu perfectè explicare, opus eſt affirmare, poſtulatis huiuſmodi mulieris non potuiſſe ſatisfieri, niſi per abſolutam huius quæſtionis explicationem.

18 Secundò præmitto, *Iuſt. in §. ſi quis à non dño Inſt. de rerum diuiſ.* voluiſſe ex profeſſo explicare ius bonæ fidei poſſeſſoris circa fructus ex re aliena perceptos; eumq; velut fundamentum huius iuris propoſuiſſe, quòd ratione naturali ſuadente receptum fuerit, vt bonæ fidei poſſeſſor ſuos fructus faciat conſumptos ꝓ cultura, & cura, quę ratio nullo modo cõuenire poteſt fructibus naturalibus; & proinde alterum neceſſariò ſequitur; aut Iuſtinianum ſenſiſſe, ſub huiuſmodi regula non contineri fructus naturales, aut propoſuiſſe rationem non bonam ſuę doctrinæ; & omiſiſſe mentionem fructuum naturalium, quorum mentionẽ eum facere inſtituti ſui ratio iubebat,

19 Reſpondeo igitur, in reſcriptis ea omitti, quæ non pertinent ad caſum, ſuper quo editum fuit reſcriptum; vt ergo quis affirmare poſſit, imperfectã reddi doctrinam d. l. certum, opus eſt vt oſtendat, de fructibus naturalibus conſumptis egiſſe Impp. auctores ipſius; hoc autem, cum ſimus in dubio, dicere non debemus ne reddatur imperfecta, & falſa doctrina Iuſt. in d. §. ſi quis à non domino: Concludo itaq; veriſſimam eſſe ſententiam docentem, poſseſſorem teneri ad æſtimationem fructuum naturalium, quando locupletior factus fuit: quæ receptiſſima eſt, nam pro ea ſunt numerandi Doctores id docẽtes in fructibus induſtrialibus, qui plurimi ſunt, de quibus in c. antecedent. num. 1.

20 Ex dictis intelligimus, annuorum redituum fructus in propoſito eſſe numerãdos inter fructus naturales, quia facto eius non naſcuntur: idem dicendum eſt in mercede, quam locator ſoluit ex cõtractu ab alio facto priuſquã res ad bonæ fidei poſſeſſorem perueniret: quia opera eius, & cura in hoc conſiderari nequit; & proinde dicendum eſt, nihil differre à fructibus naturalibus quò ad rem noſtram; eoſq; eſse reſtituendos quatenus locupletior inde factus fuerit; aliud tamen ſenſit ampliſſima Rota Romana apud *Cencium in add. ad ſuum tract. de cenſibus deciſ. 54. nu. 3. & 4. & deciſ. 122. nu. 4 & ſeq. quæ mouetur ex d. l. bona fidei 48. de acq. rerum dom., cui ſatisfeci nu. 15. & ſeq. & ex l. qui ſcit 25 §. 1 ff. de vſur.*, quæ valdè vrget pro noſtra ſententia vt oſtendi nu. 8. cum ſeq.; adducit etiam ſcripta per *Menoch. remed. 15. recup. poſſ. nu. 578. & ſeq. qui nobiſcum ſenſit nu. 585*, dũm docet, naturalium fructuũ æſtimationem eſſe ſoluendam

inuendamtā bonæ fidei poſſeſſore, qui factus fuit locupletior; ciuiles n. æquiparantur naturalibus, vt notat Alex. conſ. 144. nu. 7. lib. 5.

Hæres qui non confecit inuentarium an teneatur in foro conſcientiæ ſatisfacere creditoribus; & legatarijs; & an eodem iure, quo cæteri vtantur Eccleſia, Princeps, Fiſcus, & is quem teſtator liberauit ab onere faciendi inuentarij. ad l. fin. C. de iur. delib. Cap. XXXV.

1 HÆreditas eſt ſucceſſio in vniuerſum ius defuncti l. nihil aliud 14. de verb. ſign. l. hæreditas 63. de reg. iur.; ideoq; hæres perſonam defuncti ita induit, vt eum repræſentet Auth. de iur. iur. à moriente præſtito in principio, quod latè expoſui hoc ipſo libro 18. c. 6; ſecundum quam ſententiā loquitur Iuſt. in l. final. C. de iur. delib. in principio, dum ait; *Si quidem recta via adire maluerit hæreditatem, & ſpe certiſsima hoc fecerit, nullo indiget inuentario, cum omnibus creditoribus ſuppoſitus ſit, vt pote hæreditate ei ex ſua voluntate infixa,*

2 Et hæc fuit cauſa, cur olim præſtitueretur tempus hæredi ad deliberandum; nimis enim durum erat, hæredem ſtatim adire debere, vel repudiare; cum autem hoc beneficium non eſſet ſatis vt incolumitati hæredum conſuleretur, Iuſtinianus æquiſſima edita conſtitutione omnem incommoditatem abſtulit; per eam enim factum eſt, vt hæres, qui ritè inuentarium rerum hæreditariarum confecerit, non teneatur vltra vires hæreditatis; audi ipſum in §. penult. Inſt. de hæred. qual. & different. ſic loquentem; *ſed noſtra beneuolentia commune omnibus ſubiectis Imperio præſtitit hoc beneficium, & conſtitutionem, tàm æquiſsimam, quàm nobiliſsimam ſcripſit, cuius tenorem ſi obſeruauerint homines, licet eis adire hæreditatem, & in tantum teneri, quantum valere hæreditatis bona contingit.*

3 Beneficio ergo Iuſtiniani factum eſt, ne hæres vltra vires hæreditatis teneatur, quod etiam conſtat ex d. l. final. in principio verſ. ex omnibus, & in §. ſin verò, & in §. ſin autem: Neceſſe eſt igitur hæredi, qui non vult teneri vltra vires hæreditarias, vt modum à Iuſtiniano præſcriptum adimpleat; ſi enim id omiſerit, cenſetur ſponte huiuſmodi onus ſuſcipere vt apertè legitur in d. l. fin. §. ſin autem, dum ait; *& ſi intra datum tempus non recuſauerint, omnibus inſolidum debitis hæreditarijs teneantur, & non ſecundum modum patrimonij; ſed etiam ſi exiguus ſit cenſus hæreditatis, tamen quaſi hæredem in totum eum obligari: & ſibi imputet, quod pro nouo beneficio vetus ſibi elegit.*

4 In eandem ſententiam diſſerit Imp. in Auth. de hæred. & falcid., dum ait. *Et hoc dicimus, non noſtram minuentes legem, quam poſuimus, vt nihil de proprio damnificentur hæredes creditoribus; ſed dabit ei pœnas exactio ſuæ malignitatis, cur traſcēderit leges, ex quibus cautè omnia agens, nihil poterat damnificari*: Cuius ratiocinationis vis vt appareat, eam in hanc formam redigo. Is, qui ſciens, volenſq; aliquid agit, obligatur in foro conſcientiæ ad omne id, quod ex natura actus huiuſmodi obligatur ille, qui eum facit; Sed ex natura aditionis hæreditatis eſt, vt qui eam adit, teneatur vltra vires hæreditarias creditoribus ſatisfacere, igitur is, qui hæreditatem adit, in foro conſcientiæ tenetur ſatisfacere creditoribus vltra vires hæreditarias. Maior propoſitio eſt per ſe euidens; minor autem ex dictis probatur apertiſſimè; ideoq; argumentum optimè concludit.

5 Et ex his intelligimus, non ſubſiſtere id, quod vulgò exiſtimatur, hæredem nempe teneri vltra vires hæreditarias, cum non confecit inuentarium, quia præſumitur, res hæreditarias ſubtraxiſſe; etiam ſi enim hæc deficiat præſumptio, ex repræſentatione tamen perſonæ defuncti huiuſmodi obligatio naſcitur.

6 Nec dictis nocet, ſi quis dixerit, defunctum, qui non tenebatur in foro conſcientiæ creditoribus ſatisfacere vltra id, quod in bonis habebat, nō potuiſſe tranſmittere in hæredem maiorē obligationem, quam fuerit ea, quæ ipſum ligabat; Nam reſponſionem euidentē facilè inueniemus diſtinguendo obligationem defuncti, & onus ſatisfaciendi creditori; Si enim de obligatione loquamur, nō eſt, quod dubitemus, eum obligatum fuiſſe facere, dare vt omne id, quod promiſit, vel alia ratione dare, vel facere tenebatur, licet non haberet vnde creditori ſatisfaceret; quia paupertas debitoris nō imminuit ſubſtantiā obligationis; ideoq; non eſt, quod quis dubitet, quin hæres quoq; eodem obligationis vinculo ſubijciatur; ſi verò de onere ſatisfaciendi creditori loquamur, verū eſt, pauperiem debitoris efficere ne teneatur tunc temporis ſatisfacere ſuæ obligationi, quia nemo ad impoſſibile tenetur; ſed non propterea liberat ab onere ſatisfaciendi, ſi diuitiæ ſuperuenerint; licet ergo quouſq; debitor vixit, in foro cōſcientiæ ad ſolutionem debiti nō teneretur, tamen hæres, poſtquam hæreditatem cæpit tenetur, quia deficit ea paupertas, quæ defunctū à ſolutione excuſabat, idem enim eſt, diuitias defuncto, vel ei, qui eius perſonam repræſentat, ſuperuenire.

7 Rem clariùs explicabo; Exceptiones, quæ obligationem non tangunt, ſed perſonæ defuncti adhærent, nō transferuntur in hæredem, velut accidit in priuilegio, quod oritur ex perſona defuncti, qui clericus, miles, ſcholaris, aut nobilis fuit; igitur exceptio de qua agimus in hæredem non fuit tranſmiſſa, quia perſonæ eius, quæ inops erat, præciſe adhærebat, videas l. Priuilegia de reg. iur. Concludo ergo, hæredem qui inuentarium ſecundum formam à Iuſtiniano præſcriptam non fecit, inſolidum teneri creditoribus; Alij tamen aliter hanc rem expoſuerunt, conſule DD. *in Rub. ff. de acq. hæred. Io. Andr. & alios in c. quanquam de vſur. lib. 6. Conar. in c. 1. de teſtam. num. 16. & 17. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 1. §. 2. nu. 12. D. Fach. lib. 6. c. 24. Phanuec. de Inuent. p. 7. à nu. 274.*

8 Quod ſi agatur de eo, qui ſciebat, hæredem, qui non ritè inuentarium faceret, in ſolidum teneri, nulla poteſt eſſe dubitatio, quin in ſolidum teneatur, quia ſponte ſe huic oneri ſuppoſuit; Etiam ſi enim deceptus fuerit, quia putabat, hæreditatem eſſe ſoluendo, tamen tenetur abſolutè, quia huiuſmodi error non adimit conſenſum vt per Bart. in l. ſi per errorem de iur. omn. iud. & ibi DD. communiter; idem eſt ſi inuentarium ritè facere deliberauerat; ſibi enim debet imputare, quod modum à lege præſcriptum non adimpleuerit vt poſt Iuſt. in Auth. de hæredibus, & falcidia ſupra admonui nu. 3.

9 An

9 An verò ſecus ſit dicendum dum quis putans, hæredem ſolum teneri ſecundum vires hæreditarias, hæreditatem adijt, aliàs non aditurus, videamus; in foro externo ſtultitiam hanc exiſtimari, non ignoro ex l. penult. § penult. ff. de iur. & fact. ignor.; legum enim ignorantia damnatur l. leges ſacratiſſimæ C. de legib.; in foro tamen pœnitentiali hanc excuſationem æquiſſimam eſſe exiſtimo, quia deficit conſenſus eius, qui hæreditatem adit, obligandi ſe inſolidum; ſine conſenſu autem ſuo eum ſic obligari durum eſt nimis, & ideo eam admittendam eſſet reor, licet in foro externo ex ijs cauſis, quæ huiuſmodi fori ſunt propriæ, iuſtiſſimè reſpuatur.

10 *Si verò non fecerit inuentarium ſecundum hanc figuram; ſicut prædiximus non retinebit falcidiam; ſed complebit legatarios, & fideicommiſſarios, licet pura ſubſtantiæ morientis tranſcendat legatorum datio*, ſunt verba Iuſt. in §. ſi verò Auth. de hæred. & falcidia; circa quæ dubitari contingit, an in foro cõſcientiæ huic legi locus ſit; quod & ſi aliquibus placeat, multis tamen diſplicet, vide DD. in Rub. de acq. hæred. Couar. in c. 1. de teſtam. nu. 16. & 17. Phanuc. de inuent. p. 7. nu. 274. D. Fachin. lib. 6. c. 44. & alios ab ipſis allegatos.

11 Hac in re primò exploratum eſſe videtur, hæredem, de quò agimus teneri in foro conſcientiæ tradere legatum, & reſtituere fideicommiſſum de re ſua factum, etiam ſi ex hæreditate defuncti non fuerit tantum conſecutus, vt ſine damno maneat, quia legatum, & fideicommiſſum huiuſmodi ſecundum iuris noſtri præcepta eſt validum §. non ſolum Inſt. de legat. cum ſimilibus; Ideoq; per aditionem hæredis adeò confirmatum fuit, vt nihil prorſus ei deſit, nec vlla cauſa exiſtit, cur hęres voluntatem defuncti adimplere recuſet.

12 Secundò exploratum eſſe videtur, hęredem nõ poſſe beneficio legis falcidiæ vti in foro conſcientię, cum omiſit inuentarium, quia hoc beneficium ex iure poſitiuo deſcendens, ex lege Iuſtiniani quò ad vtrunq; forum dubio procul auferri potuit ei, qui inuentarium non confecit §. ſed iura quidem naturalia Inſt. de iur. natur.

13 Illud ergo hac in re dubitationem ſolummodo habet, an hæres teneatur ſoluere legata, & fideicommiſſa ſingularia in foro conſcientiæ vltra vires hæreditatis, cum inuentarium non fecit: Pro parte negante vrget, quod fundamentum legis Iuſtiniani in eo videtur conſiſtere, quod hæres ſubtraxerit res hæreditarias; poſteaquam enim dixit verba, quæ in initio huius capitis recenſui, ſic in dicta conſtitutione legitur; *Et hoc dicimus, non noſtram minuentes legem, quam poſuimus, vt nihil de proprio damnificentur hęredes, ſed dabit ei pœnam exactio ſuæ malignitatis*. Cum enim remota ſubtractione, cuius timor in hoc foro ceſſat, lex dura nimis videatur, eius diſpoſitio ceſſare debet in huiuſmodi foro iuxta l. adigere §. quamuis de iure patron. & ſcripta ſupra hoc libro c. 28. n. 3. & ſeq.

14 Deciſio huius dubitationis ex eo pendet, an aditio hæreditatis hæredem ſuapte natura obliget ad ſoluenda legata, & fideicommiſſa ſingularia, etiam ſi excedant modum ſubſtantiæ à teſtatore relictæ; ſi enim admittimus, hæredem ſuapte natura teneri legatarijs, & fideicommiſſarijs vltra vires hæreditatis, nulla cauſa erit, cur hæredem excuſemus; ea enim quæ ſupra attulimus ad oſtẽdendum, hęredem in foro conſcientiæ teneri vltra vires hęreditatis, ſi inuentarium non fecerit, fauore etiam legatariorum, & fideicommiſſariorum vrgebunt.

15 Non teneri autem hæredem de ſuo ſatisfacere legatarijs, & fideicommiſſarijs, diſertis verbis habetur in *l. ſi vniuerſa* 15. *C. de legatis*, *l.* 1. §. *is, qui quadringenta in fine verſ. neminem ff. ad ſe Trebell. l. in ratione* §. *quod vulgo verſ. nec autem pertinet ad l. falcidiam*, quod non leue præſtat argumentum, aditionem hęreditatis ſuapte natura non ſubijcere hæredem oneri ſoluendi legata, & fideicommiſſa ſingularia inſolidum, cum hæc iura ante editam à Iuſt. de inuentarij beneficio conſtitutionem ſcripta fuerint.

16 In contrarium autem vrget, quod is, qui ſuſcipit alterius hæreditatem, quaſi contrahere cenſetur cum legatarijs, & fideicommiſſarijs *l. 4.* §. *hæres quoq; ff. de act. & oblig.* §. *hæres quoq; Inſt. de oblig. quæ ex quaſi contractu*; cum enim huiuſmodi quaſi contractus ex eo deducatur, quod hæres adeundo cenſetur promittere, adimplere ea, quæ teſtator in ſuo teſtamento diposuit, non videtur diſtinguendum inter creditores, & legatarios, ac fideicommiſſarios quò ad obligationem, de qua agitur, cum conſenſus ſit indefinitus, ad viresq; hęreditatis minimè reſtrictus.

17 Quid dicendum? huius difficultatis reſolutio deduci videtur ex l. verbis legis 120. de verb. ſign. dum inquit I. C. *verbis legis 12. tabularum vti legaſſit ſuæ rei, ita ius eſto, latiſſima poteſtas tributa videtur, & hæredis inſtituendi, & legata, & libertates dandi; tutelas quoq; conſtituendi; ſed id interpretatione coanguſtatum eſt, vel legum authoritate, vel iura conſtituentium*; inter alias enim leges, quæ huic poteſtati derogauerunt, lex falcidia potiſſima erat; vt enim legitur in l. 1. ff. ad leg. falcidiam per eam cautum eſt, *quicunq; Ciuis Romanus teſtamento Ciui Rom. pecuniam, iure publico dare, legare volet, ius poteſtaſq; eſto: dum ita detur legatum, ne minus, quam quartam partem hæreditatis eo teſtamento hæredes capiant*; Hac autem lege non quidem factum fuit, vt legatum vltra modum præſcriptum ipſo iure inutile eſſet, ſed per eam hæres ius obtinuit retinendi ex legatis quantum neceſſe eſſet, vt quartam partem hæreditatis conſequeretur l. penult. §. penult. ff. de iur. & fact. ign. l. 1. & l. final. C. ad l. falcid. vt ſimilia iura prætercam.

18 Remota ergò diſpoſitione legis falcidiæ nihil eſt, quod excuſare videatur hęredem à prętatione legatorum, & fideicommiſſorum excecedentium vires hęreditarias, quia nulla extat lex, quę poteſtatem latiſſimam, quam lex 12. tabularum conceſſit, coarctet: Non videtur ergo dubitandum, huic oneri ſubiectum eſſe hæredem, qui inuentarium omiſit, cum ex lege Iuſtiniani beneficium hoc ei fuerit ademptum.

19 Cum verò lex falcidia eo tempore obtineret, quo lex de inuentario lata non erat, non eſt, cur mirari aliquis debeat, tunc temporis legata, & fideicommiſſa ſecundum vires hęreditarias præſtari debuiſſe, quia lex falcidia, quę legata ſic diminuebat, vt quarta pars hæreditatis penes hæredem maneret, non patiebatur, ex re hęredis ſolui legata; & hæc eſt vera ratio, cur tunc temporis

diſſe-

differentia conſtitueretur inter creditores, & legatarios, fideicommiſſarioſq; qua in re tamen aliud ſenſerunt Bal. in Rub. ff. de acq. hæred. Iaſ. in l. finali in principio C. de Iur. delib. Phanuc. in præfat. tractatus de inuentar. à nu. 2.

20 Nec durum hoc hæredi videri debet, quia ſua culpa in hanc incidit iacturam, audi Iuſtin.; *Sed dubitet pœnam exactio ſuæ malignitatis, cur traſcenderit legem, ex quibus cautè omnia agens nihil poterat damnificari, ſed ex diuerſo etiam, quæ ſunt ex lege falcidia lucrari;* Ex quo intelligimus, legem hanc non eſſe fundatam in ſubtractione præſumpta, ſed in eo, quod Iuſt. non vult, aliter hæredi ſubuenire, quàm ſi inuentarium, ſecundum modum ab eo præſcriptum, fecerit.

21 Illud verò non eſt omittendũ, quod lex 12. tab. permittens ciuibus teſtari dixit ſuper familia ſua, aut vt alij recenſent rei ſuæ; & proinde facultas latiſſima diſponẽdi, quã inde deduxit I. C. in l. verbis legis 120. de verb. ſignificat. videtur reſtringenda ad res ipſius teſtatoris; Quod ergo liceat, res hæredis, aut alienas legare, & per fideicommiſſum relinquere, benignè fuit deinde receptum, quaſi non referat, an hæres rem teſtatoris, quæ alias ſua eſſet, præſtare iuſſus fuerit, vel aliquam ex rebus ſuis dare debeat, aut rem alienam comparare, & alicui tradere teneatur; poterat enim teſtator ex ſuis rebus relinquere aliud, quod magis hæredi obeſſet preſtare; Et proinde commodè dici poteſt, ius legata relinquendi, ad res ipſius teſtatoris debere reſtringi; vt nempe non excedant valorem hæreditatis; ſi enim licuiſſet, eam excedere, de re aliena vtiq; teſtatus fuiſſet; Dicamus ergo, verius eſſe, & æquius, hæredem ex natura hæreditatis non obligari ad ſoluenda legata, vel fideicommiſſa vltra vires hęreditatis; legem autem falcidiam induxiſſe, ne nouem vncias hæreditatis legata excederent: Et proinde illa repræſentatio defuncti, quæ hæredem obligat inſolidum creditoribus hæreditarijs, ſic diſtinguit legatarios, & fideicommiſſarios à creditoribus, vt hæres ſuapte natura his in ſolidum obligetur, illis verò nequaquam; verum, ex ſanctione Iuſtiniani id introductum fuiſſe, quam non iniuria dicimus ceſſare in foro interno, cum malignitatem heredis ſe plectere velle profiteatur.

22 Ex ijs, quæ hucuſq; diſputauimus ſequitur, Eccleſiam ex aditione hæreditatis non minus obligari, quam priuatę perſonę obligentur, quia huiuſmodi obligationem non introduxit ius poſitiuum, ſed natura hæreditatis, quam ſponte Eccleſia adiuit; atq; ita rectiſſimè docuerunt gloſſ. *Butr. & Imol. in c. 1. de teſt. & alij, de quibus Rol. à Valle p. 1. de inuentario §. 12. quæritur, Phanucc. in eodem tract. p. 2. nu. 2. D. Fachin. lib. 6. c. 20.*

23 Vtq; huius ſententiæ veritas clariſſimè appareat, meminiſſe debemus, circa rem noſtram duo verſari: primò ius ipſum hæreditatis, ſecũdò effectus hæreditatis. Si agatur de iure hæreditatis, nõ eſt dubitandum, illud legi poſitiuæ eſſe aſcribendum; hoc enim iure ſtatutum fuit vt hæreditas ſit ſucceſſio in vniuerſum ius defuncti; hoc eſt, vt hæres induat perſonam eius, qui mortuus eſt; Effectus verò, qui inde naſcuntur, non ſunt iuri poſitiuo aſcribendi, ſed regulis iuris naturalis; ſtatim enim ac quis perſonã alicuius repræſentare, eiuſq; vices reddere conſtituit, abſq; alia iuris poſitiui ſanctione. ſequitur ex regulis iuris naturalis, eum teneri ad id, ad quod defunctus tenebatur; eumq; non poſſe in dubium reuocare ea, quæ diſpoſuit, aut fieri iuſſit defunctus, quia hoc eſſet ſibi ipſi aduerſari, quod ius naturale non patitur prout benè admonet Iuſt. in auth. de iur. iur. à moriente præſtito.

24 Et licet eruditis ſuperfluum ſit, gratia tamen eorum qui à pragmaticorum libris nunquam diſcedunt, exemplo clariſſimo rem illuſtrabo ex tutela deſumpto; ea enim, & ſi iuri ciuili aſcribatur teſte Imp. in §. 1. Inſt. de tutel., attamen ex iuris naturalis regulis deſcendit magis, quàm ex iure poſitiuo, vt tutor ſuæ adminiſtrationis rationem reddat; etiam ſi enim lex poſitiua id non iuberet, iure tamen naturali tutor id facere cogeretur, ne contingeret, ipſum cum aliena iactura locupletari: Non nocet ergo id, qđ aduerſæ partis propugnatores dicunt, Eccleſiam non ligari legibus ciuilibus, quia præterquam quod id non procedit in iure ciuili Romano, iuxta regulam cap. 1. & 2. de oper. noui nunciat. intelligitur, cum aliquid noui leges introducunt; ſi enim iuris naturalis declarationem contineant; ſecus eſt, quia tunc propriè loquendo, non ſunt leges ciuiles, cum id ſolum contineant, quod ius naturale dictat; Cauendum eſt ergo ab illis, qui contrarium ſcribunt, quos referunt Rol. Phanucc. & D. Fach. in locis ſupra indicatis.

25 Cum autem alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſit probibita, vtiq; prohibitum erit Rectoribus Eccleſiarum, earum nomine hæreditatem abſq; inuentario adire; ei enim, cui alienatio interdicta eſt, omnia, quæ ad eam nos ducunt, interdicta cenſentur l. final. C. de reb. alien. non alienand., idq; non obſcurè habetur in extrauaganti ambitioſæ de reb. Eccleſ. non alien. dum ait; *Omnium rerum, & bonorum Eccleſiaſticorum alienationem, omneq; pactum, per quod ipſorum dominium transfertur &c. fieri prohibemus*; Cauendum eſt ergo à Phanutio de Inuentar. p. 2. nu. 2. verſ. vltimum non obſtat, dum contendit, aditionem huiuſmodi valere ex eo, quod Eccleſia non prohibeatur contrahere, & bona ſua obligare; hæc enim aſſertio, quicquid ſit ſecũdum veteris iuris cenſuram, poſt d. conſtitutionem Ambitioſæ euidenter falſa eſt, quia in ipſa diſertis verbis S. Pontifex vetat, bona Eccleſiæ hypotecari, aut circa eas pactũ fieri, per quod earum alienatio ſequi poſſit.

26 Igitur Eccleſiarum miniſtri, cum hereditatem adeunt, conficiant inuentarium, quia eo non confecto, non adipiſcuntur dominium rerum hæreditariarum, cum propter huiuſmodi prohibitionem heres Eccleſia fieri ſine inuentario nõ poſſit, quod ſatis erit ad infirmandos contractus, qui circa hereditatem huiuſmodi ab Eccleſiæ miniſtris fieri contigerit antequam inuentarium confecerint.

27 Ex ijs etiam, quæ hucuſq; diſputauimus ſequitur, Principem, qui inuentarium non fecit, ad inſtar priuatorum teneri inſolidum ad ſoluendum æs alienũ defuncti prout optimè docet Phanucc. d. p. 2. nu. 3. reprobato Accurſ. & alijs, qui contrarium ſentiunt; Cum enim ex iuris naturalis regulis ſequatur, vt hæres ſic obligetur, lex regia, qua Princeps legibus ſolutus fuit, iuxta l. Princeps

ff. de

ff. de legibus ei non poteſt ſuffragari, quia Populus efficere non potuit, vt iuris naturalis vis, ac poteſtas Principem non contineat.

28 Nec dictis obſtabit ſi dixeris, imo poſſe legis poſitiuæ authoritate eximi hæredem ab huiuſmodi obligatione, vt ex conſtitutione Iuſtiniani, de inuentario edita liquet; quoniam animaduertere oportet, duas poſſe circa hanc rem incidere dubitationes; Prima eſt, an lex poſitiua poſſit ex priuilegio aliquē ab huiuſmodi obligatione eximere; ſecunda, an poſſit efficere vt Princeps abſq; ope conſtitutionis ſpecialis adeundo hæreditatem, non incidat in huiuſmodi obligationem: Si de primo diſſeramus, euidens eſt, id fieri poſſe, cum nullam contineat incommoditatem, & ſæpe accidat, leges ciuiles iuri naturali detrahere l. ius ciuile ff. de iuſt. & iur.; ſi verò de ſecundo agamus aliud dicendum eſt; cum enim iuris naturalia poteſtas ſuum pariat effectum niſi obicem reperiat, non poteſt Princeps ab obligatione, de qua agimus eximi, niſi iuris naturalis vis à lege poſitiua impediatur; Cum autem per modum regulæ hoc fieri non poſſit; quis enim eſt, qui poſſit Principē à regulis iuris naturalis, & earum poteſtate per modum regulæ eximere? euidens eſt, opus eſſe conſtitutione, ne Princeps adeundo hæreditatē creditoribus inſolidum teneatur, ſi inuentarium non fecerit.

29 Ex eo fonte, ex quo oſtendimus deſcendere, Eccleſiam, & Principem obligari inſolidum creditoribus deducitur, Fiſcum eodem iure vti: cum enim regulæ iuris Fiſcum etiam complectantur niſi ſpecialis conſtitutio eum exemerit, vt oſtendi ſupra lib. 10. c. 18. nu. 2. non eſt dubitandum, in ſpecie, de qua agimus teneri, cum nulla lex ſit, quæ eum exemerit ab hac regula; imo habemus textū, qui non obſcurè inſinuat, Fiſcum hac in re iure ordinio vti, in Auth. de hæred. & falcid. §. quia verò duplex, dū ait. *Hæc omnia obtinere ſimiliter in omni perſona, ſiue priuata, ſiue militari, ſiue Sacerdotali, ſiue Imperiali, ſiue alterius cuiuſlibet*; Cum enim idem Imp. Iuſt. in l. vnica C. de cadnc. tollend. §. final. profiteatur ſe non fauere Fiſco, quod apertè conſtat ex §. fin. Auth. vt nulli iudic. (hoc enim proprium bonorum Principum eſt vt dicebat Plinius in Panegyrico ad Traianum) in hoc textu Fiſcus vtiq; continetur.

30 Ex hoc autem textu colligas, ea quæ diximus de legatis, & fide commiſſis reſpectu Eccleſiæ, nō habere locum in Principe eiuſq; Fiſco, cum ex hac conſtitutione deſcendat, vt hæres non faciens inuentarium teneatur ſatiſfacere legatarijs, ac fideicommiſſarijs vltra vires hæreditatis; Contrariæ ſententiæ, quam ſequuntur DD. relati per Phanuc. loco allegato, & à Peregrin. de iure Fiſci lib. 4. tit. 1. num. 3, fundamenta referunt, & rectè reſſellunt Phanutius, & D. Fachin, quæ propterea omitto, & quæro,

31 An is, cui teſtator remiſit onus faciendi inuentarij, teneatur in ſolidum legatarijs, & fideicommiſſarijs, quod negant *Bart. & P. de Caſtr. in l. nemo poteſt de leg. 1. vbi Alex. nu. 18. Iaſ. nu. 10. verſ. quinto adde; & alij multi de quibus Clar. §. teſtamentum q. 66. verſ. ſed in contrarium, Conar in c. 1. de teſt. nu. 17. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 1. §. 2. n. 70. & 71. Crauett. conſ. 174. Rol. de Inuentar. p. vltim. ſi an teſtator, D. Fachin. lib. 6. c. 25.*

32 Contrariam ſententiam tuentur Bal. *in l. final. C. arbitrium tutel. Caſtr. in l. cum tale §. 1. de cond. & demonſtr. Crot. in d. l. nemo poteſt nu. 52. vbi Io. Anibal. nu. 406. Porcellin. de inuentar. c. 1. nu. 15. Phanucc. eodem tract. p. 2. num 68. cum quibus ego quoq; ſentio à* Moueorq; eodem fundamento, quo & ipſi vtuntur, neminem poſſe efficere, ne leges in ſuo teſtamento locum habeant l. nemo poteſt ff. de leg. 1; licet enim lex facultatem diſponendi noſtro permittat arbitrio, eius tamen modum, & effectus non vult, ex noſtra poteſtate pendere; hinc eſt, teſtatorem, in cuius poteſtate eſt legare vſumfructum, non poſſe remittere cautionem quam lex iubet ab vſufructuario præſtari l. 1. C. de vſufruct. l. ſcire C. vt in poſſ. legat. nom.; idem accidit in tutore cui pater poteſt quidem relinquere id, quod ſuæ adminiſtrationis ratione fuerit damnatus redditionem tamen rationis remittere non poteſt l. 6. de adminiſtr. tutor. vt oſtendi ſupra lib. 8. c. 10. Ex eodem fonte deſcendit, patrem, qui reliquit vniuerſam hæreditatem filio, cui ſolam legitimam dare tenebatur, non poſſe iubere vt imputet in Trebellianica fructus illius partis, quam filio dare non tenebatur l. iubemus C. ad S. C. Trebel. hæcq; fuit cauſa, cur opus fuerit conſtitutione, vt teſtatori liceret falcidiam, & Trebellianicam prohibere, iuxta tex. in §. quia verò Auth. de hæred. & falcidia; Dictorum autem ea ratio eſt, quia non conuenit Maeſtati iuris publici, eius authoritatem priuatorū voluntati ſubijci l. ius publicum ff. de pact. c. ſi diligenti de foro compet.

33 Et ex his facilè diſſoluuntur argumenta ex aduerſo allegata; dum enim dicunt, in poteſtate teſtatoris erat legare, & fideicommittere, ergo in poteſtate eius eſt facere, ne in ſolidum hæres obligetur ad ea præſtanda; ex dictis manifeſtè apparet, eos non rectè ratiocinari; neq; ſimile eſt id quod dicunt, licere teſtatori onus legato, & fideicommiſſo adijcere; quod enim hæres non teneatur niſi pro modo ſubſtantiæ à teſtatore relictæ, non eſt onus legati, & fideicommiſſi, ſed adimit priuilegium hæredi propter legem falcidiam cōpetens, quod non poteſt teſtator largiri, dum inuentarium non cōfecit, cum id ſit aduerſus legem Iuſtiniani.

34 Adducunt ſecundò loco l. cum tale §. 1. in fine ff. de cond. & demonſtr. vbi habetur, poſſe teſtatorem remittere redditionem rationis ei, qui eam reddere tenebatur: Nihil eſt, quia non offenditur ius publicum dum alicui, qui negotia noſtra geſſit, redditio rationis remittitur, quia hoc volūtati priuatorum, de quorum re agitur, remittitur; ideoq; tutori, quem rationem reddere, iure publico conſtitutum eſt, redditio rationis remitti non poteſt, videas tex. in l. 6. ff. de adminiſtr. tutor, & & ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 8. c. 10.

35 Tertiò affertur l. final. §. final. C. arbitr. tutel. vbi dicitur, licere patri iubere, ne tutor inuentariū conficiat; reſpondeo, tutorem ex muneris iniuncti natura non teneri niſi ad id, quod ad eum peruenit ex re pupilli; quod vt culpa eius pupillus amiſit, etiam ſi inuentarium non fecerit; Inuentarium autem ideò iubetur tutor facere, vt de rebus pupilli clariùs conſtare poſſit; Hoc autem cum interdum pupillo noceat, propterea lex permittit defuncto vetare ne inuentarium fiat; quo caſu cum

nihil

nihil ſit, quod tutori poſſit imputari, merito hoc nomine nullum ſentit damnum.

36 Quod ſi hæc reſponſio tibi non placuerit, aliam addam, ex aduerſariorum ſententia magis, quàm ex iuris fontibus ſumptam: Nos ſcilicet habere legem ſpecialiter diſponentem, quod poſſit teſtator obligationem faciendi inuentarij remittere tutori, quod in hærede conſtitutum non legitur; neq; enim licet in hac materia, quæ iuris rationi aduerſatur, procedere de ſimilibus ad ſimilia l. quod verò ff. de legibus.

37 Quartò, & vltimò adducitur, leuiora enim argumenta prætereo, quod liceat hęredi beneficium hoc omittere; cum enim iuris publici authoritas per hæredem infringi non poſſit, hinc colligunt, inuentarij faciendi onus iuri publico, quò ad rem noſtram, nõ eſſe aſcribendum. Reſpondeo, hæredi, qui ex hæreditatis aditione, ſuapte natura in ſolidum obligatur, fuiſſe conceſſum priuilegium eximendi ſe ab huiuſmodi onere, ſi modo fecerit inuentarium; non eſt ergo mirandum, ſi non facto inuentario, hoc beneficio non fruatur; non adimpleuit enim id, quod lex voluit fieri, vt hæres hoc beneficio fruatur; cumq; beneficium non conferatur in inuitum, magna eſt differentia inter hæredẽ, & teſtatorem quò ad rem noſtram; nam falcidiã, quæ à teſtatore remitti non poterat l. ſi vt allegas 11. C. ad l. falcidiam, hæres remittebat l. 1. C. eod. tit.; Vſuſfructuarius etiam, qui ex diſpoſitione teſtatoris conſequi nõ poteſt vſumfructum, nõ præſtita cautione l. 1. C. de vſufr., eum poteſt habere ex voluntate hæredis, etiam ſi non ſatiſdederit l. ſi vſuſfructus 7. ff. vſufr. quem caueat: Item redditio rationis, quã teſtator remittere tutori nõ poteſt l. 6. ff. de adminiſt. tutor., is qui ſub tutela aut cura fuit, ad libitũ remittit l. 5. C. de trãſactionibus.

Annuus cenſus fauore cohæredis in diuiſione hæreditatis, aut iuſſu teſtatoris, vel in contractu dotis conſtitutus, numquid ſubijciatur conſtitutioni Pij V.

Cap. XXXVI.

1 IN diuidenda hæreditate ſæpe oriuntur difficultates, propterea quòd aliqua extant prædia vrbana, vel ruſtica, quorum diuiſio damnoſa eſt; ideoq; dubitari poteſt, an inter hæredes conueniri poſſit, vt is qui vltra ſuam partem accepit, poſſit conſtituere annuum cenſum perpetuum fauore cohæredis.

2 Hæc autem difficultas ex eo pendet, an conſtitutio Pij V. habeat locum in huiuſmodi cenſibus; & negatiuè reſpondendum eſſe cenſeo, quia hæc conſtitutio fuit edita ad corrigendas iniquitates, quæ paſſim circa contractus cenſuales contingebant, vt ex eius præfatione liquet, quæ ſic ſe habet; *Cum enim onus Apoſtolicæ ſeruitutis obeuntes, cognouerimus, innumeros celebratos fuiſſe, & in dies celebrari cenſuum contractus, qui nedum non continentur intra limites, à noſtris Anteceſſoribus eis contractibus ſtatutos; verum etiam, quòd deterius eſt, contrarijs omnino pactionibus propter ardentem auaritiæ ſtimulum &c.* Et proinde non agit de contractu cenſus in diuiſione hæreditatis iuſta ex cauſa conſtituti, cum id per raro fiat; ipſum enim velle per hanc conſtitutionem occurrere iniquitatibus in huiuſmodi contractibus paſſim contingentibus, ſequentia verba declarant, *non potuimus animarum, prout tenemur, ſaluti conſulentes, tam graui morbo, laetiferoq; veneno ſalutari antidoto non mederi.*

3 Cum itaq; ſcriptum ſit, ea quæ contra regulas iuris introducuntur, nec ad conſequentiam quidem poſſe trahi l. quod verò ff. de legibus, ſequitur, ad hunc cenſum trahendas non eſſe eas huius conſtitutionis partes, quæ à cenſu ea reijciunt, quæ ſecundum iuris regulas admittere poteſt; aut in eo deſiderant id quòd eædem regulæ in huiuſmodi contractu non requirunt.

4 Eòq; facilius id admitti debet, quia ea ſuſpicio vſurariæ prauitatis in hoc cenſu ceſſat, quæ in ijs viget cenſibus, qui pro certo pretio paſſim vendi ſolent; & deniq; quia ex varijs conſiderationibus iuſtitia huiuſmodi cenſus pendet, quæ in cenſibus ordinarijs ſibi locum non vindicant; meritò itaq; dicimus, vbi viget diuerſa ratio, diuerſum quoq; ius obſeruari debet; Non eſt autem omittendum, quòd contraria opinio, re ipſa non occurrit fraudibus, quæ contingere in hoc cenſu (per rarò tamen) poſſunt; promptum enim eſt ordinarium remedium ſimulatæ numerationis corã notario, & teſtibus faciendæ; latentem enim veritatẽ rariſſimè detegi poſſe experientia oſtendit.

5 Hoc autem facilius erit obſeruandum in teſtatore iubente hæredi, legatario, aut fideicommiſſario annuum cenſum perpetuum in ſuis bonis, alicuius fauore conſtituere; tunc enim omnis omnino ceſſabit vſurariæ prauitatis ſuſpicio, ſi in eo conſtituendo fuerit obſeruatus modus, ſecundum regulas iuris com. neceſſarius; & proinde euidens eſt, in eo omnino ceſſare rationem à Pio V. in prohemio ſuæ conſtitutionis expreſſam; & conſequenter in hoc cenſu debet ipſa ceſſare, iuxta regulam l. finalis ff. de hęred. inſtit. hocq; eſt ex ſententia Roderici de annuis redditibus lib. 3. quæſt. 6. nu. 2. & 3.

6 Omnis etiam ceſſat timor vſurariæ prauitatis in annuo cenſu conſtituto in contractu dotis, etiam ſi ſocero, ſeu alteri dotanti detur facultas ipſum redimendi; ergo ad huiuſmodi cenſum non debet trahi conſtitutio Pij V. Non eſt dubium pro dote poſſe dari quicquid inter partes conuenerit, dumodo ſit in commercio §. per traditionem Inſt. de rer. diuiſ.: ergo pro dote poteſt dari certa quędam annua quantitas inter partes conuenta; ergo nulla fraus poteſt conſiderari in conſtitutione cenſus in dotem dati.

7 Dices, fraudem in eo poſſe conſiſtere, quòd ex dote conſtituta, durante mora plus conſequatur maritus, quàm iuris ratio permittat: Reſpondeo, eum non eſſe ducturum huiuſmodi mulierem in vxorem, niſi dotis nomine habeat eam pecuniæ quantitatem, quam deſiderat, & eo modo, quò deſiderat; cum itaq; nolit ducere eam vxorem, niſi mille puta aureos ſibi numerauerit tempore contracti matrimonij, vel ſibi conſtituerit annuũ cenſum ſcutorum puta octuaginta, ſequitur, eum velle dotem conſiſtentem in mille aureis, aut in in reditu aureorum 80. Ille autem, qui dotem dare debet, re examinata in eam venit ſententiam, vt exiſtimet, ſibi magis expedire annuos aureos octuaginta ſoluere, dumodo in poteſtate ſua ſit, ſe ſe liberare ab hac obligatione ſoluendo mille aureos; conſentit vir, & perficitur conuentio.

8 Hoc continere iniuſtitiam non poteſt deduci ex regulis cenſuum ordinariorum, quia dotis natura id non patitur, quæ ſuas habet regulas ſpeciales, iuxta ea, quæ ſcripſi ſupra lib. 3. c. 1. cum autem quantitas dotis nullam habeat certitudinem reſpectu dotantis, & eius cui dos datur; libere enim voluntati vtriuſq; id reſeruatur l. 1. C. de dotis promiſ. iunctis ijs, quæ ſcripſi ſupra lib. 2. c. 47. meritò dicemus, in hoc caſu omnem excludi iniuſtitiam dicendo, hunc contractum eſſe iuſtum, quia ſic inter partes conuenit; ille enim non erat aliter ducturus huiuſmodi mulierem in vxorem, & illa non erat aliter ipſi nuptura.

An valeat pactum, vt venditor annui cenſus teneatur ipſum redimere, ſi in eo ſoluendo moram grauem commiſerit. Cap. XXXVII.

1 MAgni momenti eſt diſputatio, an valeat pactum, vt debitor annui cenſus teneatur ipſum redimere, ſi moroſus fuerit in eius ſolutione; de qua tractant *Gabriel. conſ. 152. lib. 1. Maſtrillus deciſ. 95. Gratian. c. 254. à nu. 20. Fælicianus de cenſibus tom. 2. lib. 1. c. 7. Cencius de cenſibus p. 2. c. 1. q. 3. artic. 8. Seſſe deciſ. 110. nu. 14. p. 1. Ant. Faber. in C. lib. 4. titulo de vſuris definitione 40. Nouarius apud Riccium collect. 2678. Nicolaus Ant. Gizzarellus deciſ. 68. Mangilius de euict. q. 84. à num. 20. Maſtrillus in addit. ad Petrum de Gregorio de cenſib. qu. 5. num. 240. & 241. Io: de Salas de cenſibus dubio 26. Duardus in ſimili tract. §. 4. q. 29.*

2 Antequam indicem, quid iuris ratio hac in re ſuadeat; quid vtilitas publica poſcere videatur, perquiramus; Debitores cenſuum annuorum nō valentes ſuis ſatisfacere creditoribus, adeò vrgere, vt cogantur res ſuas pro vili diſtrahere pretio, duriſſimum eſt, ſi mitius cum ipſis agi poſſit abſq; damno creditorum: cum itaq; poteſt creditoribus cenſuum alia ratione cumulate ſatisfieri, non eſt dubitandum, valdè obeſſe Ciuitatibus, miſeros debitores cogi eo tempore redimere cenſus, quo vix poſſunt annuos prouentus conflare.

3 Annuorum reddituum emptores facilè reperiri ea de cauſa expedit, quia plerunq; hæc eſt ratio minus damnoſa inueniendi pecunias ſibi neceſſarias ideoq; valde repræhenſibile eſt, in huiuſmodi cōtractibus eas introducere pactiones, quæ ad eum ſtatum deducere poſſint venditorem cēſus, vt minus damnoſum ſibi ſit futurum, huiuſmodi contractum, à ſe non fuiſſe factum.

4 Conſidero inſuper, quòd annui cenſus multò plus reddunt, quā agri, & prædia vrbana; & quòd liberi ſunt à grandinibus, & alijs Cœli calamitatibus, nec non à publicis oneribus, quibus domini agrorum quandoq; adeò vrgentur, vt ferri non poſſint: Cur autem hoc æquum ſit, non poteſt vtiq; publicæ vtilitati tribui; Principi enim, & populo vtilius eſt, ciues in agrorum cultura, & mercatura ſuas conſtituere diuitias, magis quam in annuorum cenſuum emptionibus; ergo huiuſmodi æquita inde deducenda eſt, quòd emptores agrorum apud ſe habent, ſi volunt, eorum reditus; & conſequenter liberi ſunt ab ijs difficultatibus, quas creditores annuorum cenſuum in ijs exigendis non rarò patiuntur; debent ergo emptores annuorum cenſuum compeſci, dum ex mora debitorum volunt deducere facultatem cogendi ipſos ad cenſus redimendos, quia hac ratione duplicem volunt ex huiuſmodi mora capere vtilitatem cum maxima debitoris læſione.

5 Auaros ſubtiliſſimis ſuis cautionibus alienis inſidiari rebus, experientia quotidiana oſtendit; ergo hoc pactum omnino eſt reprobandum; nam auari mediante hoc pacto ſæpe ſibi reddent facilem rationem cōſequendi pro vili pretio eas ſuorum debitorum res, ad quas aſpirant.

6 Si quis autem dixerit, remoto hoc pacto defuturos eſſe emptores annuorum cenſuum; ab eo quæram, an ijs, qui emunt annuos cenſus, ſatis ſit ſibi compenſari quicquid omiſerint, vel amiſerint propter moram ſuorum debitorum? ſi aſſirmauerit, dicam, non eſſe verendum, ne propter hoc ipſi omittant annuos cenſus, qui alias ipſos eſſent cōparaturi, quia ordinaria remedia iuris ad id ſufficiunt; ſi verò negauerit dicam, euidentem eſſe mentem fœnerandi, cum ex mora debitorum plus conſequi velint, quam ea ſibi abſtulerit, idq; cum maximo ciuium damno.

7 Dices, quid ſi creditor non poterit poſt diligentiam magnam adhibitam ſuum conſequi, non ne æquum erit, ei aliqua ratione conſuli? Reſpondeo, maximum inter hæc exiſtere diſcrimen; ſi enim ex vi pacti poterit cogi venditor cenſus ad ipſum redimendum, poſteaquam lapſa fuerint tēpora inter partes conuenta locus erit indiſtinctè facultati cogendi venditorem ad cenſum redimēdum; ſin autem Iudicis officio res expedietur, tunc ſecundum circunſtātias id definietur; & proinde ab vno ad alium caſum non licet argumentari, niſi dicamus, pactum huiuſmodi ſic eſſe intelligendum, vt eius virtus ceſſet, ſi debitor cenſus moram purgauerit; ſicq; huiuſmodi pacta intelligit, & quidem rectiſſimè, Sacrum Conſilium Neapolitanum teſte Nouario apud Riccium collectaneo 2678. col. 3. verſ. non obſtat quò proponitur.

8 Aliam præterea inuenio rationem differrentiæ inter hęc, nam vbi Iudex ſupremus ob nimiam debitoris moram permittit creditori cenſus, contractum reſoluere; id non permittit ſimpliciter, ſed limitatè; hoc eſt mediāte diſtractione fundi cenſiti; ſic enim, & meritò obſeruat Excellentiſſimus Senatus Mediolanenſis, nunquam ſatis laudatus; hinc enim non leuis oritur vtilitas fauore debitoris; non poteſt enim creditor cenſus alia eius bona perſequi, aut perſonaliter ipſum conuenire, ſi ex pretiò huiuſmodi prædij non poterit integrè ei ſatisfieri; debitor enim cenſus non promiſit reſtitutionem pretij cenſus à ſe accepti, & proinde obligationes perſonales, realeſq; venditoris cenſus, & fideiuſſorum in inſtrumento deſcriptæ huc non poſſunt trahi; Nam clauſula quæ omnia &c. non poteſt aliquid operari circa ea, quæ non fuere in inſtrumento enuntiata vt probaui ſupra lib. 9. c. 31. num. 61 & conſequenter nulla extat obligatio conuentionalis pro reſtitutione ſortis; nullam aliam itaq; actionem poteſt creditor habere præter eam, quam ſibi conceſſit ille Magiſtratus, qui permiſit ſibi contractum reſoluere; cum itaq; eius decretum ad alienationem fundi cenſiti reſtringatur, meritò dicimus, ex eo non poſſe deduci ius agendi contra perſonam, vel bona debitoris, po-

ſteaquam

Digitized by Google

ſieaquam diſtracto fundo cenſito, & reſoluto cōtractu cenſus, putauerit ſibi magis expedire, eius pretium, vel ipſum fundū habere, quam contractū ſaluum manere, adeas l. à Diuo Pio §. ſi pign. verſ. quia velut pacto ff. de re iud. & infra c. 16. nu. 7.

Hactenus Politicè rem tractaui, iuris rationem nunc expēdamus. Pro regula traditur, pœnā adiectam dationi certæ quantitatis præſumi adiectam in fraudem vſurarum *l. cum allegas 15. C. de vſur. & ibi not. DD. Abbas in c. 4. nu. 15. de arbitris cum allegatis per Purpur. in l. rogaſti §. 1. nu. 79. & ſeq. ff. ſi certum petat. Teſaur. deciſ. 79. nu. 1. D. Fachin. lib. 3. conſ. 44. à nu. 3. Hieronimus Paponus conſ. 38. nu. 12. & ſeq. Hector Felicius de ſocietate c. 29. nu. 26. & ſeq. Trentacinq. tom. 3. var. reſol. tit. de ſolut. c. 21. nu. 1. & ſeq. Coſta de Rata q. 77. à nu. 5. Rota deciſ. 90. nu. 4. p. 2. diuerſ. Seſſe deciſ. 110. num. 15. p. 1.* ergo in caſu noſtro debemus præſumere, pactum de quò agitur, fuiſſe excogitatum ab emptore cenſus, vt per ipſum poſſit ſe ſe eximere à regulis contractus cenſualis ei vetantibus repetere pretium cenſus.

10 Dicam clarius, annui cenſus ideò diſplicent vſurarijs, quia amittunt ſpem recuperandi pecuniam a ſe numeratam; eo enim magis ſe lucraturos ſperant, quò plus pecuniæ in promptu ſunt habituri: ſuis ergo ſubtilibus inuentis accuratiſſimè ſtudent, rationem inuenire, qua is qui vendidit ſibi annuum cenſum, poſſit cogi ad reſtituendum id, quòd accepit; inter alias autem hæc èſt ipſis gratiſſima, quia norunt, debitores, quando à creditoribus non vrgentur, faciles eſſe in omittenda ſuo tempore ſolutione cenſuum; & conſequenter ſperant, facile euenturum eſſe, vt toties negligant ſoluere temporibus conuentis annuos cenſus, quoties opus erit vt fiat locus pacto.

11 Sic ergo vſurarij ratiocinantur, aut mihi expediet meam pecuniam apud eum manere, aut non expediet; ſi expedierit, ſolutionem annuorū cenſuum vrgebo; ſin autem melius mihi videbitur, pecuniam meam recuperare, ſob benignitatis prętextu ab eo interpellando abſtinebo; is autem putans, me amicè ſecum tractare de ſolutione non cogitabit: & proinde facillimè permittet, locum fieri pactioni; quò facto, eum in ius vocabo, & pecuniam meā recuperabo, aut prædium aliquod ex melioribus ipſi pro viliſſimo pretio eripiam.

12 Hanc pręſumptionem vehementer adiuuat natura annuorum cenſuum, quæ eſt eiuſmodi, vt facilè poſſit in ipſis latere vſura teſte Pio V. in principio ſuæ conſtitutionis; ſecundò quia hoc pactum pœnale nimis diſtat ab ea ratione, propter quam vſus pœnalium ſtipulationum fuit introductus; vt nempè per ipſas occurreretur difficultati probandi, quanti ſua interſit, ſibi à ſuo debitore in tempore non fuiſſe ſatisfactum *§. fin. Inſt. de verb. oblig. l. finali ff. de prætor ſtip.*: hæc enim pœna longè lateq; excedit id, quòd interſuit creditoris, ſibi non fuiſſe ſuo tempore ſatisfactum.

13 Hæc autem conſideratio vehementer vrget, quia ſuprema Tribunalia non ſolent executioni mandare pœnas cōuentionales, niſi quatenus veriſimile ſit, tanti eius intereſſe, qui ipſas poſtulauerit, de Sacro Conſilio Neapolitano id teſtatur *Afflictus deciſ. 135. n. 3. de Sacra Rota Romana patet in deciſ. 371. nu. 3. p. 1. diuerſorum, de Senatu Pedamontano id ſcribit Teſaurus deciſ. 79. nu. 1. in fine, de Senatu Sabaudiæ Ant. Faber. tit. de contrahend. & com. ſtipulat. deciſ. 9. de Tribunalibus Hiſpaniæ Io. Gutierez. de iuram. confirmat. p. 1. c. 36. nu. 10. verſ. vidi iam ego, de Parlamento Pariſienſi poſt Rubinum deciſ. 13. docet Riccius collectaneo 1912. de Inclyta Studiorum Matre Bononia teſtatur Ioachymus Scaynus deciſ. 21. nu. 30. & 31. quò loci nu. 22. & ſeq.* benè argumentatur aduerſus pœnas cōuentionales immoderatas.

14 Nec dicas, pœnam inducentem reſolutionem contractus à legibus approbari, vt in titulo ff. & C. de lege commiſſoria; quia in huiuſmodi titulis agitur de emptore, ſuo tempore non ſatisfaciente venditori, nos autem verſamur in caſu contrario: Ratio autem diuerſitatis in eo conſiſtit, quia non eſt difficilè emptori, rem emptam apud ſe exiſtentem reſtituere; è contra verò grauiſſimum eſt venditori cenſus, reſtituere eius pretium, quòd apud ſe non habet; difficillimè autem ab eo comparari poſſe inde patet, quòd non habuit vnde ſatisfaceret creditori de annuis eius fructibus, etiā ſi ſciret, hinc ſibi imminere periculum, ne pretiū cenſus reſtituere cogeretur.

15 Concludo itaq; hoc pactum veluti repugnans politicis, & iuridicis rationibus eſſe repudiandū, alijſq; rationibus facilioribus eſſe conſulendum creditoribus annuorum cenſuum; inter quas optima eſt, retinere moroſos debitores ſub cuſtodia cauendo, ne ſub prætextu marceſcendi in carceribus relaxentur; Quòd remedium, ſi vſitatum eſſet in hoc Mediolanēſi Dominio, debitores facilè non illuderent ſuis creditoribus, prout quotidiè accidere videmus, magno cum damno commerciorum, & ingenti creditorum iactura; & ſi enim quandoq; accidat, miſerrimum debitorem, qui creditori nulla ratione ſatisfacere valet, diuturni carceris pœnam ſuſtinere; ſæpiſſime tamen euenit, iniquos debitores fraudulenter ſuis creditoribus debitam denegare ſatisfactionem; & proinde ſatius eſſe videtur, aliquos carceris pœnam, etiam ſi miſericordia digni ſint, miſerè ſubire, quā iniquis hominibus, quorū tanta copia eſt, apertā relinquere viam, ſuos fraudandi creditores, cum nō deſit ratio ſubueniēdi ijs, qui verè ſunt inopes.

An cenſus valeat, quando pro cautione emptoris ei fuere tradita gemmæ aſcendentes ad valorem pretij cenſus. Cap. XXXVIII.

1 SI emptor cēſus acceperit pro cautione pignus aſcendens ad eius pretium, an cōtractus ſuſtineatur, tractant *Rodericus de annuis reditibus lib. 2. q. 11. nu. 40. Cencius de cenſibus p. 2. c. 1. q. 3. artic. 8. nu. 44. & ſeq. & p. 3. c. 1. q. 3. artic. 4. num. 18. & 19. artic. 5. num. 29. Duardus in ſimili tract. §. 5. quæſt. 44.*

2 Dùm dicunt, emptorem cenſus hoc in caſu habere penes ſe quidpiam ex rebus venditoris, aſcēdens ad pretium cenſus; animaduertendum eſt, eum, velut pignus id retinere; & conſequenter vſus earum rerum ſibi interdictus eſt *l. ſi pignore 56. in principio ff. de furtis*; excepta ergo cautione ſui cenſus, nullam ex ea rè vtilitatem habet; ergo remota conſideratione pignoris apud eum non exiſtit res huiuſmodi.

3 Dùm autem dixit Cencius, rem pignori datam pro ea quantitate, quæ valorem ipſius adæquat, videri potius in ſolutum datam, quam pignori acceptam ex traditis per *Neguſantium de pignoribus p. 3. membro 2. nu. 27. & per alios ab eo allegatos*, animaduertendum eſt, omnes huius doctrinæ aſſertores ex eo moueri, quod inueriſimile ſit, debitorem velle recuperare huiuſmodi rem; quia hoc eſſet eam emere, non autem pignus lucere; & proinde noſtræ quæſtioni applicari non poteſt, quia clarum eſt, has res fuiſſe acceptas loco pignoris, non autem pro extinctione cenſus, quem durare voluerunt, etiam ſi huiuſmodi res apud emptorem manerent: durare autem non poſſet, ſi in dominium emptoris cenſus tranſiiſſent.

4 Illud autem maiorem habet veri ſpeciem, quod alij dixerunt, hac ratione indirectè induci obligationem reſtituendi pretij cenſus; ſi nempè eiuſmodi ſint illæ res, vt non ſit veriſimile, venditorē cenſus illis carere velle.

5 Verum hoc etiam in caſu puto, contractum ſuſtineri; & ſi enim graue nimis ſit venditori cenſus, præciſe obligari ad reſtituendum pretium cenſus, ei tamen valdè expedit habere, citra læſionem ſui patrimonij, vrgentem ſtimulum ad parcendum nummis, vt citius poſſit conflare pecuniam, ad extinguendum cenſum neceſſariam; vix autem eſt, vt melius id accidat, quam fiat in caſu noſtro, ex deſiderio nempè recuperandi pretioſas illas gemmas pignori datas; & ſi verò accidere poſſit, vt quia adeo ſtultus ſit, vt velit, magno cum ſuo damno, eas recuperare, non erit tamen hoc idoneum arg. ad damnandam hanc conuentionem l. 5. cum ſeq. ff. de legibus.

6 Si quis autem putauerit, hanc cōuentionem non valere, animaduertat, an præciſa ſit; ſi enim ſic geſta fuerit, vt liceat gemmas recuperare, etiam ſi alia ratione cautum fuerit idoneè emptori cenſus, non erit de eius validitate dubitandum vt benè admonet Rodericus loco allegato nu. 41. qui tamen non debuit dubitare, an fructus cenſus interim debeantur, cum nihil in contrarium vrgeat; quòd ſi non fuerit expreſſe cautum, vt non poſſint recuperari gemmæ, etiam ſi alia ratione ei fuerit idoneè cautum, conuentio erit interpretanda, vt id liceat; ad euitandum nempè damnum venditoris cenſus, & ad ipſum ſuſtinendum l. quoties ff. de reb. dub. l. in conuentionibus ff. de verb. ſig. l. in obſcuris 115. ff. de reg. iur.

Si fructus fundi cenſiti propter onera, aut vtilitatem pretij eorum non ſint apti ad conflandum annum cenſum, an pro rata ſit diminuendus.
Cap. XXXIX.

1 DE hac quæſtione tractant DD. allegati à Duardo de cenſibus §. 1. q. 47. à nu. 32. Pacianus conſ. 105. Cyriacus controuerſ. 296. dupliciter autem poteſt diſputari hæc quæſtio, primo, quando per aliquod annorum ſpatium fundus, etiam ſi diligentiſſimè cultus fuerit, non potuit tot reddere fructus, quot opus erat, demptis ſumptibus, & oneribus, ad conflandos annuos cēſus, remanente tamen ſpe, in futurum aliud eſſe euenturum; ſecundò, quando nulla remanet ſpes ex ſtatu rerum præſenti, vel imminenti deducta, poſſe impoſterum annuos cenſus colligi ex fructibus naſcituris ex fundo cenſito, etiam ſi elaboratiſſime cultus fuerit.

2 Primus caſus, vt puto non præbet occaſionem diminuendi cēſum, ſecundus autem præbet; ratio eſt, quia fundus in primo caſu, inſpecto tempore præſenti, eſt capax annui cenſus, in ſecundo autem non eſt capax.

3 Eſt capax in primo caſu, quia in reditu perpetuo non æſtimatur fundus ſecundum curſum quatuor, ſex ve aut ſeptem annorum, ſed ſecundum curſum temporis longè progredientem; huiuſmodi enim æſtimatio debet eſſe proportionata perpetuitati cenſus, iuxta ea quæ ſcripſi hoc libro c. 1. & c. 8. & per hoc excluditur regula l. quæ de tota ff. de rei vind: capacitas enim fundi non æſtimatur ſimpliciter, ſed perpenditur, ſterilitate cum fertilitate compēſata; ità vt vir prudens ac peritus exiſtimare poſſit, fundum, perpetuitate temporis conſiderata, fructus laturum eſſe aptos ad conflandum annuam huiuſmodi quantitatem; & conſequenter æſtimatio non debet fieri præciſe quatuor, aut ſex annorum ſterilium, per ſe cōſideratorum, ſed quatenus coniunguntur cum vbertate, ſequentibus annis veriſimiliter futura; & per hoc excluditur l. 4. §. ſi vites ff. de cenſibus, vt patet ex illis verbis nihilominus &c. ſicq; com. tradunt DD. vt patet ex *Cencio p. 1. c. 3. q. 2. artic. 3. nu. 6. cum ſequentibus Duardus in ſimili tract. §. 5. q. 4. nu. 8.*

4 Non eſt autem capax ſecundo caſu, quia vir prudens, ac peritus, ſtatu præſenti rerum inſpecto, nō poteſt exiſtimare, fructus fundi exactiſſimè culti, aptos eſſe ad conflandum huiuſmodi quantitatē, etiam ſi compenſetur ſterilitas cum fertilitate, & fructus ſuo tempore, & eo pretio diſtrahantur, quòd maximum erit eo loci, aut proximis locis, ad quos vir diligens, ac prouidus eos deferri debere arbitrabitur: Pretia n. rerum ex com. æſtimatione deducuntur l. pretia rerum ff. ad legem falcidiam; & reditus fundi ex eo, quòd veriſimilius eſt, aut plerunq; accidit æſtimandus erit l. in obſcuris 115. ff. de reg. iur.

5 Verum ergo eſt, dictum fundum non eſſe capacem integri cenſus; & proinde pars excedens corruit, quia accidens non poteſt ſtare ſine ſubiecto l. 2. ff. de vſufructu, & Inſt. eodem tit. in principio. Cum autem nihil differat, fundum ex parte ſterilem factum fuiſſe, vel fructus ex eo veriſimiliter colligendos non ſufficere conflando integro cenſui annuo, rectè dicemus; fundo ex parte ſterili facto, ſi reliqua pars non fuerit cenſus capax, pro ea parte cenſum diminuitur, quam fundus capere non poteſt, vt late explicat poſt alios Cencius de cēſibus p. 3. c. 1. artic. 2. ità ergo diminui debet in noſtro caſu; & ex his ſatiſfit Surdo cōtrarium ſentienti conſ. 162. nu. 19. cum pluribus ſeq. omnia enim ab eo allegata ſupponunt, obligationi perſonali poſſe adhærere cenſum, quòd falſum eſſe putamus ex ijs, quæ ſcripſimus capite primo huius lib.; apertè autem repugnat conſtitutioni Pij V.

6 Quid ſi lapſis vigintiquinq; aut amplius annis, augeatur valor fructuum, aut onera diminuantur, integer ne cenſus ſoluendus erit? contra cenſum vrget, quia à priuatione ad habitum non datur regreſſus; quomodo enim cenſus ex parte extinctus, abſq; nouo conſenſu poterit reuiuiſcere?

7 Con-

Digitized by Google

7 Contraria ſententia (quę eſt ex mente Rotę deciſ. 89. nu. 6. verſ. vltimo non obſtat poſt tract. de cenſibus) æquior, & vt puto verior eſt; ad deſtruẽdum enim abſolutè cenſum ſemel ritè conſtitutum, ſub prætextu incapacitatis; opus eſt omnimoda incapacitate; limitata enim incapacitas, limitatum parit effectum; exitus autem oſtendit, incapacitatem fuiſſe intra certum tempus reſtrictam; & conſequenter fuit ſuſpenſio potius, quam extinctio cenſus pro illa parte.

8 Exemplo rem declaro, conſtituta fuit ſeruitus immittendi tria tigna in hunc parietem, qui tunc temporis oneri ferendo aptus erat; accidit deinde, parietem duas tantum trabes, propter aliquid, ipſi accidens ferre poſſe; vnam vtiq; detrahere oportebit; ponamus, poſt viginti annos, illo impedimẽto ceſſante, poſſe parietem tres trabes ferre; negabis ne, eum, cui debetur ſeruitus, poſſe trabẽ, quam extraxit, immittere?

9 Paritas autem in hoc conſiſtit, quòd ſubſtantia parietis non habet abſolutam incapacitatem, ſed ſecundum quid; ideſt durante illo impedimento, & proinde non fuit deſtructa ſeruitus reſpectu tertiæ trabis; ſed fuit ſolum ſuſpenſa quouſq; paries, remoto impedimento, ſuam vim plenè exerceret; ità enim dicimus, fundum non eſſe ſimpliciter incapacem totius cenſus, ſed ſecundum quid; ideſt, durante vilitate annonę, vel grauitate onerum, & proinde hoc ceſſante cenſus erit ſoluẽdus integrè.

10 Huc ſpectat id, quòd de datione inſolutum dicitur, euicta nempè re in ſolutum data, priſtinam hypotecã reuiuiſcere l. ex ſextante 30. in fine verſ. in propoſita ff. de excep. rei iudicatæ; & ſi enim inſpecto ſtatu pręſenti ſatisfactum ſit creditori; vitia tamen latentia non permittunt, eam eſſe plenam ſatisfactionem; poteſt enim accidere, vt ei res euincatur; lex ergo conſiderans id, quòd accidere poteſt circa res in commercio verſantes; etiã ſi incertum ſit, an id futurum ſit: non ſinit, penitus extingui hypotecas, ſed vulut, eas in ſuſpenſo manere; ergo in propoſito conſideranda eſt potentia illa, quam habet fundus, etiam ſi inſpecto pręſenti ſtatu non ſit veriſimile, eam ſortituram eſſe effectum.

11 Dices, non poteſt cenſus conſtitui ſuper fundũ, de quò agimus, ergo nec etiam poteſt conſeruari poſtquam conſtitutus fuit; nam capacitas fundi eſt intrinſeca cenſui, ideoq; nunquam ab ea poteſt ſeparari: Reſpondeo, facilius eſſe conſeruare, quam producere; ideòq; videmus, teſtamentum à furioſo factum, dùm ſanæ mentis erat, conſeruari, etiam ſi mẽtem amiſerit, cum tamen tũc teſtari nequeat l. furioſum C. qui teſt. facere poſſ.

12 His accedit, quòd non dicimus, cẽſum tunc tẽporis integrè ſoluendũ eſſe, ſed aſſerimus, expectandũ eſſe tẽpus, quò eius fructus poſſint ſufficere; Quod ſi quis dixerit, cenſum poſſe cõditionaliter ſuper eo fundo conſtitui, quatenus ſcilicet deinde fructus fundi, ad eum ſoluendum ſufficere poſſint; reſponſio huiuſmodi ſolidis argumentis poterit defendi, dumodò ſolutio annuorum cenſuum interim non ſequatur.

13 Ex dictis oritur dubitatio, quid ſi mutatis rerũ conditionibus, fructus adeo largè ſufficiant ſoluẽdo cenſui, vt ex eorum pretio, deductis ſumptibus & oneribus, poſſint pręteriti cenſus ſolui; quid erit obſeruandum? Exiſtimo, æquius eſſe, & verius debere eũ, ex eo, quod ſupereſt, creditori cenſus ſatisfacere, quia compẽſari debet vbertas cũ ſterilitate l. licet C. loc. l. ſi vno ff. eodẽ tit. c. propter ſterilitatem de locato, & cõducto, & in propoſito dixit Rota apud Cencium deciſ. 10. nu. 8. & 9. hãc autem ſententiam non obſcurè inſinuat Rota poſt add. ad tract. Cencij de cenſibus deciſ. 26.

Iuſiurandum adiectum in contractu cenſus, an validet pacta reprobata à Pio V. & quatenus, reprobetur pactum, vt fundus cenſitus ſit interim locatus creditori.

Cap. XXXX.

1 PActa reprobata à conſtitutione Pij V. contractui cenſuali adiecta, per iuramentum confirmari ſenſit *Rota apud Cencium deciſ.* 10. *nu.* 11. *& cum ea Cencius p.* 2. *c.* 1. *quæſt.* 3. *artic.* 6. *nu.* 19. *& ſeq. & p.* 3. *c.* 1. *quæſt.* 3. *artic.* 4. *nu.* 13. *Duardus in ſimili tract. ſ.* 4. *q.* 29. *nu.* 38. *& ſ.* 6. *q.* 14. *num.* 12. *de hac autem ſententia dubitant Mantica de tacitis lib.* 8. *tit.* 22. *nu.* 35.

2 Et iure merito, quia Pius V. noluit, emptorem census aliquid acquirere ex pactis à ſua conſtitutione reprobatis, in illis verbis; *contractus ſub alia forma poſt hac celebrandos feneratitios iudicamus, & ità, illis præterea non obſtantibus, quod quid vel expreſſe, vel tacitè contra hac noſtra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à Fiſco volumus poſſe vindicari*; cum enim facillimè hæc conſtitutio inanis reddatur, ſi per iuramentum eius pœna euadatur, vtiq; ſub ipſa continentur contractus iurati, cum Pius V. poſſet, iuramenti vim euacuare; ex ijs, quę ſcripſi ſupra lib. 1. c. 13. num. 7. & ſequen.

3 Hæc autem ſententia eſt ex mente Rotæ, & DD. & ſi enim ſæpe, ac ſæpius egerint de vi, & poteſtate pactorum, à conſtitutione Pij V. reprobatorũ, de iuramento tamen ipſis robur addente nihil dixerunt; qnòd vtiq; non omiſiſſent, ſi id verum eſſe putauiſſent, cum ſinguli cenſus conſtituantur per inſtrumentum publicum, quòd abſq; iuramento fieri non ſolet,

4 Hæc autem facilius admittenda ſunt reſpectu pacti de redimendo cenſu, ſi moram cõmiſerit in ſoluendis annuis cenſibus, de quo agunt Rota d. deciſ. 10. nu. 11. & Cencius locis allegatis; quia verba Pij V. huiuſmodi pacta reprobantia ſic ſe ſe habent: *Pacta etiam continentia, pretium cenſus, extra caſum prædictum ab inuito, aut ob pœnam, aut ob aliam cauſam repeti poſſe, omnino prohibemus*: quomodo enim dici poteſt, hæc pacta eſſe omnino prohibita, ſi Pius V. in poteſtate contrahentium reliquit, ea per iuramentum ſic confirmare, vt poſſint reſoluere contractum? iuxta l. ſi quis maior C. de tranſact.

5 Secundam nunc capiamus dubitationem: conuenit inter emptorem, & venditorem cenſus, vt fundus cenſitus ſit locatus emptori quouſq; durauerit cenſus, an hæc conuentio valeat, tractant *Paliciannus de cenſibus tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *nu.* 1. *& tom.* 2. *eodem c. num.* 13. *Rota apud Cencium de cenſibus deciſ.* 193. *& ipſemet Cencius p.* 2. *c.* 1. *q.* 3. *artic.* 8. *à nu.* 41. *Duardus in ſimili tract. ſ.* 5. *q.* 45.

6 Puto, hoc pactum eſſe admittendum ſi ceſſauerit ſuſpicio fraudis; Hæc autem in duobus conſiſtit, primò,

primò, vt venditor cēſus inuitus cogatur redimere cenſum, quia conuentum fuerit, vt penſio annua excedens annuoa cēſus conuertatur in extinctionem ſortis, de quò caſu agit Gratianus c. 717. nu. 1. & ſeq. & *Cencius in add. ad d. artic. 8. nu. 3.* Secūdò, vt per locationem ſic grauetur venditor cēſus, vt veriſimile ſit, eum citius, quam alias faceret, cēſum eſſe, cum ſuo damno redempturum; his enim ceſſantibus, nō video, quid mali contineat hoc pactum, cū veriſſimū ſit, & receptiſſimum, poſſe emptorem cenſus cautum ſe ſe reddere acceptis, & renouatis fideiuſſoribus, & alijs modis, qui non augeant fructum annuum cenſus, aut indirectè inducant venditorem ad ipſum redimendum.

7 Imò puto, æquiſſimum eſſe, & veriſſimum, vt valeat pactum, per quod conuentum fuit, vt merces rei locatæ, excedens annuoa cenſus, in extinctionem ſortis conuertatur, ſi modo res bona fide geſta ſit; hoc eſt, vt res ſecundum morem regionis fuerit emptori cenſus locata pro ea penſione, quam ab alio idoneo debitore erat veriſimiliter inuenturus; vtq; finito tempore primæ locationis, liceat vēditori cenſus, ſi melior conditio ſibi oblata fuerit, rem alteri locare, qui tamen emptori cenſus debeat annuam mercedem ſoluere.

8 Vt huius opinionis ſim illud facit, quod hoc pactum, nō modo nō repugnat fini venditoris cēſus, ſed valde cum eo congruit; & proinde cum cenſus ſubſtantia valdè cōuenit, iuxta ea quæ ſcripſi ſupra lib. 3. c. 1. & ſeq. finis enim venditoris cenſus eſt, mediante alienatione annuæ quantitatis deducendę ex ſuo fundo, eam pecunię quantitatē comparare, quam tunc temporis habere deſiderat; hāc tamen mentem habens, vt velit, quantò citiùs poterit, ſuum fundum ab hac ſeruitute liberare.

9 Cum itaq; nulla certior, & facilior ratio id efficiendi occurrat, re ab eo quod plerumq; accidit, conſiderata iuxta l. 5. ff. de legib., quàm ſingulis annis partem pretij huiuſmodi cenſus emptori reſtituere; ſequitur, hoc pactum vtiliſſimum eſſe venditori cenſus, & eius menti omnino congruere: Cum itaq; conſtitutio Pij V. vetans pacta inducentia obligationem reſtituendi pretij cenſus in caſibus, in quibus ſunt cōpaſſibilia cum ſubſtantia cenſus, fuerint introducta in vtilitatem venditoris cenſus, non debemus eam ſic interpretari, vt voluerit, eo etiam caſu ipſa reprobare, quo vtilia ipſis ſunt, iuxta regulam l. quod fauore C. de legibus, eo modo, quo DD. com. docent, prohibitionem Iuſtiniani vetantis exhæredari filios abſq; expreſſione cauſæ legitimæ, ceſſare, quando filijs vtilis eſt exhæredatio, vt oſtendi ſupra lib. 4. c. 25.

10 Dices, venditorem cenſus ad eum caſum deuenire poſſe, vt ſibi vehementer diſpliceat, non poſſe habere ratam partem mercedis rei locatæ, quæ in reſtitutionem pretij eſt conuertenda; reſpondeo, venditorem cenſus id cogitauiſſe; maluiſſe tamen hoc incommodū ſubire veluti longè leuius, quàm ſit oportere, eodem tempore integrum pretium cenſus reſtituere; & proinde tollerare hoc debet, velut minus malum, à ſe in ineundo contractū electum, etiam ſi per accidens, quòd tamen vix eſt vt accidat, maius damnum ſibi afferat iuxta regulam l. in fideicommiſſo 11. C. de tranſact.

Pactum, ne venditor cenſus annui poſſit reſtituere eius pretium, niſi poſt certum tempus, an reddat contractum vſurarium. Cap. XLI.

1 SI conuentum fuerit, ne venditor cenſus poſſit reſtituere emptori pretium, niſi lapſo, puta, triennio, an reddat contractum fæneratitium, diligenter, de more exponit Regens Rouitus deciſ. 33. ego paucis exponam ſententiam meam: Non ſit hoc pactum, niſi eo caſu, quo emptor cenſus pro comperto habet, venditorem ipſius breui tempore habiturum eſſe paratos nummos, quibus poſſit, à ſeruitute huiuſmodi cenſus res ſuas liberare; ipſe autem non vult emere huiuſmodi ſeruitutem, niſi certum habeat inde lucrum ſuo deſiderio cōueniens; quod conſiſtit in duratione huiuſmodi contractus per annos, puta, tres.

2 Ao hoc deſiderium repugnet eſſentiæ contractus cenſualis videamus; finis actuum moralium eorum eſſentiam conſtituit vt probaui ſupra lib. 3. c. 1. n. 1. cum ſeq.; finis autem venditoris cenſus eſt acquirere eam pecuniam, quam deſiderat, per diſtractionem ſeruitutis annui cenſus duraturam quouſq; ipſe voluerit, poteritq; per reſtitutionem paris quantitatis, ſuas res ab ea liberare; finis autē emptoris cenſus eſt, acquirere annuum redditum pro certo pretio, duraturum quouſq; ea ſeruitus durauerit, quæ huiuſmodi redditum paritura eſt, vt expoſui ſupra lib. 11. c. 1. Et quatenus ad venditorem cenſus ſpectat, non eſt dubium, eius fini repugnare non poſſe, cum paratam habebit pecuniā, ſua bona ab huiuſmodi ſeruitute liberare.

3 Reſpectu autem emptoris, hoc cum eius fine congruit, cum per hoc pactum certius ſuum ſit cōſecuturus finem: An verò finis venditoris præualere debeat videamus; Contractuum ſpecies variæ fuerūt introductæ, vt poſſint homines per eos ſuis conſulere neceſſitatibus; ergo eſſentia contractuum ex fine erit ſumenda illius, qui quærit, per ipſum ſibi neceſſaria acquirere: Cum itaq; cenſus annui ab ijs vendātur, qui pecunia indigent, & per hoc ab ipſis interpellentur perſonæ habentes paratam pecuniam, non econtra; non eſt reuocandum in dubium, hunc contractum primò, & principaliter fieri ob commodum venditoris cenſus, non autem emptorum: Cum ergo repugnet hoc pactum fini, propter quem venditor huiuſmodi init contractum, omnino verum erit, hoc pactum repugnare eſſentiæ contractus cenſualis.

4 Secundò conſidero, quod cenſus ſic conſtitutus non differt à mutuo fæneratitio re ipſa; quid enim refert, accipere mutuas huiuſmodi pecunias cum obligatione retinendi eas pro tribus annis, & ſoluendi octo, puta, annua in ſingula centena; & prodictis pecunijs vendere annuum cenſum tantundem reddentem, adempta facultate eum redimēdi intra tres annos? Dices, interuenire venditionem ſeruitutis, quę eſt apta reddere annuam illam quantitatem, quod de mutuo dici nō poteſt; Ego autem à te quæram, an leges verbis ponantur, vel rebus? quomodo ergo poterit eſſe iuſtus ille contractus, qui ad vnguē conformis eſt deſiderio eius, qui vſuram vult exercere? hoc enim eſt id, quod cogit nos putare, aliud actum, aliud ſimulatum fuiſſe: adeas c. ad noſtram verſ. quod patet, & ibi gloſſam de empt. & vend.

5 Dicam

5 Dicam clarius; Titius deliberauit ſub vſuris formalibus ſuas Caio tradere pecunias;hoc deſideriũ vtiq; vitioſum eſt; quæro autem an eiuſmodi vitiũ ducatur ex re ipſa primò,an ex praua eius mẽte Si dixeris, ex praua mente oriri, male vtiq; dixeris, quia vix eſt, vt aliquis velit,per vſurã acquirere id, quod iuſtè acquirere poteſt: Ex re ergo vitiũ oritur; quomodo autem materia vitioſa poteſt introducere bonum contractum? Dices, id fieri mutando rationem contrahendi, velut accidit in ijs, qui ſuas pecunias exercendas mercatori tradunt; & deinde ei pro certo pretio ſuam partem queſtus ſic vendunt, vt eam iuſtè percipiant vtilitatẽ, quam ſalua ſorte percipere quærunt: Verum animaduertendũ eſt, hoc genus contractus rariſſimè in ijs mercibus verſari, in quibus probabile dubiũ eſt amittendæ ſortis; & proinde ſuſceptio periculi, ex parte mercatoris vix auget eius periculum; ſed ſub hoc colore minus dat ex quæſtu ſuæ negotiationis,quam æqualitatis ratio deſideret: In hoc ergo contractu intentiò eius, qui pecuniam dat, eſt,partem habere in illa negotiatione,& eam queſtus portionẽ conſequi,quã natura ſocietatis deſiderat. E contra intentio mercatoris eſt, ei tradente partem queſtus non excedentem quinq; puta, vel ſex in ſingula centena; cum verò non poſſit hoc conſequi, niſi ſic contrahendo, non vult ſocietatem liberam coire, ſed coarctatam init ſecũdum huiuſmodi modum.

6 Dices, intentio eius, qui dat pecuniam mercatori ea eſt, vt ex ſingulis centenis aureis capiat ſex annuos aureos abſq; periculo diminuendi ſortem; neq; curat de modo contrahendi; ſi autem mutuum factum fuerit, contractus erit fœneratitius; ſi verò allegatus contractus fuerit initus, erit commercium iuſtum; ergo falſum eſt, quod contractus iuſtus non poſſit ſatisfacere deſiderio fœneratoris: Non rectè:nam fœneratores non coarctant ſua deſideria ad certam quantitatem, ſed ſua voracitate Immania lucra, ſi fieri poſſit, capiunt; quod ergo iſte ſex puta, aut ſeptem annua recepturus ſit ex mutuo, non naſcitur ex moderato eius deſiderio, ſed ex eo, quod non ſupereſt ipſi ſpes, plus conſequendi: Non eſt ergo verum,contractũ iuſtum ad unguem reſpõdere poſſe deſiderio fœneratoris,ſi modo moraliter res conſideretur;hoc eſt, ſecundum mores fœneratorum, qui plus deſiderant, quam iuſtitiæ regulæ patiantur;ſi enim id, quod iuſtum eſt deſiderauerit, non eſt tunc fœneratoris nomine appellandus.

7 In hoc autem contractu ad vnguem id accidit, quia is, qui numerat pecuniam plus conſequi vult, quam iuſtitiæ regulæ patiantur; cur enim recuſat ſuam recuperare pecuniam? Cum itaq; hoc ſuum deſiderium ad vnguem impleatur per cenſum initum ſecundum allegatum modum, idq; cum damno venditoris cenſus, manifeſtum eſt, ex materia mutui vſurarij eos conſtituere voluiſſe cõtractum cenſualem; cum itaq; habeant contradictionem ad inuicem contractus iuſti, ac fœneratitij, verum vtiq; erit, non potuiſſe deduci in eſſe contractum cenſus ex defectu materiæ: Hæc autem diſputatio non modo pertinebit ad imputandos fructus in ſortem; ſed etiam quò ad vim hypotecarum in huiuſmodi contractu cenſus cõſtitutarum; ſi enim erit fœneratitius, hypotecę, & obligationes fideiuſſorũ inutiles erunt l. non dubium C. de legibus,

Cenſus an poſſit conſtitui ſuper vſufructu, vel penſione Eccleſiaſtica ſibi debita. Cap. XXXXII.

1 NEgat Petrus de Gregorio in explicatione Bullæ Nicolai V. de cenſibus, poſſe conſtitui cenſum ſuper vſufructu; & cum eo idem docet Riccius deciſ. 33. p. 3. inde colligendo, idem eſſe cenſendum de eo, qui id facere velit ſuper penſione Eccleſiaſtica ſibi debita: Contrarium autem ſcripſit *Milanenſis deciſ. 9. nu. 36. lib. 2. & cum eo Maſtrillus deciſ. 92. Cencius de cenſibus p. 1. c. 2. q. 3. artic. 3., tam in tractatu, quam in addit.*

2 Circa hanc controuerſiam illud certum eſſe debet, quod extincto iure percipiendi vſumfructum, & penſionem, etiam cenſum perire, cum ſit ius, ſuper huiuſmodi iure conſiſtens, iuxta regulam l. 2. ff. de vſufr.; difficultas ergo in eo conſiſtere videtur, an ius iſtud ſit capax ſeruitutis, quæ cenſum in eſſe deducit, duraturæ vſq; ad illud tempus, quo ius huiuſmodi durauerit; quod in dubium non videtur reuocandum, quia aptum eſt, parere eam quantitatem pecuniæ, quæ ſoluenda eſt cenſuario, iuxta communem theoricam de qua DD. allegati à Cencio in dicto tractatu p. 1. c. 3. q. 1. artic. 5.; & de vſufructu dicitur, eum eſſe partem dominij l. 4. ff. de vſufr.; de fructibus autem beneficiorum, quod ſubijciantur creditoribus eius, ad quem ſpectat beneficiũ, habemus in c. peruenit de fideiuſ.

3 Prior opinio verior eſt; Et ſi enim cõſtitui poſſit cenſus duraturus vſq; ad mortem eius, qui emit cenſum, non tamen conſtituuntur cenſus pendentes ex vita eius, qui cenſũ vendidit; quod omnino euẽturum eſt in his ſpeciebus, quia extinctio vſusfructus, vel penſionis per mortem, vel alia ratione contingens, pendet ex perſona debitoris cenſus: ergo hic contractus velut omnino inſolitus eſt reprobandus.

4 Aut cenſuarius recuperare debet pecuniam, quã numerauit, extincto vſufructu, vel penſione, aut omnino cenſus debet extingui: Si debet recuperari, euidens eſt vſura; quia inducitur obligatio reſtituendi pretium cenſus, quæ eo caſu contingere poteſt, quo id valde nocet debitori cenſus; adeas ea, quæ ſcripſi ſupra capite 37. Sin autem extingui omnino debeat cenſus, erit contractus inſolitus, & difficillimæ explicationis; & proinde puto, exiſtimandum eſſe, latere in eo aliquam ex ijs ſubtiliſſimis artibus, quibus fœneratores ſuos ſolent velare contractus improbos: difficillimæ inquam explicationis, quò ad eius iuſtitiam; Si .n. acriter diſputatur inter DD. an ſit admittendus contractus cenſus ad certum tempus duraturus, vt expoſui ſupra lib. 11. c. 4. quomodo admittendus erit cenſus reſtrictus ad vitã ſui debitoris? non eſt verò, quod aliquis allegare velit, cenſus vitalitios vſitatos eſſe, quia in ipſis duratio cenſus pendet ex vita creditoris; & proinde vtilitas ipſorum poteſt determinationem accipere, tam ex parte creditoris, quam ex parte debitoris cenſus; quod difficillimè poteſt contingere in cenſu, de quo agimus, reſpectu creditoris; eius enim vtilitas pendet ex debitoris vita.

Pretium

Pretium iuſtum annui cenſus quomodo cognoſcatur, & an iniuſtitia pretij ſatis ſit, vt fœneratius exiſtimetur. Cap. XXXXIII.

1 PRetia annuorum cenſum variari ſecundum qualitatem locorum, temporum, & perſonarum, experientia quotidiana oſtendit. & docent paſſim ſcriptores, *Io. Gerſon. de contractibus conſiderat. 5. & 19. Ripa lib. 1. reſponſ. 19. Couar. lib. 3. var. reſolut. c. 9. nu. 6. ad finem verſ. ex quibus colligitur, & ſequenti nu. 2. Medina in C. de rebus, per vſuram acquiſitis quaſt. 15. de cenſu redimibili ante verſ. quò ad ſecundum de pœna commiſſi. Nauarrus conſ. 15. nu. 8. tit. de empt. & vendit. Fridericus Martinus in tract. de cenſibus c. 5. de iuſto annui reditus pretio nu. 9. & 10. Andr. Gayl. lib. 2. obſer. 7. nu. 4. in fine nu. 5. & 6. Rebellus de obligat. iuſtit. lib 10. quæſt. 5. nu. 1. Molina de contractibus diſput. 385. nu. 18. ante verſic. neganda eſt conſequentia P. Io: Fontanella de pactis nuptialibus tom. 1. clauſ. 4. gloſſ. 18. p. 2. nu. 8. Graſſus lib. 2. deciſ. c. 18. nu. 25. Ludouicus Beia reſponſ. p. 1. c. 25. verſ. quarè, Rodericus de annuis reditibus lib. 1. quæſt. 6. nu. 2. nu. 41. in fine, & nu. 42. Brunorus à ſole quæſt. 2. nu. 6. cum ſeqq. Menoch. conſ. 236. n. 14. verſ. attamen fatetur, Lud. Lopez. de contract. c. 58. de pretio cenſuum n. 1. verſ. circa hanc tertiam, & in fine d. capitis verſ. qua vtiq; ratione, Maſtrillus deciſ. 103. nu. 2. Gregor. de Valent. tom. 3. com. Theolog. diſput. 5. quæſt. 22. de cenſibus puncto 5. verſ. concluſio ſecunda, vbi ſcribit circa hanc aſſertionem non extare dubitationem, Reginaldus in praxi fori pœnitent. lib. 25. n. 433. Bonaccina de contract. diſp. 3. quæſt. 4. de cenſibus puncto vnico nu. 40.*

2 Etiã ſi agatur de emẽdo cenſu annuo decem aureorum, pro pretio centum aureorum, vt probat conſtitutio Martini V. Pontificis Summi relata in extrauagantibus comm. tit. de emptione, & venditione; ibi enim approbat emptionem annui cenſus vnius marchæ facta pretio decem marcharum; quam confirmauit Caliſtus 3. vt ex ſeq. conſtitutione liquet: Cum quibus concordat cõſtitutio Nicolai quinti, inter eius conſtitutiones quarta; in ea enim declarat, licere habitatoribus vtriuſq; Siciliæ abſq; labe vſuræ emere annuos cẽſus, ſingulis annis reddentes decimam partem pretij, quo comparati fuere; quam conſtitutionem commẽtarijs ornauerunt Petrus Follerius, Petrus de Gregorio, & alij Doctores Siculi quos recenſent Franciſcus Milanenſis deciſ. 2. à nu. 52. lib. 2. Marius Muta deciſ. 81. nu. 39. & integro volumine euulgati leguntur; hanc autem conſtitutionẽ in vtraq; Sicilia, & omnibus fere regni; S. C. M. quò ad hoc obſeruari, teſtatur Regens Conſtantius ad tit. C. de Fiſcalib. vſur. nu. 34. & 35. lib. 10.

3 Cum autem edita conſtitutione Pij V. ſuper cenſibus, in Inſula Siciliæ fuiſſet magna orta inter eius populos perturbatio, re ad S. Pontificem delata, & maturè examinata, Gregor. XIII. conſtitutione ſua cõfirmauit dictã Bullam Nicolai V. eamq; obſeruari mandauit, prout retrò actis annis factũ fuerat; hanc autem Gregorij conſtitutionem legimus apud Quarantam in ſua ſumma Bullarij in verbo contractus cenſualis fol. mihi 208. vbi etiã recenſet dictam Nicolai V. conſtitutionem. Huiuſmodi autẽ Nicolai V. cõſtitutionem in vtriuſq; Siciliæ Regnis obſeruari, teſtantur Maſtrillus deciſ. 94. in principio, Ricc. collect. 1678. in principio, & alij earum regionum ſcriptores nouiſſimi paſſim id confirmant.

4 Harum autem conſtitutionum authoritate huius materiæ ſcriptores docent concordi ſententia, iuſtè emi annuos cenſus reddentes decem annua in ſingula centena, ſi ita ferat qualitas loci, temporis, & perſonarum; *Pariſ. conſ. 75. nu. 30. & 31. lib. 4. vbi dicit, ſic declarauiſſe Rotam Romanam, Ripa conſ. vnico tit. de vſur. in principio, Marian. Socin. in rub. extra de vſur. nu. 99. Decian. conſ. 2. nu. 77. lib. 1. Couar. lib. 1. var. c. 9. nu. 8. verſ. poſtremò* [illegible] *nu. 9. in principio, & lib. 3. c. 10. nu. 2. verſ. cætero, vbi teſtatur, hoc pretio annuos cenſus in quibuſdam Hiſpaniarum regionibus emi conſuetũſſe, Senatumq; ſæpius declarauiſſe, iuſtè id fieri; Imbertus Rupellanus lib. 1. Inſtit. Forenſ. c. 34. verſ. prætereundum autem non eſt, vbi teſtatur id in Gallia olim vſitatum fuiſſe, Nauar. de vſuris nu. 104. verſ. vnde quamuis, & in fine commentarij verſ. decimum octauum, vbi teſtatur in quibuſdam Gallorum partibus hoc in vſu fuiſſe, & conſ. 18 nu. 2. tit. de empt. & vendit. Benedictus Bonius de cenſibus artic. 8. Theſaur. deciſ. 154. vbi dicit, ſic ſæpius iudicatum fuiſſe in Senatu Pedamontano, quod etiam ſuo tempore factum fuiſſe, eandem ſententiam approbans ſcribit Gaſpar eius filius lib. 1. quæſt. 32. nu. 5. verſ. ad quam conſuetudinem, Boccacius de cenſibus p. 1. nu. 35. & p. 3. nu. 50. teſtando in Piceno hoc pretio tunc temporis vendi conſueuiſſe annuos cenſus, Michael Salon de iuſt. & iure tom. 2. de cenſibus controuerſ. 9. verſ. confirmans hanc doctrinam, D. Fachin. lib. 2. controuerſ. c. 43. verſ. ſed hac ſententia, Andr. Gayl. lib. 2. obſer. 9. nu. 2. verſ. imo S. Pontifices, Surdus conſ. 162. nu. 33. in fine, & 34. Rota poſt tractatum Cencij de cenſibus deciſ. 117. nu. 8. verſ. neq; redargui,* vbi affirmat in Romandiola hoc in vſu fuiſſe; & huiuſmodi pretium iuſtum eſſe cenſendum, quam ſententiam in alijs cauſis eadem Rota approbauit, vt patet ex deciſ. 17. eiuſdem Rotæ poſt dictũ tractatũ nu. 4. & deciſ. 14. poſitam poſt addit. ad eundem tractatum, *Toletus lib. 5. inſtruct. Sacerd. c. 47. num. 3. verſ. cum tamen iſta lex, Azor. tom. 3. lib. 10. c. 8. quæſt. 4. & quæſt. 21. verſ. quartò concedit, & in fine quæſt. Leo in Theſauro fori Eccleſiaſt. c. 30. de cenſibus à nu. 30. cum his concordans, Brunorus à ſole quæſt. 3. nu. 6. verſ. & pro iſtis, & nu. 15. in vniuerſa illa quæſt. id confirmans, Gratian. tom. 1. diſcept. c. 141. nu. 24. cum ſequentibus, vbi teſtatur, paſſim conſtitui, & admitti, cenſus reddentes decem annua in ſingula centena, quod etiam confirmat in c. 589. nu. 14. cum ſeq. Gaſpar. Rodericus de ann. reddit. lib. 1. quæſt. 7. nu. 12. in fine, & nu. 13. & nu. 23. vbi ſcribit, quod temporibus antiquis reditus decem annui aurei in ſigulos centum aureos exiſtimabatur pretium iuſtum in vtroq; foro, Io: de Salas tract. de cenſibus dub. 22. nu. 3. ad finem verſ. in Sicilia, Leſſius de iuſt. & iure lib. 1. c. 22. de cenſibus dubitat. 14. nu. 104. Scaccia de comerc. §. 1. quæſt. 1. nu. 244. & q. 7. p. 2. §. 10. nu. 69. & 81. Riccius collect. 2382. col. 3. verſ. nunc videndum eſt, Marius Muta deciſ. 81. n. 39. vbi allegat multos DD. Siculos idem atteſtantes, & teſtatur paſſim hoc obſeruari, Philiuccius in quæſt. moralibus tract. 35. p. 2. nu. 266. & nouiſſimè hanc ſententiam, paucis tamen ex his relatis, firmat Ludouicus Cencius in tract. de cenſibus p. 2. c. 1. quæſt. 1. artic. 4. num. 14. cum ſequentibus,* ex quibus patet, hanc

eſſe

eſſe receptiſſimam ſententiam, vt mirum videri poſſit, Menoch. conſ. 445. in fine contrarium attentaſſe, nulla allata ratione, vel autoritate, quæ opinioni paradoxicę aliquam poſſit auhtoritatem addere.

5 Cum verò receptum ſit, eum qui dicit, iniuſtum eſſe pretium inter partes in contractu emptionis conuentum, onere probandi grauari, quia præſumendum eſt, ipſum eſſe iuſtum, donec contrarium fuerit plenè probatum *Bal. in l. ſi fundus* 13. *§.* 1. *nu.* 1. *verſ. in gloſſa ſi fundus ff. de reb. eorum, & cum coaly, de quibus Ar. Pinell. de reſc. vend. p. vltim. c. vltimo nu.* 49. *verſ. magis etiam in ſpecie. Menoch. conſ.* 388. *nu.* 23. *Maſcard. concluſ.* 960. *nu.* 1. *cum ſeqq. Natta conſ.* 650. *nu.* 8. *verſ. præterea pretium. Honded. conſ.* 91. *nu.* 52. *&* 53. *lib.* 1. *Rota deciſ.* 340. *nu.* 1. *p.* 1. *diuerſ. deciſ.* 553. *nu.* 7. *&* 8. *p.* 4. *diuerſ. Gratian. c.* 461. *num.* 19. *Iurba deciſ.* 117. *nu.* 19. *Farinac. de falſit. & ſimul. quæſt.* 163. *nu.* 12. non erit dubitandum, ad eum ſpectare onus probandi, qui dixerit eſſe iniuſtum cenſum reddentem decem annua in ſingula centena.

6 Quæ doctrina multò magis habet locum, quando allegatur leſio in pretio cenſus ad probandum, contractum vſurarium eſſe; debemus enim, quantum poſſumus vſuram à contractibus excludere, vt poſt alios tradunt *Rol. conſ.* 40. *nu.* 1. *cum ſeqq. conſ.* 99. *nu.* 11. *verſ. ſecundò promitto n.* 12. *cum ſeqq. lib.* 2. *Tiraq. de retr. conuent. ad finem tit. num.* 127. *&* 128. *Menoch. lib.* 3. *præſumpt.* 122. *dum.* 2. *Decian. conſ.* 2. *nu.* 61. *cum ſeqq. lib.* 1. *& alij paſſim.*

7 Et de contractu cenſuali, quod in dubio ſit cenſendus iuſtus, & debeat ab eo excludi quantum poteſt prauitas vſuraria, docent *Ludouiſ. deciſ.* 355. *num.* 1. *Rota deciſ.* 316. *in principio p.* 4. *diuerſ. & deciſ.* 219. *nu.* 1. *deciſ.* 511. *nu.* 5. *cum ſeqq. p.* 2. *recent. & poſt tractatum Cencij de cenſibus deciſ.* 117. *nu.* 1. *&* 2. & in ſpecie noſtra, quod circa quantitatem pretij cenſus contrahentium conuentio, & iudicium partium ſit maximè attendendum, etiam ſi cenſus reddat annua decem in ſingula centena, habemus conſtitutionem Martini V. ſupra allegatam in illis verbis. *Ad rationem, & pro qualibet marcha annui cenſus decem, vndecim, tredecim, quatuordecim marcha, aut plus, vel minus ſecundum temporis qualitatem, prout inter ſe ipſi contrahentes conuenerunt*; illa enim verba *prout contrahentes conuenerunt* clarè remittunt iudicio contrahentium ęſtimare qualitates rerum, temporis, perſonarumq; augentium, vel diminuētium valorem cenſus venditi; nam aduerbium prout relatum ad rem preteritam, de qua cōſtat, reſtrictiue accipitur, vt poſt alios tradunt *Honded. conſ.* 112. *nu.* 20 *lib.* 1. *Menoch. conſ.* 177. *nu.* 26. *Surd. conſ.* 366. *num.* 15. *in fine, & nu.* 16. *conſ.* 379. *nu.* 32. *in fine n.* 33. *&* 34. hocq; eò magis vrget, quia in cōſtitutione ſequēti idem repetitur in illis verbis. *Annuos marcharum, florenorum, ſeu groſſorum (moneta in partibus illis currentis) redditus ſeu cenſus vendentes, ſingulis marchis, florenis, ſiue groſſis huiuſmodi ab eis, qui illas, vel illos, ſiue redditus, ſiue cenſus ipſos emerint, certum competens pretium in numerata pecunia ſecundum temporis qualitatem, prout ipſi ementes, & vendentes in contractibus, ſuper his inter ſe firmauerunt, reciperent*:

8 Huc etiam reſpexit Nicolaus V. in allegata conſtitutione dū ſimpliciter ſanxit, non licere emere cēſum excedentem annuum reditum nummorum pro ſingulis centenis nummis nulla propoſita regula moderandi annuum reditū, intra hanc ſummam conſiſtentem; ſi enim poterat aliqua, non dicam certa, ſed veriſimilis regula proponi, per quam intra Iuſtitiæ tramites huiuſmodi pretium facile contineretur, cur hi tres Summi Pontifices eam omiſerunt, cum in cæteris diligenter curauerint, fœneratorum malitijs occurrere? Cur Pius V. qui exactiſſima diligentia curauit in ſua conſtitutione occurrere conuentionibus iniuſtis, quę in hoc contractu incidere conſueuerant, de pretij quantitate nihil omnino decreuit?

9 Ideò autem hoc omiſſum fuit, quia pretium annuorum cenſuum creſcit, diminuiturq; prout facilis, aut difficilis futura ſuo tempore exiſtimatur exactio annuorum prouentuum inde venientium, vt declarant *Michael Salon de iuſt. & iure tom.* 2. *tract. de cenſibus controuerſ.* 10. *verſ. primò ſecundo, Toletus lib.* 5. *Inſtr. Sacerd. c.* 47. *num.* 3. *poſt principium. Rota apud Gratianum c.* 545. *num.* 18. *nihilominus*: Cum enim in longum tempus proſpicere, & cognoſcere reſpectu tēporis futuri difficultatem huiuſmodi exactionis, excedat capacitatem populi, merito Martinus V. Caliſtus 3. & Nicolaus V. iudicio contrahentium reſeruarunt quantitatē pretij cēſus vſq; ad allegatam ſummam decem in ſingula centena; cum exiſtimarent, non eſſe difficile, eas incidere circunſtantias, quæ iuſtam reddant ſolutionem annuam decē in ſingula centena; & conſequenter pluſquam verum eſt, præſumendum eſſe pro iuſtitiā pretij cenſus inter partes conuenti, dummodo intra dictam ſummam conſiſtat.

10 Quod facilius obtinebit, ſi prædia, ſuper quibus conſtitutus fuit cenſus, ſint ſita in diuerſo Principatu; aut quia difficile eſſet ſcire, an huiuſmodi predia fideicommiſſis ſubiecta eſſent, prout ſæpiſſimè accidit in prædijs magnatum; vel quia annui prouentus ex huiuſmodi cenſu prouenien di exigendi ſint à perſonis potentibus; aut quia venditus fuerit cenſus eo loci, vbi adſunt rationes faciles ſuas exercendi pecunias, aut comparandi reditus meliores; eo enim viliores ſunt annui cenſus, quò maior exiſtit facultas exercendi pecuniā in alijs negotiationibus queſtuoſis, vt declarant *Rodericus de annuis redit. lib.* 1. *quæſt.* 6. *nu.* 41. *Fridericus Martinus de cenſibus c.* 5. *nu.* 20. *&* 21 *Leſſius de iuſt. & iure lib.* 2. *c.* 22 *de cenſibus dub.* 14. *num.* 102. *in fine verſ. conſiderandum, Io: de Salas tract. de cenſibus puncto* 22. *n.* 4. *in principio.*

11 Cum verò annui cenſus multorum annorū ſpatio ſoluti fuere, valde augetur præſumptio, quod pretium iuſtum fuerit, Rota deciſ. 511. nu. 12. p. 2. recent. & deciſ. 100. nu. 18. & 19. poſt tractatum Cencij de cenſibus: Cum enim nemo ſuum iactare credatur l. cum de indebito de probat. exiſtimandum eſt, tot annis hunc cenſum ea de cauſa ſolutum fuiſſe, quia ſciebant, ipſum iuſto pretio fuiſſe venditum, & proinde omnino eſt affirmandum, mortuis illis, qui plenam notitiam habuerunt circunſtantiarum reddentium ipſum iuſtum, non eſſe audiendum eum, qui eius validitatem in dubiū reuocat, niſi eius iniuſtitia probetur per certas, ac indubitatas probationes: prout dicitur, non eſſe audiendum eum, qui viuente debitore

multis annis ſilentio inuoluit illud creditum, cuius ſolutionem poſtulat ab hæredibus ipſius, qui nec negotij notitiam habere, aut ſcire poſſunt tempus factæ ſolutionis, vt poſt alios tradit Menoch. lib. 3. præſumpt. 135. num. 19. & ſeqq. & alij quos omitto.

12 Non omittam tamen, quod, & ſi probatum fuerit, huiuſmodi pretium iniuſtum fuiſſe, nõ propterea vſurarius contractus cenſendus eſſet, quia receptum eſt apud DD. iniuſtitiam pretij annui cẽſus non ſufficere ad inducendam præſumptionem vſurariæ prauitatis, etiam ſi verſemur in cenſu reddente decem in ſingula centena iuxta doctrinam Parlamenti Pariſienſis; vt enim teſtatur Tiraquel. de retractu conſang. §. 1. gloſſ. 6. n. 19. in fine, nõ ſolet habere pro contractibus vſurarijs annuos cẽſus reddentes ſingulis annis decem in ſingula centena, ſed eorum prouentum moderari ſolere: hanc autem Parlamenti Pariſienſis cenſuram approbant *Conar. lib. 3. var. c. 10. num. 2. verſ. ſic, & noſtra ætate, Michael Salon de Iuſt. & iur. tom. 2. tit. de cenſibus controuerſ. 11. num. 1. in fine verſ. qua ratione; & nu. 2. Rodericus de annuis reditibus lib. 1. quæſt. 6. nu. 9. cum ſeqq. vſq; ad nu. 17. vbi concludit, non eſſe cenſendum vſurarium annuum cenſum ex eo, quod iniuſto pretio emptus fuerit, niſi ſingulis annis in ſuo prouentu excedat decem in ſingula centena, cuius doctrinam probauerunt Maſtrillus deciſ. 245. n. 54. & 55. Dominicus Gaitus de credito tom. 1. c. 2. tit. 7. nu. 1579. verſ. diſtinguit, & nu. ſeq.*

13 Cum hac verò ſententia concordat ſenſus Summorum Pontificum; Pius enim V. non ſolebat vſurarios declarare annuos cenſus reddentes decem in ſingula cẽtena, ſed eorum prouentum moderabatur, vt teſtatur *Io. Baptiſta Leo in Theſauro fori Eccleſiaſtici c. 30. de cenſibus n. 14. & alios Summos Pontifices idem obſeruauiſſe, teſtantur Boccacius de cenſibus p. 3. nu. 50. verſ. quando vero cenſus, vbi idem teſtatur obſeruari de cenſibus reddentibus vndecim pro ſingulis centenis nummis; Marcheſanus in praxi ſignaturæ nouiſſimæ editionis tom. 1. titulo de ſignatura Gratiæ diuerſa. c. 2. nu. 475. & ſeq. fol. 96. teſtatur, ſeruari, & ſemper ſeruatum fuiſſe, vt Papa in ſignatura gratiæ moderetur cenſus reddentes nouem vel decem ſingulis annis taxando eorum redditum in vrbe ſcutis annuis ſeptem, extra vrbem autem octo in ſingula centena.*

14 Clemens autem Octauus edita conſtitutione generali, moderatus fuit cenſus annuos à Communitatibus ſtatus Eccleſiaſtici venditos reddentes decem annua in ſingula centena vſq; ad ſummam ſeptem annuorum aureorum, pro ſingulis centenis aureis, quæ edita fuit 1. Maij 1592. & in Bullario Cherubini eſt VI.; in compendio autem Caſtellani vndecimum locum tenet.

15 Et in terminis Bullæ Nicolai V. ſupra allegatæ vetantis emi cenſus ſingulis annis reddentes vltra decimam partem pretij ipſorum, quod non cenſeatur vſurarius cenſus, huiuſmodi ſummam in ſuo redditu excedens, docuerunt Doctores Siculi eiuſdem Bullæ interpretes, quos refert, & ſequitur Frãciſcus Milanenſis lib. 2. deciſ. 2. nu. 52. cum ſequentibus vſq; ad nu. 75. vbi teſtatur, ſecundum hanc doctrinam iudicatũ fuiſſe in Tribunali Regij Patrimonij, & hanc ſententiam in ſecunda inſtantia fuiſſe confirmatam, cauſa coram Preſidibus examinata.

16 Cum hac verò doctrina concordant illi, qui generaliter docent, non eſſe cenſendum ſimpliciter & abſolute vſurarium cenſum ex eo ſolo, quod iniuſto pretio emptus fuerit, quorum numero ſunt *Sotus de iuſt. & iure lib. 6. quæſt. 5. artic. 3. verſ. ob hanc rem, Medina de reb. per vſuram acquiſ. q. vltima de cenſu redimibili verſ. ſed fine ſecundum editionem Brixienſem fol. 414. col. 2. Conar. lib. 3. var. c. 7. nu. 3. verſ. ita tamen quod propter deceptionem, Andr. Gayl. lib. 2. obſer. 5. nu. 9. cum ſeq. vbi agit de quibuſdam cenſibus Germanorum, in quibus pretium per conſtitutionem Imperialem taxatum eſt, & concludit, quod ob exceſſum non vitiatur contractus, ſed ipſe exceſſus corrigitur, & Cameram Imperialem ſic obſeruare: eandem doctrinam tradit in c. 7. nu. 15. eiuſdem libri, Lupus de vſuris comment. 2. §. 2. nu. 79. verſ. bene verum eſt, Michael Salon tom. 2. de iuſt. & iur. tractatu de cenſibus controuerſ. 11. n. 1. Rebellus de obligat. Iuſtitiæ lib. 10. quæſt. 5. n. 8. Leſſius de iuſt. & iure c. 22. de cenſibus dubitatione 15. nu. 106. & 107. Molina de contractibus quæſt. 390. n. 3. Bonaccina eodem tract. diſput. 3. quæſt. 4. puncto vnico n. 22. Io. de Salas de cenſibus quæſt. 13. nu. 4.*

17 Non ignoro, Fœlicianum de cenſibus lib. 1. c. 9. nu. 12. cum ſeqq., non nullis autoribus allegatis docere, cenſum iniuſto pretio emptum eſſe vſurarium, quod confirmat lib. 2. c. 1. nu. 23. & in appendice lib. 2. c. 1. nu. 1. cuius doctrinam, re non examinata non ſatis conſultè Cencius approbauit p. 2. quæſt. 1. artic. 4. nu. 23. non ſatis conſulte inquam, quia Fœlicianus d. c. 9. nu. 12. verſ. quia cenſus teſtatur, cõtrariam ſententiam vſu approbari ſolere: Eamq; paſſim à Summis Pontificibus recipi cõſueuiſſe oſtendi ex Io. Baptiſta Leone, Virginio Bocaccio, & Marcheſano ſupra allegatis; poſſunt autem Feliciani rationes facile confutari ex ijs quæ ſcribunt DD. in c. ad noſtram de empt. & vendit.; & hęc ſententia falſiſſima eſt euidenter, niſi exceſſus in pretio ſit intollerabilis (in quibus terminis loquitur Nauarrus de vſuris num. 78. & Imbertus Rupellanus lib. 1. Inſt. Forenſ. c. 34. verſ. prætereundum autem non eſt, a Fœliciano allegati) Imbertus autem aperte ſequitur ſententiam Senatus Pariſienſis ſupra allegatam, vt nõ exiſtimemus vſurarios cenſus reddentes decem annuos nummos in ſingula centena nummorum.

18 Non eſt autem prętereundum, Summos Pontifices huiuſmodi moderationes concedere reſpectu tẽporis futuri, relinquendo anteacti temporis prouẽtus in diſpoſitione iuris communis, vt teſtatur Rota apud Ludouiſ. deciſ. 311. n. 5. & 6: quod etiam ſignificat Boccacc. de cenſibus p. 3. nu. 50. verſ. quãdo verò dum ſcribit, annuos cenſus, quos ſolet S. Pontifex moderari, eſſe ſoluendos iuxta conuentionem quòuſq; S. Pontifex eos moderatus fuerit; huius autem rei exemplum præbet conſtitutio Clementis 8. ſupra relata; in ea enim nominatim agit de cenſibus reddentibus annua decem in ſingula centena, venditis à Communitatibus; & conſequenter agit de cenſibus periculo ſere expertibus; & tamen eos ſolum moderatus fuit reſpectu temporis futuri, vt patet ex illis verbis cõſtitutionis, quò ad illorum fructus, ex nunc deinceps in futurum decurrendos, ad rationem ſeptem tantum pro quolibet centenario reducimus, & moderamur: Idem obſeruare ſolere Senatum

Pari-

Digitized by Google

Pariſienſem, quando annuus redditus non excedit annua decem in ſingula centena, docet *Imbertus Rupellanus lib. 1. inſtit. Forens. c. 34. verſ. prætereundum autem non eſt, ibi quod ſi minoris ſol. mihi* 104. *idem obſeruare Rotam Aueniomenſem liquet ex Laurẽtio deciſ. 66. nu. 10.*

39 Non ignoro, Rodericum de annuis reditibus lib. 1. quæſt. 6. à nu. 30. à n. 39. aliud ſcripſiſſe, cuius ſententiam non eſſet difficile confutare, ſed nõ eſt opus, cum agat de ea moderatione cenſuum, quæ legis municipalis authoritate fit, & eius opinio diſcrepet à ſtylo Summorũ Pontificum, quorum authoritate hæ cenſuum moderationes fieri ſolent in Italia.

Vbi publica authoritate conſtituitur precium tritico, aut vino an liceat ante venditionem miſcere vino aquam, tritico alias ſegetes ea vendendo iuxta precium taxatum, ſi per hoc non reddantur deterioris conditionis, quã ſint tunc cætera vina, ac frumenta eius loci. Cap. XLIV.

1 INter caſuum cõſcientiæ profeſſores dubitatur, an habens triticum, aut vinum longè melioris qualitatis, quam ſint vina, & frumenta, quæ eo loci tunc vendi ſolent, poſſit ante venditionem per miſtionem aquæ; aut aliarum ſegetum ipſum redigere ad eum ſtatum, qui ſit euidenter æqualis qualitati aliorum vinorum, ac triticorum, quæ eo loci venduntur, vt liquet ex Io: de Salas de emptione, & vendit, dubio 12.

2 Primò dico, legis prædicatum eſſe ne ſit dura c. erit lex 4. diſtinctione; abſurdum ergo eſt, affirmare, authores huiuſmodi precij voluiſſe damnũ inferre ſine cauſa idonea dominis vinorum, & frumentorum merentium precium maius, quam ſit illud, quod cæteris vinis, ac frumentis conſtituitur: Nulla cauſa autem erit damnificandi ipſos, ſi poſſint conſeruari ſine damno abſq; vlla populi læſione, vel perturbatione publicæ adminiſtrationis: Si ergo ex huiuſmodi miſtione oriri poſſit læſio populi, eam vtiq; legiſlator debet impediri, quia vtilitas publica priuatæ præfertur §. quamobrem auth. de reſt. & eas quæ parit in 11. mẽſe; Vbi autẽ nulla læſio contingit populo ob huiuſmodi miſtionem, durũ eſſet adigere dominos vinorum, ac frumentorum longe meliorum, vendere ipſa precio eis inconuenienti, quia abſq; iuſta cauſa damnum ipſis infertur: lex preciũ eſt decretum prudentum virorum l. 1. ff. de legibus: imprudentia autem eſſet, eſt reſtringere ad qualitatẽ exiſtentem tempore, quo frumentum in area cum nulla allegetur rationabilis cauſa huius reſtrictionis, & de ea nulla ſit mentio in lege.

3 Secundò dico, magnam eſſe diuerſitatem inter tempora penuriæ, & illud tempus, quo abundat frumentum, & vinum in primo enim caſu difficultas habendi frumentum, vel vinum poteſt dare occaſionem fraudibus, in ſecundò autem non poteſt id contingere in perſonis cognoſcentibus bonas, ac malas qualitates vinorum, & frumentorũ, quia eo amiſſo, qui ſuo vino miſcuit aquam, vel tritico ſegetes alias, alios adibunt venditores vini, & frumenti: Vbi autem emptores ſcienter, & ſponte omittunt alia, & emunt vina, & frumenta miſta, vtiq; nullam patiuntur iniuriam, quia ſcriptum eſt, vnum quenq; in re ſua eſſe dominum, ac moderatorem l. in re mandata C. mandati.

4 Tertiò dico, leges imponi rebus non verbis l. 2. in fine C. communia de legatis: vina autem, & frumenta eſſe paris qualitatis per ſe, vel ob miſtionem huiuſmodi, eſt differentia verborum, non autem rerum, cum parem prorſus afferat vtilitatem, ac delectationem vinum, ac frumentum miſtum, ac afferat frumentum, & vinum paris qualitatis per ſe (ſupponimus enim non adeſſe differentiam quò ad vſum deſtinatum ab emptore) ergo abſurdum eſt, notam adeo grauem inferre authoribus precij aſſignati vinis, & frumentis dicendo, eos iuxta hanc differentiam verbalem conſtituiſſe ipsũ: At nunquam admittimus interpretationẽ reddentem legiſlatorem dignum reprehenſione cũ vitari poſt commode l. Saluius de legatis præſtandis; & conſequenter non debemus dicere, ipſos impedire voluiſſe dominos vinorũ, & frumentorum largè meliorum ea redigere ad Statum ordinarium aliorum frumentorum, ac vinorum quãdo nulla adeſt occaſio fraudandi emptores propter huiuſmodi miſtionem.

5 Quartò dico, leges ad ea reſpicere, quæ accidunt plerunq; l. nam ad ea ff. de legibus: quod ſi contigerit, ſub vniuerſalitate legis contineri caſum, qui deberet ab ea excludi, per æquitatem ſeparari debet à determinatione huiuſmodi legis vt explicant Ariſt. lib. 5 eticorum c. 10. D. Thomas 1. 2. q. 96. artic. 6. in corpore: Dum conſtituitur precium vino, ac frumento debẽt authores huiuſmodi precij conſiderare qualitates ordinarias ipſorum, & proinde debent omittere conſiderationem frumentorum, & vinorum large ſuperantium huiuſmodi qualitates, ſi apud paucos adfuerint frumenta ac vina huiuſmodi qualitatis; aut alia cauſa difficilem reddat determinationem precij proprij huiuſmodi vinorum, & frumentorum: Ex hac autem vniuerſali determinatione precij oritur iniuſtitia ex parte dominorum frumentorũ, ac vinorum, quæ largè cæteris meliora ſunt: Ergo ad æquitatem debemus confugere vt huiuſmodi iniuſtitiam adimamus: Æquitas autem docet, quod tibi non nocet, & mihi prodeſt, concedendum eſſe, etiam ſi ſtrictum ius deficiat l. 2. §. idem Varus ff. de aqua pluia arcenda; ergo æquitati cõgruit, licere per huiuſmodi miſtionem ſic redigere frumenta, & vina ad qualitatem frumentorum, & vinorum ordinariorum, vt clarum ſit, emptores eorum habituros eſſe frumentum, & vinum illius qualitatis, quæ omnino congruat precio, quod numerauerunt. Abſurde enim diceretur, eos lædi, qui habent rem prorſus dignam precio, quod tradunt, vt explicãt Ariſt. lib. 5. æticorum c. 1. & D. Thomas 2 2. q. 61. artic. 2. in corpore.

6 Quintò dico, quod in propoſito maxima eſt differentia inter frumenta, & vina; nam miſcere alias ſegetes frumento, per ſe, & abſolutè reddit ipſum deterius: miſcere autem aquam vinis generoſis dum muſta ſunt, reddit ea meliora, ſi id fiat prudenter vt experientia oſtendit; meliora inquam quò ad delectationem, ſanitatem, & euitandam ebrietatem; Et quò ad delectationem ex eo liquet, quia facilius dulcia per hoc redduntur, & viuaciora: Quò ad ſanitatem autem meliora ſunt,

vt Phyſici teſtantur vina generoſa quibus, miſta fuit aqua quia, facilius conquocuntur: De ebrietate autem non eſt quod aliquid ſcribam, cum ſit indubitatum, homines eò facilius inebriari à vino, quo plures vapores eius ſunt, & fortiores; & conſequenter ad reſtrænandam ebrietatem valdè expedit, vinis generoſis miſcere aquam dum ſunt recentia: Non poteſt itaq; ſumi argumentum à miſtione tritici ad miſtionem vini, quia hoc eſſet argumentari à miſtionem per ſe diminuente bonitatem, ad eam, quæ id non facit per ſe, ſed propter imprudentiam illius, qui eius author eſt; quam non ſupponimus in hac quæſtione: agimus enim de vino habente quidem miſtam aquam, verùm adeo bono, vt homines cognoſcentes qualitates vinorum ſponte ea eligant omiſſis vinis carentibus aqua; & proinde tunc non poteſt dici aliena, materia extranea huiuſmodo vino; cum eius generoſitas poſſit cõuertere aquam huiuſmodi in vinum ſimile vinis illius loci, & temporis: quâ conuerſione ſtante non poteſt dici, eum vendere aquam pro vino, cum tota illa liquoris quantitas ſit vinum cæteris ſimile. Cauendum ergo eſt confeſſarijs, ne vtantur authoritate Doctorum reprobantium miſtionem frumenti, ad reprobandum huiuſmodi miſtionem vini, quia laborarent in æquiuoco.

7 Sextò dico, æquiuocare eos, qui circa frumenta dicunt, ea eſſe miſta naturaliter: Si enim ij, qui ſeruerunt, coluerunt, curaueruntq; frumenta habentia mixta ſemina mala, diligenter incubuiſſent ſuis temporibus in euellendis malis herbis, & ſeparandis granis malis à frumento, non haberent admiſta tot ſemina bonitatem inficientia: & proinde nihil aliud eſt, quàm fauere negligentiæ, ne dicam fraudi ruſticorum, ſi dicemus, miſtionẽ huiuſmodi eſſe naturalem, aliam verò artificialem: Cum autem experientia doceat, tempore vbertatis frumenti, ea eſſe plerunq; ſinceriora, quam accidat ijs temporibus, quibus frumentorum penuria timetur, non poſſumus negare, aſtutè verſari ruſticos in purgandis frumentis; hanc autem aſtutiam ij ante oculos habent, qui precia frumentorũ conſtituunt, & conſequenter propter eam diminuunt ipſum: quis autem dixerit, calliditatem, ne dicam fraudem ruſticorum debere conuerti in damnum illorum, qui in colendo, & curando frumento ſincerè verſantur? non aduerſatur ergo menti eorum, qui precium frumento cõſtituerunt, eos poſſe auertere à ſe damnũ huiuſmodi ſine leſione eorum, qui ſua frumenta empturi ſunt, cum ſupponamus, eam miſtionem, quæ reddat frumentum ſimile cæteris illius anni, & loci frumentis.

8 Poſtremò animaduertendum eſt, ſcientiam in emptoribus accipi quò ad effectum; vt ſcilicet ei non noceat miſtio huiuſmodi: Et ideo licet eam ignorent, ſi tamen per eius ſcientiam non fuiſſet retardari ab emendo, ſcienter emiſſe dici debent, quia leges rebus imponuntur non autem verbis: Exemplo rem declaro, quis emit vinum, vt ſtatim biba t ipſum, vel eo tempore, quo exploratum eſt, conſeruaturum eſſe ſuam bonitatem non obſtante miſtione aquæ: Is vtiq; non diſcederet ab emptione, ſi ſciret, vino huiuſmodi miſtam eſſe aquam, cum eo guſtato ſic cognouerit eius qualitatem, vt non diminuatur vllo modo eius bonitas ob huiuſmodi miſtionem pro eo vſu, & tẽpore, quibus vinum deſtinauit: Hanc autem, quã ſequimur ſententiam poſt alios probant Bonacina diſput. 3. de contractibus quæſt. 2. puncto 6. nu. 17. Diana tractatu 8. reſolut. 51. vbi ſcribit, hanc eſſe probabiliorem ſententiam, quam ſit ſententia reijciens huiuſmodi miſtiones ſecundum modos ex poſitos ſactas, quod nemo inficiaturus eſt ex ijs, qui hæc noſtra fundamenta diligenter perpenderit. Cum noſtra ſententia etiam concordant Cardin. de Lugo de iuſt. & iure tom. 2. diſput. 26. ſect. 5. nu. 68. verſ. imo quando eſſet taxatum Salon de iuſt. & iure q. 77. artic. 2. cõtrouerſia 2.

An lex poſitiua poſſit imperare, vel prohibere actus merè internos propter ſe abſolutè, ſi nullum ſignum ea manifeſtauerit. Cap. XLV.

1 INgens eſt diſputatio inter Theologos morales, & iuris noſtri expoſitores, an lex humana ſpiritualis, aut politica poſſit punire, vel imperare propter ſe aliquos actus merè internos, quando nullo ſigno manifeſtantur: de qua plurima ſcripta fuerunt, cum nonnulli, neſcio quo ſpiritu, velis, quod aiunt, ac remis ſtuduerint adimere legum conditoribus ea remedia, quæ neceſſarias virtutes augere, & vitia valde pernicioſa tollere facile poſſunt; Quorum conatibus ſic Deo dante me opponam, vt euidentes appareant, bona venia dixerim, eorum cauillationes.

2 Ante omnia tamen notandum eſt, in propoſito non differre actus exteriores, ab actibus internis, quando nullus extitit præſens, & nihil reliquerunt poſt ſe, quod poſſit præbere argumentum ducens ad cognitionem ſui authoris: vtroq; enim in caſu vnum remanet medium humanum pariter ſe habens ad vtroſq;; hoc eſt confeſſio ſui authoris: qui ergo id concedit de huiuſmodi actibus exterioribus, nõ poteſt inficiari de merè interioribus: neq; enim allegandum eſt, hos eſſe per ſe cognoſcibiles, quia agimus de cognitione morali, cuius reſpectu nihil prorſus differunt. Hoc autem qui negauerit, fatebitur, adeſſe delicta pernicioſiſſima, quæ puniri non poſſunt à poteſtate ciuili, ac ſpirituali, quod eſt abſurdum: Sacrilegia enim, ſortilegia, demonum inuocationes, & magorum ſcelera abſq; teſtibus ſic ſæpiſſime fiunt, vt non relinquant opus poſt ſe, quod moraliter poſſit præbere argumentum aperiens viam cognitioni authoris: Corrumpere, incendere, lacerare inſtrumenta, teſtamenta, priuilegia, conſtitutiones, ac alia quæcunq; in charta vel corio ſcripta, non ne quis poteſt ſic remotis teſtibus, vt nullum prorſus remaneat ſignum aperiens viam noſcendi authoris huiuſmodi delicti? horum autem ſcelerum, authores quis dixerit legem ciuilem, ac Eccleſiaſticam non poſſe punire? furta rerum precioſarum none ſine teſtibus paſſim ſic fiunt, vt non remaneat ſignum, quod ſufficiat moraliter adaperiendam viam cognitioni furis? moraliter inquã, quia in quæſtione morali debemus rem conſiderare moraliter, non autem phiſicè l. 5. cum ſeq. ff. de legibus.

3 Secundò aduertendum eſt, eſſe maximam differentiam

conſtituere inter actus internos per ſe conſideratos, & connexos cum actibus externis: Sicut enim quis negauerit, legislatorem non poſſe imperare actū internum neceſſarium, vt actus externus ſit actus illius virtutis, quam opportunè introducere ſtuderet legislator, vtiq; negabit legislatori Chriſtiano media opportuna ad introducendas virtutes inter ſuos ſubditos, quod tamen eſſe proprium munus legislatoris ipſi Ethnici docuerunt l. 1. ff. de iuſt. & iure: opportuna inquam hoc eſt iuxta vires ſingulorum ſubditorum præcipiendo ipſis, vt iuxta modum ſuarum virium mediocriter exercendarum ſtudeant elicere actus externos ſecundum regulas illius virtutis, ad quam ſpectant.

4 Noſtram opinionem demonſtrat quò ad poteſtatem ſpiritualem dictum D.N. paſce oues meas: Cum enim non fuerit ab eo declaratus modus eas paſcendi; id determinari debet ex natura ipſius muneris: Cum autem poteſtas ſpiritualis reſpiciat cultum debitum Deo, & pericula, quæ homines adeunt amittendi vitam æternam, vtiq; abſurdè loqueretur is, qui negaret, eſſe locum in hoc caſu regulæ; vbi maius eſt periculum, ibi cautius eſt agendum c. vbi periculum de elect. lib. 6. & conſequenter abſurdè adimitur poteſtati ſpirituali vllum ex medijs congruis conſequendi ſuum finē: Eſſe autem medium vndequaq; congruum ad augendum cultum Diuinum, & retrahendum homines à peccatis, prudenter imperare, vel vetare actus internos, de quibus agimus, ex dicendis liquebit: prudenter inquam, quia non agitur in hac quæſtione de actibus internis verſantibus circa peccata, quibus nō congruit, medelā legitimā parare iuxta textum in c. ſi omnia 6. q. 1: Ex abuſu autem poteſtatis circa actus internos non poteſt colligi abſoluta concluſio huiuſmodi negans poteſtatem, eo modo, quo id non licet facere ex eo abuſu poteſtatis, qui poteſt facile contingere circa actus externos in ferendis cēſuris, & conſtituendis pœnis nimis duris.

5 Quò autem ad poteſtatem ciuilem, & ſpiritualē ſimul id probat D. Pauli dictum, *omnis poteſtas à Deo eſt; quicquid autem à Deo eſt, ordinatum eſt*: Neq; enim benè ordinatus dici poteſt ille modus imperandi, cui denegantur ea media ſuum aſſequendi finem, quæ ſuo valdè congruerent fini, & nihil haberent incommoditatis: Inter hæc autem eſſe, imperare ſub pœna moderata actus virtutis valde neceſſariæ, vel opportunæ, nemo negauerit, dum modus eos eliciendi non eſt valde difficilis iuxta ſtatum eorum, quibus id imperatur quis enim inficiabitur, hoc ſuauiter diſponere ſubditos ad aſſequendos habitus huiuſmodi virtutum? Vetari autem ſubditis cogitationes meras, confirmantes habitus valde pernicioſos, quis negabit, multum valere ad deſtruendos huiuſmodi habitus? Cur ergo poteſtati ciuili, ac ſpirituali vetat ſub moderata pœna prohibere ſuis ſubditis deliberatè cogitare de materijs confirmantibus habitus vitiorū valde pernicioſorum? Id .n. valere plurimū ad remouendas occaſiones introducendi vitia valde noxia, nemo negabit: quis verò affirmauerit, decere poteſtati ciuili, ac ſpirituali ius occurrēdi commodè vitijs, quæ ſuos poſſunt inquinare ſubditos? Dum autē dixi moderata, ac commodè, ne intelligas alio modo, quam eo, quò vtimur circa pœnas conſtituendas quò ad actus externos; ideſt ad ſignificandum modum pœnarum congruentium huiuſmodi legum tranſgreſſoribus.

6 Perpendamus nunc rationes, quas afferunt defenſores contrariæ ſententiæ ad oſtendendum, hoc non congruere poteſtati humanæ; Ex quibus primum eſt, quod debet iudicare ſecundum acta, & probata l. illicitas §. veritas de off. præſidis; qua de cauſa Eccleſia profitetur, ſe non iudicare de occultis: actus autem mere interni non cadunt ſub hac cognitione. Verum animaduertendū eſt, nos habere duplex forū, internum ſcilicet, & externum (conſtat enim apud Catholicos legem ciuilē poſſe obligare in conſcientia, ſi materia ſit capax peccati mortalis c. 1. de maior. & obedientia,) & conſequenter argumentū probat reſpectu fori externi, nō autē fori interni; Cū autē ideo poſſit legislator obligare ad peccatū mortale ſubditos, vt hac via faciliùs poſſit ipſos regere, ſequitur, nō poſſe dici abſolutè occultos eos actus, quos ſubditi tenentur aperire in confeſſione ſpirituali, cum Sacerdotes quò ad leges ciuiles, & ſpirituales obligantes ſub mortali peccato suppleant defectum iudicij externi, caſtigando delicta ſecundum modum in ipſis moderatè expreſſum, cū non poſſit quis ſuo ſatisfacere Creatori, quod in hoc foro principaliter quæritur c. finali de ſimonia in fine, niſi ſubeat eam pœnam, quam tenetur ex præcepto legis poſitiuæ ſubire ante declarationem, & niſi obtinuerit abſolutionem ab ijs cenſuris, quibus irretitus fuit à lege poſitiua ipſo facto: quod enim dicitur, pœnas poſitiuas non obligare in foro interno ante ſententiā, ceſſat, cum legislator declarauit, ſe velle ſubditos ipſo iure ſic obligare, vt non ſit opus aliqua declaratione, & agitur de pœnis moderatis iuxta receptiſſimam doctrinam, de qua Doctores plurimi apud Io: de Salas de legibus diſp. 15. ſect. 21 Cur ergo negabimus poteſtati ciuili ius conſtituendi pœnam pecuniariam moderatam contrauenientibus legi imperanti, vel vetanti actus merè internos, cum poſſint Sacerdotes, qui interrogabunt pœnitentes circa obſeruantiam legum huiuſmodi, earum executionem perficere iuxta modum foro interno congruentē: De cenſuris autem, quæ non indigent declaratione, quis vnquam dubitauit, eas non eſſe idoneas ad compoſcendos inobedientes, cum ipſi ſciant, ſe earum vinculis eſſe innodatos, etiam ſi iudex non poſſit nulla ratione ſcire eorum cogitationes? Non rectè ergo dicitur, actus merè internos non continere materiam proportionatam poteſtati ſpirituali, ac politicæ ex eo, quod non eſt proportionata iudicio externo, cum iudicium internum vtriq; poteſtati ſubueniat, & poſſit legislator vti propria ſcientia delinquentis ad ſubijciendum ipſum pœnis moderatis à ſe conſtitutis.

7 Ex his manifeſtum redditur, æquiuocare eos, qui argumentantur à iudice ad legislatorem; iudex enim, qui debet iudicare iuxta acta, & probata l. illicitas §. veritas de off. præſidis, de quo dixi libro 5. c. 48. debet audire eum, contra quem ſententiam fert c. iudicantem 30. q. 5. & conſequenter non cadunt ſub eius poteſtate actus meri interni quando de ipſis non poteſt ipſum interrogare, legiſlatori autem nemo catholicus negat poteſtatem operandi ipſo iure, hoc eſt ante declaratio-

rationem iudicis, & delicta, quæ congruit vtilitati publicæ plectere, quæ ſicſunt ignota, vt iudicio externo non ſubijciantur, quia poteſt obligare ſubditum ad reatum peccati mortalis quãdo materia eſt eius capax, & aſtringere ipſum ad ſatisfaciendum pœnæ, cuius ſe dignum cognoſcit, antequam iudex declaret, ipſum incidiſſe in huiuſmodi pœnam: ex quo detegitur eorum ęquiuocatio, qui ſic argumentantur, legiſlator non poteſt ſententiam ferre de actibus mere internis, ergõ non poteſt promulgare legem circa ipſos: quia latior eſt poteſtas legiſlatoris dum fert legem, quã ſit in ferenda ſententia contra aliquem: nam poteſt ſubijcere cenſuræ vel alijs pœnis ipſo iure per legem; hoc eſt eo non audito; cum tamen non poſſit ſententiam contra eum ferre niſi fuerit vocatus:

8 In eundem errorem illi incidunt, qui dicunt, non poſſe ab Eccleſia puniri actum apparenter bonũ, quando deturpatur à mala intentione; quia debent dicere, non poſſe iudicem huiuſmodi actum punire, non autem debent Eccleſiæ hoc ius adimere; quis enim negauerit ſuperioribus Religionum, aut Epiſcopis ius puniendi per cenſuras Religioſos, aut clericos conuerſantes cum mulieribus mala intentione, ſi huiuſmodi conſuetudo habuerit prætextum boni? puta inſtruendi eas in rebus ſacris, aut vita ſpirituali, vel alium colorem bonum: Idem dicendum eſſet de quærentiqus vota pro ſua, vel aliorum electione, ſi medium acquirendi ea prę ſe ferat deſiderium adiuuãdi proximum in operibus miſericordiæ corporalis, aut ſpiritualis.

9 Ex dictis etiam intelligimus, manifeſtè errare eos, qui dicunt, Eccleſiam non poſſe prohibere actum externum præciſè vt ſubeſt interno, puta hoc vel illud facere hac vel illa intentione: Cum enim illa intentio reddat actum illum dignum pœna, vtiq; ille actus transformatur ab illa intentione; & conſequenter eſt actus moralis dignus pœna, qui cognitioni ſenſatæ ſubijcitur, & conſequenter eſt ex illis actibus, qui ſunt materia pœnarum legitimarum, etiam ſi malitia eius ſit occultiſſima: conſtat enim quod non eximitur poteſtati legislatoris delictum ex eo, quod ſit occultiſſimum; hoc eſt abſq; teſtibus ſic patratum, vt nõ adſit medium humanum detegendi eius authorẽ præter confeſſionem explicitam, vel implicitam ipſius: de his enim pariter dicitur, non poſſe aliatione humana innoteſcere, quam ex confeſſione delinquentis. Vſus autem Tribunalium vtriuſq; fori inſiſtit huic doctrinæ: in formandis enim inquiſitionibus ſingularinm perſonarum, & ſententijs contra authores delictorum addi ſolet, quod ex certa ſcientia, & dolo malo id fecerint, preciſè minando, vel infligendo pœnam, quia malo animo id fecerint, pro quo puniuntur; abſtinerentq; à nominãda, vel infligenda pœna ſi ſupponerent, non interueniſſe malum animum: Æquiuocatio ergo conſiſtit in eo, quod non animaduertunt, actum internum mutari quò ad rem noſtram, dum completur per actum externum, cum amplius dici nequeat actus merè internus, ſub qua formalitate ſola, eximi poteſt à claſſe actuum ſubiectorũ poteſtati legislatoris, cum expediat eum coercere per legitimam pœnam; Remouere enim non poſſumus à numero delictorum ſubiectorum legislatori vllum ex ijs, quæ expedit punire, cum in eius poteſtate exiſtunt media neceſſaria ad ipſum puniendum; quod non poſſumus negare de eo actu externo, quem reddit punibilem praua intentio, cum poſſint iudices legislatoris ex antecedentibus, & ſequentibus deducere argumenta idonea ad inquirendum, & interrogandum legitimè authorem ipſius; quo poſito, clarum eſt, authorem delicti teneri ſub pœna peccati mortalis fateri veritatem; Hęc autem ceſſant in actibus internis, quæ non deuenerunt ad actus exteriores, cum nullum adeſſe poſſit fundamentum inquirendi: de eo enim non poteſt apparere, ſuper quo conſiſtit delictum: Vtriuſq; autem fori ſvſus ſuffragatur huic doctrinæ: dum in eis paſſim examinantur ſimulationes contractuum, & aliorum actuum; conſtat enim huiuſmodi diſputationes omnino pendere ex eo animo, quo facti fuerunt illi actus, de quorum ſimulatione agitur, vt liquet ex titulo Codicis plus valere quod agitur, quam id, quod ſimulatè concipitur, in c. ad ad noſtram de empt. & venditione, & in conſtit. Pij V. de cambij.

10 Secundò dicunt defenſores ſententiæ, quam impugnamus, quod difficillimum eſt, cognoſcere proprios actus internos, nempe an iudiciũ, quod homo habet, ſit temerarium, & liberum: & quid in hac re verè intendat: & ideo non expedit, vt poteſtas humana præcipiat, aut prohibeat aliquas intentiones vel iudicia: eſſet enim mundum replere ſcrupulis: Reſpondeo noſtram queſtionem eſſe, an in legislatore ſpirituali, ciuiliq; adſit poteſtas, de qua agimus; hoc autem argumentũ pertinet ad vſum eius fateor autem, me videre doctos ſcriptores, ſi liceret, dicerem temere, adimere Eccleſiæ poteſtatem ea ſanciendi, quæ multum valerent, vt cætera præteream, ad refrænandas relaxationes Religionum, etiam ſi nullã contineant duritiem: Quod enim incommodũ eſt, abſtinere à cogitationibus deliberatè factis circa ea, quæ puritati ſtatus Religioſi valdè obſunt? Quæ durities eſt, obligare Religioſos ad eliciendos actus voluntatis congruentes ſtatui ſuę Religionis circa eas virtutę, quæ magni momenti ſunt ad conſeruandam ſui Ordinis puritatem? Equidem, liberè ſcribendum eſt in re tanti momenti, vereor, ne aliqui ſequaces ſententiæ, quam impugnamus, eam defendant vt ſuis affectibus, & tepidis Religioſis inſeruiant magis quã, quia eam putent eſſe veram: Circa deliberationem autem actuum internorum, cum fuerit res dubia, faueant pœnitentibus: De multiplicatione autem ſcrupulorum idem allegari poteſt circa eas ſanctiones, de quibus nulla eſt dubitatio, quin cadant ſub poteſtate Eccleſię: Non debet ergo propter hoc negari abſolutè hæc poteſtas circa actus merè internos; ſed debent proponi cautiones opportunæ circa eius vſum.

11 Tertiò loco dicunt, actus internos, qui digni ſunt, vt à lege poſitiua vetentur, iure naturali vetitos eſſe, & proinde non expedit, addere legis poſitiuę vinculum cum ſperni poſſit; non poſſunt enim ij apparere, qui eam offenderint: Reſpondeo, hoc argumentum non comprehendere actus internos imperatos circa eas virtutes, quæ valdę neceſ-

neceſſariæ ſunt ad occurrendum relaxationibus imminentibus Religionibus, vel corruptelis grãdibus Ciuitatum eradicandis; de his enim nemo dixerit, quod à iure naturali ſic imperentur, vt opus ſit ſubditis, virtute huius iuris eos actus elicere, quos legiſlatores imperant; Gratis etiam dicitur, euitari poſſe vim legum poſitiuarum vetãtium actus internos in materijs valde pernicioſis: Quomodo enim euadent vires fori interni, ſi exiſtente capacitate materiæ obligauerint ſubditos ſub mortali cum ea determinatione pœnæ, ſalutaris prudenter impoſitæ, à qua Sacerdotes non poſſint recedere in foro interno? quid aliud reddit inanes ſaluberrimas conſtitutiones circa priuationem vocis actiuæ, ac paſſiuæ præter eorũ interpretationes qui docuerunt, ac docent eas nõ obligare ante declarationem.

12 Quartò dicunt, legem eſſe imperium ſuperiorum, cui ſubditi tenentur ſe conformare iuxta modum ſuum; cum ergo proprium ſit hominum, inter creaturas rationales eſſe corporeos; quò ad corporea, & externa debent ſubditi ſe conformare cum ſuperioribus, non autem quò ad interna, in quibus comunicant cum Angelis: Reſpondeo, hominem eſſe animal compoſitum ex corpore, & anima, quæ corporeos actus gubernat, & conſequenter ex actuũ internorum diſpoſitione pendet diſpoſitio actuum corporeorum moralium: male ergo dicitur, quò ad interna homines communicare Angelis, non autem cum ſuis ſuperioribus; cum enim finis poteſtatis ciuilis, & ſpiritualis ſit, bonos reddere ſubditos, vt in l. 1. ff. de iuſt. & iure, & in prohemio decretalium, neceſſe eſt, vt ſubditi ſubijciantur ſuis ſuperioribus quò ad internos actus promouentes vel impedientes eorum bonitatem; qui enim vult conſequens, vult omne neceſſarium antecedens l. 2. ff. de iuriſd. omnium judicum: male ergo dicitur, ad interna ſe non extendere hominis regimen, cum interna per ſe diſponant ad eas virtutes, ad quas aſpirat conditor legis, & confirment ea vitia, quæ eſt neceſſe eradicare: & proinde per ſe coniunguntur actus interni ijs actibus externis, de quibus leges ferri poſſunt. Homogenea ergo eſt menſura menſurato; quia homo imperat homini per modum ei apprimè conuenientem, dum lex ponitur circa actus merè internos; eatenus enim ſubditos ſubijcit pœnæ, quatenus ſua conſcientia teſte cognoſcunt, ſe neglexiſſe iuſtum præceptum ſui ſuperioris, executio autem fit à miniſtro legiſlatoris, dum obligando ſubditum ſub mortali in materia eius capaci, conſtituit Sacerdotes ſuæ executores legis; cuius tranſgreſſionẽ ſuo ore confitentur eius tranſgreſſores: & per hoc male omnino dicitur, legem poſitiuam eſſe viſibilem, & externam, proptereaq; non poſſe ferri circa actus merè internos, cum ſuam poſſit exercere vim quò ad eos, qui ſe ſubijciunt foro interno, in quo omnia peccata mortalia ſunt viſibilia iudici ex ore enim peccantium ſponte prodeunt.

13 Et per hoc mera æquiuocatio eſt; Solus Deus eſt perſcrutator cordium, ergo nulli legi humanæ directè ſubijci poteſt: nam forum interuum adeundo, ſe ſe ſubijcit obligationi detegendi ſecreta cordis: Et obligatio ſubeundi pœnam, cui legiſlator voluit eum ſubijcere ante declarationem, ligat ipſum, dum à ſua conſcientia admonetur, ſe reum eſſe huiuſmodi pœnæ; hoc autem ſufficit, vt ſanctio legis ſit efficax ad puniendas cogitationes internas per ſe, cum non poſſit ſe liberare ab huiuſmodi obligatione, niſi ea ſoluta, dum poteſt eam ſoluere:

14 Quintò dicunt, quod homo homini non poteſt obligari ex promiſſione merè interna, nec poſſunt conuentiones iniri per actus merè internos, nec legiſlator poteſt per actum merè internum obligare ſubditos; ſimiliter ergo non poteſt eos obligare ad actum merè internum, neq; pro merè internis punire ipſos: Reſpondeo, priuatos in ſuis actibus perficiendis minoris virtutis eſſe, quam ſint legum conditores, & ideo cæteris omiſſis dico, primam partem argumenti claudicare, cum ducatur negatiue à minori ad maius: Quò verò ad aliam partem, dico, leges eſſe regulas agendorum l. 2. ff. de legibus; regulę autem indigent applicatione, quæ conſiſtit in notitia ſubditorum, quod legis conditor velit, eos ſecũdum ipſam operari; adeas D. Thomam 1. 2. q. 90. artic. 4. in corpore: Hæc autem applicatio requirit ſignum externum.

15 Sextò adducunt, quod Eccleſia non iudicat de occultis c. ſicut tuis de ſimonia; qui textus agit de fori externi iudicijs, cum agat de cognitione ſimoniæ in aliquò caſu contingentis, quam S. Pontifex iudicio Diuino relinquit cognoſcendam, cũ penderet ex actu merè interno; nam nulla interuenerat pactio, & partes aſſerebant, ſe ſe bonam habuiſſe mentem: Quod ſi verè mentem malam habuiſſent, non ne tenebantur Sacerdoti eorum peccata in confeſſione ſacramentali audienti, ipſam manifeſtare, & per hoc dimittere acquiſita ſimoniacè? Dum ergo remittit S. Pontifex hanc cognitionem Deo, ſupponit quod nolint peccatũ Sacerdoti confiteri: hoc enim ſequente Pontifex per ipſum pœnas legitimas exegiſſet à ſimonaicis: In eiſdem terminis clarè verſantur textus in c. ſicut tuis 33. in fine eiuſdem tituli de ſimonia, c. erubeſcant 32. diſtinct. c. ſi quandoq; qu. 6, c. conſuluiſti 2. q. 5. c. vltimo 32. q. 5.

16 Ille autem locus D. Pauli 1. ad Cor. 4. *Nolite ante tempus iudicare quòuſq; veniat Dominus, qui, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuiq; à Deo*; clarè agit de iudicijs priuatarum perſonarum aliorũ mores examinantium: eodem ſenſu clarè dicitur 1. regum c. 16. verſ. 7. *neq; iuxta intuitum hominis ego iudico; homo enim videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor.*

17 Poſtremò adducunt l. cogitationis 18. de pœnis, *cogitationis pœnam nemo meretur*: quod reſpicit morem legis conditorum ciuilium, de quibus D. Auguſtinus libro de libero arbitrio c. 5. ſcribit rectiſſimè, *Legem humanam ſolum iudicare, quæ ſatis ſint ad conciliandam pacem hominibus*: Et proinde rariſſimè eorum muneri congruit imperare, aut vetare actus merè internos; non poteſt ergo hinc deduci defectus poteſtatis id faciendi; imo hinc colligitur poteſtas imperandi, vel vetandi actus merè internos; ſi nempe id expedirit ad conſeruandam pacem, vel odia tollenda; aut ab aliam magnam cauſam.

18 Hoc autem ſancitum fuit in l. 5. Cod. ad

legem

Digitized by Google

legem Iuliam maeſtatis in illis verbis, *de nece &c. cogitauerit; eadem enim ſeueritate voluntatem ſceleris, qua effectum puniri iura voluerunt:* gratis enim aduerſarij dicunt, hoc intelligi, ſi modo voluntas ad aliquem actum extraneum deuenerit, quia verba *cogitauerit, & voluntatem* hoc non exprimunt, nec alia verba textus hanc ſuggerunt interpretationem; ſubiecta autem materia id repudiat, cum tractetur de crimine læſæ maeſtatis, quod ſeueritatem maximam deſiderat; hoc eſt, vt per actum internum patrandi crimen atrociſſimum incidat in pœnas contra ipſum ſancitas, ſi deinde ex confeſſione rei veritas apparuerit.

19 Sanctā autem Eccleſiam hoc iure vti conſueuiſſe oſtendit primò loco ſanctio Clem. 1. §. verum de hæreticis in illis verbis: *Quod ſi odij, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu contra iuſtitiam, & conſcientiam ſuam omiſerint, cōtra quemq; procedere &c.* Suplere hunc textum addendo, ſi modo in actum externum id proceſſerit, facit iniuriam S. Pontifici, quod id omiſerit, ex quo ſua pendet deciſio, & diſſimulat regulā l. non poſſunt ff. de legibus quod ſcilicet nō poſſint ſupleri verba legis, vbi de ijs agitur, quæ erant ante oculos legiſlatoris: diſſimulant etiam naturam ſubiectæ materiæ, quæ conſiſtit in actu negatiuo, cuius proprium eſt, non procedere ad actum exteriorem: hęc itaq; violenta expoſitio illud ſolum habet fundamentum, quod habent pleræquæ doctrinæ aduerſariorum; petere ſcilicet principium ſupponendo pro verò id, quod eſt in quæſtione.

20 Qui verò dicunt; hanc ſanctionem punire actū omiſſionis per ſe malæ, verum eſt; ſed hoc non ſatisfacit rationi, quòd pro actu merè interno Eccleſia addat eam pœnam, quæ aliàs non adeſſet; hoc enim Eccleſia facere non poſſet, niſi actus merè internus ſuæ ſubijceretur poteſtati: hęc enim omiſſio eſt quid negatiuum formam accipiens à mala diſpoſitione voluntatis, ſtatim ac deliberauit abſtinere ab inquirendo propter amorem &c. & proinde eſt actus merè internus inductus per deliberationem non inquirendi ob amorem: circunſcripta enim hac ſanctione non perficeretur actus omiſſionis ex deliberatione omittendi, ſed requireretur ſpatium temporis neceſſarium ad inducēdam formalem omiſſionem, quod non eſt neceſſarium ſecundum hanc ſanctionem, cum puniat Inquiſitores, qui omiſerint contra quemquam procedere: Nam hoc perficitur ſtatim ac cognoſcunt, muneri ſuo congruere, tunc temporis exordiri inquiſitionem: licet enim peccent, remota hac ſanctione, mortaliter inquiſitores deliberantes non inquirere &c. quando cognoſcunt, id ſuo muneri congruere, non tamen peccant ob omiſſionem inquiſitionis eo tempore interuenientе, cum modici illius temporis ſpatium non inducat omiſſionem grauem; cùm tamen hæc ſanctio ad incurrendam cenſuram ſolū requirat, quod mala mente omiſerint inquirere eo tempore, quo clarè cognoſcunt, exordiendam eſſe inquiſitionem: & proinde pœna imponitur pro actu merè interno, qui in iure naturæ continet peccatum cogitationis, non autem operis.

21 Eædem rationes expugnant effugia, quæ afferuntur aduerſus Clem. 1. de ſtatu Monachorum §. quia verò verſ. quod ſi, dum imponit pœnam excommunicationis ipſo facto incurrendæ Monachis euntibus ad curiam Principis abſq; ſpeciali ſuorum Prælatorum licentia ea intentione, vt ſuis Prælatis, aut Monaſterijs damnum aliquod inferrant: Cum enim actus eundi ad curiam per ſe nō ſubijciatur huic pœnæ (cum non incidat in excōmunicationem ſi iuerit ex alia cauſa, etiam ſi valde mala ſit, in textu enim excōmmunicatio reſtringitur ad hanc cauſam) clarum eſt, quod cogitatio merè interna ſubijcit profectionem huiuſmodi excommunicationi, cui alias non eſſet obnoxia, idq; ob pœnam prauæ huiuſmodi deliberationis; qui autem requirunt, quod huius cogitationis aliqua ſigna exterius exeant, violant textum, cum nullū nobis præbeat de hoc argumentū: idē ijs accidit, qui requirunt, vt in curia Principis aliquis actus interueniat pro executione prauæ cogitationis; quia pœna imponitur conferentibus ſe ad curiam Principis, quod perficitur ſtatim, ac peruenerit ad eam per modum permanentis: Et per hoc diſtinguitur actus, qui ſubijcitur excommunicationi, ab actu inducente in puris naturalibus peccatum mortale; hic .n. perficitur ex deliberatione: cum tamen actus punitus pœna excommunicationis non antea perficiatur, quam peruenerit ad curiam cum actu permanendi; hoc enim ſignificant illa verba ad dictas curias ſe transferre præſumpſerint.

22 Ad idem ſpectat c. cum commiſſa 35. §. cæterum de elect. lib. 6. dum S. Pontifex ait: *Cæterum ſi promoueri ad Sacerdotium nō intendens, Parochialem receperis Eccleſiam, vt fructus ex ea per annum percipias: ipſam poſt modum dimiſſurus (niſi voluntate mutata promotus fueris) tenebris ad reſtitutionem fructuū eorundem: cum eos receperis fraudulenter:* Ex fraude latente in animo deducitur ratio pœnæ iniunctæ reſtitutionis fructuum Eccleſiæ; pœnæ inquā quia interim ſatisfecit per ſe vel per alium miniſterijs Eccleſiæ: Non poteſt autem allegari, quod huiuſmodi mala intētio reddat collationem nullam, quia non poſſet retinere Eccleſiam eo caſu, quo mutauit voluntatem: non poteſt etiam dici, quod eius voluntatis ſigna edidit; quia ſuper fraudem ſe fundat S. Pontifex, non autem ſuper ſigna fraudis, quę abeſſe poſſunt à fraude. Qui verò dicunt, conditionaliter conferri Eccleſias Parochiales, vt faciāt fructos ſuos, ſi infra annum promoti fuerint ad Sacerdotium, gratis dicitur, cum id non poſſit colligi ex decreto Cōcilij Lugdunenſis, iuxta quod S. Pontifex ſuum moderatur decretum, vt intelliges ex c. licet canon 14. eiuſdē tituli; quo caſu detrahendū eſſet id, quod interim expendit in miniſterijs Eccleſiæ: Ergo hæc eſt mera pœna inducta pro actu merè interno deprauante actum apparēter bonum, etiam ſi nullum appareat ſignum ipſius; hoc enim non omiſiſſet S. Pontifex, ſi inde ſuā deducebat deciſionem.

23 Cum his concordat decretum Gregorij Magni, de quo in c. nulli diſtinct. 19: *Sit ergo ruinæ ſuæ dolore proſtratus quiſquis Apoſtolicis voluerit contraire decretis:* Voluerit exprimit merum actum voluntatis, & conſequenter hæc verba per ſe exprimunt merum actum internum: qui ergo tentauerit coarctare hoc decretum, dumodo manifeſtetur per ſigna externa, debet id deducere ex verbis antecedentibus, vel ſequentibus: Antecedentia autem

ſic ſe

ſic ſe habent; *nulli fas eſt, vel velle, vel poſſe transgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta, nec noſtræ diſpenſationis miniſterium, quod veſtram ſequi oportet charitatem*: Cum enim nemo chacolicus negaturus ſit, ſolam cogitationem deliberatam tranſgrediendi inducere peccatum mortale, ſequitur, quod illa verba *nulli fas eſt, vel velle* de mera voluntate intelligi: cum ergo clauſula, quam examinamus, deducatur ex huiuſmodi doctrina, vt patet ex verbis ſit ergo &c. ſequitur ex regulis Dialecticorum, concluſionem eſſe intelligendam iuxta propoſitionem antecedentem, ex qua deducitur. Idem ex ſequentibus verbis colligitur dum S. Pontifex reddens rationem ſui decreti, id tribuit inobedientiæ, & præſumptioni; nemo enim negauerit, hæc vitia congruere ei, qui deliberauit non parere, etiamſi nullum ediderit ſignum externum: ad idem ſpectant poſtrema verba, *qui nolunt præceptis Apoſtolicis obtemperare*.

24 Congruit c. ſi quis per ſuperbiam 30. diſtin. *Si quis per ſuperbiam tanquam perfectũ ſe exiſtimans conuentus, qui per loca & Baſilicas Sanctorum Martirum fiunt, vel accuſauerit, vel etiã oblationes, quæ ibidem celebrantur, ſpernendas eſſe crediderit, memoriaſq; Sanctorum contemnendas, anathema ſit*: In hoc canone duo continentur accuſauerit, & crediderit: accuſare autem hic dubio procul ſignificat reprehenderit, ergo explicat ex profeſſo actus externos, & internos; repræhenſio enim requirit actum externum, credere autem ſolum aſſenſum intellectus requirit: Hoc argumentum eo fortius eſt, quia cõgruit alijs duobus eiuſdem concilij decretis, nempe c. ſi quis nuptias 12. c. ſi quis virorum 15. eiuſdem diſtinctionis.

25 In alio eiuſdem concilij decreto relato in c. ſi quis carnem 13. eiuſdem diſtinct. hæc legimus, *ſi quis carnem manducantem ex fide præter ſanguinem, & idolo immolatum, & ſuffocatum, crediderit condemnandum, tanquam ſpem non habentem, qui eum manducat, anathema ſit*: Cum credere is propriiſſime dicatur, qui ſuæ opinionis nullum prorſus ſignum edit, vnde deducitur ab aduerſarijs, intelligi hunc canonem, dumodo per ſigna aliqua id apparuerit? non eſt hoc exponere, ſed violare decreta Patrum: Hocq; eò minus ferendum eſt, quia violentam huiuſmodi expoſitionem adhibere oportebit eiuſdem Concilij decretis relatis in eadem diſtinct. c. ſi qui vel virginitatem 5. c. ſi quis eorum 8.

26 Congruit eiuſdem Concilij decretum relatum in c. ſi quis tanquam, eiuſdem diſtinctionis; *Si quis hoc continentia conuenire iudicans, die Dominico ieiunauerit in eiuſdem diei contemptum, anathema ſit*: Cum ieiunium huiuſmodi anathemate puniatur ob prauam intentionem latentem; non eſt enim opus, eius ſigna apparere vt ſatisfiat verbis indicans, & contemptum, euidens eſt, quod punitur anathemate actus externus propter actum internum, vt internus eſt; & conſequenter fundamentum anathematis eſt actus internus, quatenus eſt internus: ſuplere autem, ſi modo apparuerint ſigna mentis, eſt redarguere PP. Concilij, quod in tot decretis id omiſerint, ex quo pendebant.

27 In conſtitutionibus Sanctæ Eccleſiæ ſimpliciter damnantur credentes hæreticis c. excommunicamus 13. §. credentes, c. excommunicamus 15. in fine, c. ad abolendam 9. in principio de hæreticis, & in Concilio Toletano primò in confeſſione fidei, in Bracharenſi 1. c. 5. in Concilio Conſtantienſi ſeſſione 45; Et in alijs Concilijs recenſitis à Medina in C. de oratione q. 15. §. his tamen non obſtantibus. Tot autem decretorum authores clariſſimè redarguũt illi qui dicunt, agere de opinionibus hæreticis manifeſtatis per ſigna exteriora, cum ſimplici verbo credere id expreſſerint, quod in actu merè interno perfectè verificatur, nillo addito verbo, ex quo poſsit præberi vllum argumentum quod requirant manifeſtationẽ.

28 In c. vnico de ſciſmaticis lib. 6. §. omnem perſonam hæc legimus, omnem perſonam præſentẽ, vel futuram cuiuſcunq; fuerit conditionis, præheminentiæ &c. *Dignitatis, aut ſtatus Eccleſiaſtici, vel mundani, quæ ipſos Iacobum, & Petrum, vel eorum alterum ſcienter, & deliberatè pro Cardinalibus habuerit, ac tenuerit &c.* Cum S. Pontifex exprimat id, quod poterat omitti, ſcilicet ſcienter, & deliberatè, redarguitur manifeſtè, ſi dixerimus, eius ſanctionem requirere, quod appareant ſigna opinionis eorum, qui pro Cardinalibus eos habuerint, vel tenuerint, & proinde non eſt tolerabilis huiuſmodi expoſitio.

29 Idem clarè colligitur ex c. cum quis 23 de ſent. excom. lib. 6: *Cum quis abſq; tuo mandato manus iniicit in clericum, tuo nomine violentas; ſi hoc ratum habueris excommunicationem latam à Canone incunctanter incurris*: Cur addidit incunctanter, cum perfectio ratihabitionis, ex qua pendet excommunicatio, conſiſtat in actu breuiſſimo voluntatis id approbantis? nullam inuenies probabilem dubitationem, propter quam id fuerit additum; præter eam, quæ oriebatur ex natura ratihabitionis, quæ intra nos ſic perficitur, vt nullo egeat ſigno exteriori; vt nempe ſignificaret, actum internum ratum habentis, per ſe ſufficere ad ſubijciendum eum excommunicationi: Hoc autem eò magis vrget, quia in c. 5. de pœnis lib. 6. poſt principiũ ſancitur, pœnas conſtitutas aduerſus offendentes S. R. E. Cardinales habere locum contra eum, qui id ratum habuerit, nullo prorſus relicto nobis arg. quod opus ſit, apparere vllũ ratihabitionis ſignũ: idem obſeruabis in Clem. 1. in principio de pœnis in ijs, qui ratas habent offenſiones factas Epiſcopis eorum nomine.

30 Cum dictis concordant Sanctorum Apoſtolorum Canones 52, & 63: In primo ſic ſancitur, *Si quis Epiſcopus &c. carnibus, & vino feſtiuis diebus non vtatur, idq; propter abominationem, non autem propter exercitationem ad cultum pietatis, tanquam qui cauterio notatam habet conſcientiam, & multis ſit author offenſionibus deponitor &c.* Pœna huiuſmodi imponitur pro actu mero interiori, quia punitur pro abhominatione carnis, & vini, quæ per actum internum inducitur, & perficitur. Si quis verò dixerit, quomodo Eccleſia eum deponit, niſi habent notam abhominationem eius? reſpondebo, id cognoſci poſſe ex eius ſermonibus circa vſum vini, & carnium; quod nempe ſignificent, cum abhominari vinum, & carnes; quià hinc colligetur intentio, qua ſolet abſtinere in diebus feſtiuis ab ipſis; quo caſu pœna depoſitionis erit propter abſtinentiam à vino, & carne in diebus feſtiuis prætermiſſis, non autem propter id, quod illi ſermones

ſignificant per ſe; & proinde imponitur propter actum merè internum eo tempore completum quo nullo modo foris apparuerat. Suplere autem verba canonis dicendo, ſi huiuſmodi abhominatio per aliqua ſigna tunc temporis apparuerit, eſt mutare ſanctionem, cum nihil in canone adſit, quod hanc conditionem requirat, quę tamen ſic mutat ipſum, vt diuerſus reddatur: aliud enim eſt, punire abſtinentiam propter abhominationem, & punire abſtinentiā manifeſtatam per actum exprimentem huiuſmodi abhominationē: Sicut autem per alios ſermones poteſt hæc abominatio apparere, ita poteſt accidere circa alios actus merè internos.

31 In canone autem 63. hæc legimus, *ſi quis clericus, aut laicus Synagogam Iudæorum, aut hæreticorum conuenticulum ingreſſus fuerit, vt preces cum illis coniungat, deponitor, & à communione excluditor*: Si ageretur de eo, qui re ipſa coniunxiſſet preces cū hæreticis, vel Iudæis, non fuiſſet canon ſic ſcriptus; ſed pœna fuiſſet conſtituta contra eos, qui, cōiunxiſſent preces: Punitur ergo deliberatio coniungendi preces, etiam ſi non ſequatur effectus, de qua deliberatione nō poteſt conſtare ex eo, quod ingreſſus fuerit loca huiuſmodi, alioquin pœna conſtituta fuiſſet pro ingreſſu abſoluto, & conſequenter pœna conſtituitur actui merè interno, qui deinde idoneis argumentis detegatur; puta ex eius ſermonibus circa Iudæos, & hæreticos huiuſmodi; & conſequenter pœna pertinet ad actum merè internum tunc conſumatum, cum nullum eius extitit ſignum: Dicere autem, quod pœna huius canonis reſtringatur ad eum caſum, quo ingreſſi Synagogam, vel conuenticulum ediderint ſigna huiuſmodi voluntatis, eſt expoſitio violenta, cum ex verbis canonis nullum poſſit colligi argumentum huius conditionis; & abſonū ſit dicere, id fuiſſe omiſſum quod erat ante oculos SS. Apoſtolorū, & omnino opus erat exprimere.

32 Hactenus noſtram ſententiam confirmaui, & contrarijs argumentis ſic ſatisfeci, vt impoſſibile videatur, repertum fuiſſe vllum virum doctum, ac pium, qui aliud feriò ſenſerit: Cum tamen multi ex profeſſo huiuſmodi ſententiam defenderint, de quibus Io: de Salas de leg bus diſput. 9. ſect. 1. n. 3. vbi large eam defendit, quod etiam faciunt Vaſquez ſuper 1. 2. q. 95. diſput. 160. Suarez p. 3. tom. 5. diſp. 4. ſect. 2. & alij, quos omitto.

33 An verò D. Thomas probauerit doctrinam, quam confutauimus, videamus: Eum allegant parte 1 2. q. 91. artic. 4. in corpore dum inquit; *Tertiò quia homo de his poteſt legē facere, de quibus poteſt iudicare; iudicium autem hominis non poteſt eſſe de interioribus motibus, qui latent, ſed ſolum de exterioribus actibus, qui apparent, & tamen ad perfectionem virtutis pertinet, quod in vtriſq; actibus rectus exiſtat, & ideo lex humana non potuit ſufficienter ordinare, & cohibere ſufficienter interiores actus, ſed ad hoc neceſſarium fuit, vt ſuperueniret lex Diuina*. Verum meminiſci debemus eius, quod ſcripſi nu. 7. defectum poteſtatis humanę quò ad actus mere internos ſupleri per forum internum, quod à lege Diuina pendet: Agit ergo D. Thomas de poteſtate humana per ſe conſiderata, nos autem de ea agimus, quatenus eius imbecillitas ſubleuatur à lege Diuina obligante homines ad aperienda arcana cordis Sacerdotibus, quibus ſua confitentur peccata, quò ad mortalia.

54 Secundò allegatur idem D. Thomas 1. 2. q. 100. artic. 9. quo loci videtur D. Thomas fauere ſententiæ, quam impugnamus, primò in corpore verſ. non enim pœnæ legis, & verſ. lex enim humana; verum animaduertendo intentionem Sancti Doctoris id non docet: Conſideranda ſunt in primis illa verba in clauſula ſed contra: *Hoc autem eſt cōtra intentionem legis, quæ intendit, hominem aſſuefaciendo ad bona opera, inducere ad virtutem: non ergo modus virtutis cadit ſub præcepto*: Cum autem hæc aſſuefactio nunquam induci poſſit, niſi interna conformentur externis, clarè ſentit, quod lex poſſit exercere ſuam authoritatem circa interna, quatenus ſcilicet opus eſt, vt poſſit aſſueſacere homines ad bona opera: hoc eſt vt quilibet ſecundum ſuos habitus ſtudeat facere bona opera imperata; Dum ergo negat S. Thomas, modum operandi non cadere ſub præcepto legis, intelligas de modo determinato præciſe à lege: hoc enim eſt illud, quod concludit ratio ab eo allegata: *nullus poteſt operari eo modo, quo operatur virtuoſus, niſi habeat habitum virtutis, quicunq; autem tranſgreditur præceptum legis, meretur pœnam: ſequeretur ergo quod ille, qui non habet habitum virtutis, mereretur pœnam*: Dum ergo D. Thomas docet, legislatorem humanum non præſcribere modum operandi, quia de ijs ſolis ſancit pœnam, de quibus poteſt iudicare, de interioribus autem ſolus Deus iudicat, optimè dictum eſt ſecūdum huiuſmodi ſenſum, quia homo mediocriter attendens operi quod facit iuxta ſtatum ſuum, nō peccat, & conſequenter non poteſt iudicari à legiſlatore humano, cum forum internum, quod ſuplet defectum legiſlatoris humani, nō obliget homines ad confitendas diſtractiones inuoluntarias diminuentes perfectionem operum, quia hinc patet, eum non habere rationem cognoſcendi tranſgreſſores ſuæ legis, certum, ac determinatum modum operandi præſcribentis, & proinde ſuperuacaneè id ſancitur: Vbi verò agitur de diſtractione voluntaria, quæ inducat peccatum mortale, legiſlator humanus habet modū paratum cognoſcēdi transgreſſores ſuæ legis; hoc eſt forum internum, & propriam eorum conſcientiam; prout etiam habet rationē eos puniendi impoſitis pœnis peccato congruentibus incurrēdis abſq; declaratione.

35 Hæc clarè confirmantur ex eo, quod docet in corpore, dum ſcribit, modum virtutis non cadere ſub præcepto legis humanę, & Diuinę quo ad hoc vt firmiter & immobiliter operetur, inde inferendo, quod neq; *ab homine, neq; à Deo punitur tanquā præcepti tranſgreſſor, qui debitum honorem parentibus impendit; quamuis non habeat habitum pietatis*: Neq; enim debitus honor parentibus impenditur, niſi interna congruant externis: & proinde ſupponit D. Thomas, præceptum ſe extendere ad interna quatenus opus eſt, vt actus huiuſmodi ſit illius virtutis partus, ex qua pendet.

36 Notandum autem eſt id, quod S. Thomas proponit in ſecundo arg. dum ait: *Illud maximè cadit ſub præcepto, quod eſt de intentione legiſlatoris; ſed intentio legiſlatoris ad hoc fertur principaliter, vt faciat homines virtuoſos, ergo modus virtutis cadit ſub præcepto*: reſpondens enim huic arg. ait; *Intentio legiſlatoris eſt de duobus: de vno quidem, ad quod intendit per*

præcepta

Digitized by Google

præcepta legis inducere, & hoc eſt virtus. Aliud autē eſt, de quo intendit præceptum ferre, & hoc eſt id, quod ducit, & diſponit ad virtutem, ſcilicet actus virtutis. Non enim idem eſt finis præcepti, & id, de quo præceptū datur: Admittit ergo D. Thomas propoſitam doctrinam, illud maxime cadere ſub præcepto, quod eſt de intentione legiſlatoris, negando minorem propoſitionem, quod modus virtutis ſit finis legiſlatoris, cum ſit id, de quo præceptum datur: Cum his autem congruit Caietanus dum ex hac reſponſione colligendo doctrinam ait, *non eſſe idem finem præcepti, & id, de quo præceptum datur, quia illud eſt finis: hoc autem ducit ad finem: finis præcepti non cadit ſub præcepto vt id, quod præcipitur, ſed vt intentum à legiſlatore:* Ex his autem conſirmantur ea, quæ ſcripſi ſupra capite 20. & oſtendunt, D. Thomam, & Caietanum comprehendere merè interna quateniis opus eſt, vt ſubditus inſeruiat intentioni legiſlatoris, quod clarius expreſſit D. Thomas 2. diſt. 28. artic. 3. in corpore dum ait, *directè autem cadit in præcepto actus virtutis quantum ad ſubſtantiam operis, & non quantum ad modum agendi, qui circa ipſum actum ponit: hoc enim directè alicui præcipitur quod ſtatim in ipſo eſt vt faciat illud, non autem eſt in homine vt faciat actum virtutis eo modo, quo virtuoſus facit prius quam virtutem habeat, vel acquiſitam, vel infuſam;* Conſiderant etiam illa verba; *Et ideo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis homo non tenetur homini obedire, ſed Deo:* Sed ſatisfit ex verbis, *tenetur autem homo homini obedire in iis, quæ exterius per corpus ſunt agenda:* Cum enim interiores actus diſponant ad virtutes, & vitia conſeruanda, vtiq; legiſlator imperans actus merè internos opportunos ad aſſequendam, vel conſeruandam aliquam virtutem, verſatur circa ea, quæ exterius per corpus ſunt agenda, cum actus huiuſmodi plerunq; per corpus exerceantur: Idem accidit in actibus merè internis vetitis vt aliqua vitia extirpentur, cum hoc fit medium retardans actus illorum vitiorum per corpus exercendos. Nota autem diligenter illa verba D. Thomæ *in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis:* aliud enim eſt dicere, Subditum ſubijci ſuo ſuperiori quò ad motus voluntatis, vel quò ad actus internos deliberatos: illi enim non ſunt in poteſtate hominis, & conſequenter non inducunt peccata mortalia per ſe, nec propter præceptum ſuperioris: & conſequenter non ſubijciuntur vllo modo iudicio Superioris, vt declaraui nu. 7. Dum autem S. Thomas ait; *Sed in iis, quæ pertinent ad diſpoſitionē actuum, & rerum humanarum tenetur ſubditus ſuo ſuperiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis*, non ne clare docet, Religioſos teneri obedire ſuis ſuperioribus in iis, quæ pertinent ad diſpoſitionem vitæ religioſæ? & conſequenter docet, teneri ipſis obedire dum vetant, vel iubent eos actus merè internos, qui tendunt ad rectam diſpoſitionem vitæ religioſæ.

37 Quartò adducitur D. Thomas quodlibeto 4. artic. 12. qui tractat de re valdè diuerſa; an ſcilicet Prælatus poſſit imperare ſubditis, vt reuelent peccatum alterius, cuius notitiam habent; in noſtra enim quæſtione ſupponitur, & eſt clarum, poſſe legiſlatorem punire actum internum, qui per actum externum manifeſtum factū eſt alicui.

38 Hactenus oſtendi veriſſimam eſſe opinionem concedentem Eccleſiaſticæ, & ciuili poteſtati ius vetandi, & imperandi actus merè internos, quā probauerunt multi Magni Doctores iuris, de quibus Io: de Salas de legibus diſput. 9. ſect. 1. n. 13; Cum quibus re ipſa concordat Bonaccina cum Doctoribus ab eo allegatis de legibus diſp. 1. q. 1. puncto 6. nu. 23, dum docent, poſſe prohiberi ſub cenſuris internam voluntatem afficientem actus externos: nam actus interni imperantur, vt ſubditi facilius, & melius faciant ea, quæ ſunt obiecta huiuſmodi actuū; & vetantur actus interni, vt difficilius, & minus damnabiliter fiant actus externi, ad quos reſpiciunt actus interni vetiti; nunc exponendum eſt, quomodo Religioſi, ad quos potiſſimum ſpectat hæc diſputatio, ſe gerere debeant in iis caſibus, in quibus ſui ſuperiores vetauerint, aut imperauerint ſub pœna actus merè internos.

39 Dico primo loco, eos teneri perſcrutari diligenter ea, quæ nouerint ſpectare ad probandam poteſtatem ſuorum ſuperiorum hac in re, ne offendere eis contingat votum obedientiæ. Nemo enim reuocabit in dubium, teneri Religioſos curare, quantum in ipſis eſt, ſatisfacere voto obedientiæ: Cum itaq; perſcrutari diligenter hanc diſputationem eos ducat ad cognitionem ſuæ obligationis, tenebuntur eam adire, & accuratè perpēdere, ſi ipſius notitiam habuerint, nec alius melius confirmauerit veritatem doctrinæ, quā defendimus, iuxta doctrinam D. Thomæ receptam 1. 2. q. 76. artic. 2. in corpore dum ait. *Horum autem aliqua ſcire, tenetur quis, illa ſcilicet, ſine quorum ſcientia non poteſt debitum actum rectè exercere. Vnde omnes tenentur ſcire ea, quæ ſunt fidei, & vniuerſalia iuris percepta. Singuli autem ea quæ ad eorum ſtatum, vel officium ſpectant:* Dum enim ſuperior, aut alius ſignificat Religioſo, in hac diſputatione ſic confirmari poteſtatem imperandi, aut vetandi actus merè internos, vt hucuſq; nullus appareat, qui id efficacius fecerit, recuſare perſcrutari hæc ſcripta nihil aliud eſt, quam nolle ſcire veritatem; quod enim dicturi ſunt, ſe ſe diligentiſſime hanc quæſtionem inueſtigauiſſe in ſcriptis Theologorum præſtantiſſimorum, non tribuet excuſationem, cum multa reuelata ſint paruulis, quæ abſcondita ſunt ſapientibus, & vſus Eccleſiæ, qui ad decidendam hanc dubitationem ſufficit, deducendus ſit ex Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, quarum interpretatio per ſe ſpectat ad Doctores iuris, per accidens autē ad Theologos.

40 Quicunq; autem, qui non ſit illiteratus, hac diſputatione diligenter conſiderata tria clariſſimè intelliget, primò euidenter deſtructa fuiſſe fundamenta contrariæ ſententiæ: Secundò expedire pro bono regimine ſpirituali, ac ciuili hanc poteſtatem adeſſe, cum poſſit ſternere viam ad tollenda vitia valde pernicioſa, & introducendas virtutes valde neceſſarias, Nemo autem prudens allegabit, poſſe ſuperiores imprudentes, aut prauos hac ratione grauiter vexare ſubditos, & nouas præbere occaſiones peccandi, quia idem accidit circa ea, quę nemo catholicus negat imperari poſſe à ſuperioribus Religionum. Tertiò intelliget, ſæpius Eccleſiam vſam fuiſſe hac poteſtate: oſtendi enim, in multis Eccleſiaſticis decretis ſic fuiſſe punitos actus merè internos, vt manifeſtè violen-

tur ab aduerſarijs, dum ſuplendo verba canonum eas addunt eis conditiones, quę ex ipſorũ verbis nulla ratione deduci poſſunt, & abſq; magna repræhenſióne non poterant omitti, ſi iuxta huiuſmodi ſenſum ferebantur: nullam autem aliam aſſerunt rationem expoſitionum adeo violentarum præter ſuppoſitionem eius doctrinæ, quam nulla ratione bona eos confirmauiſſe manifeſtè oſtẽdi.

41 Vbicunq; autem cognouerint, cognoſcent autem omnes, qui accuratè inueſtigauerint hanc diſputationem, non adeſſe probabilem rationem defendendi fundamenta ſententiæ, quam impugnaui, aut alia inueniendi meliora; nullus vtiq; remanebit prætextus ſequendi huiuſmodi doctrinam velut probabilem, præter ſimplicem authoritatem eorum inſignium Doctorum, qui ipſam ſequntur: An autem hoc ſatis futurum ſit ad excuſandos eos à peccato tranſgreſſionis legis, vel præcepti ſui ſuperioris videamus.

42 Vt verò authoritas eorum quorum rationes fragiles nouimus, poſſit inducere probabilitatem in eorum doctrina; opus vtiq; eſt, vt circa eam ſic verſati fuerint, vt ipſis conueniat Elogium Diuinum, ſeruus fidelis, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam: Cum verò agitur de poteſtate S. Eccleſiæ, & Principum, vtiq; agitur de ea re, quæ pertinet ad ſupremum ordinem rerum humanarum, & proinde requirit fidelitatẽ, ac prudentiam ſupremi ordinis: Quomodo autem hoc de eis dici poteſt, qui in fundamentis huic poteſtati aduerſantibus exponendis diligentiſſimi fuerunt, negligenter autem propoſuerunt rationes hanc poteſtatem adiuuantes? Prudentiæ autem nomine quomodo laudabis eos, qui facilè hanc poteſtatẽ denegauerunt: facilè inquã, cũ fragilibus vſi fuerint rationib', & adhibitis violentis expoſitionibus ſtuduerint tot euitare Eccleſiæ decreta, in quibus hæc poteſtas vſu fuit recepta? tot inquam decreta, quot vix eſt allegari in alia diſputatione morali; neq; enim poteſt dici abſq; abſurditate, Patres, qui componendis huiuſmodi decretis interuenerunt, non animaduertiſſe, ea euidentem dare occaſionem credendi, quod punirentur actus merè interni; ſi autem hoc cognouerunt cur tot nobis reliquerunt occaſiones errandi, ſi putabant, Eccleſiam non habere hanc poteſtatem? quod ſi eorum dicta diligenter perpẽderis, aduerſus quos diſputaui, inuenies pleroſq; eorum ſibi aduerſari in ſuis principijs.

43 Et ſi autem nonnullis recentibus ſcriptoribus placeat, authoritatem clarorum Doctorum inducere probabilem opinionem, non propterea erit id allegandum. Primò quia id repugnat ſenſui ſcriptorum antecedentium ſæculorum, & proinde non poſſunt excuſari, abſit verbo inuidia, à temeritate authores huius doctrinæ recedendo à ſenſu tot ſæculorum tanta facilitate: in hac enim doctrina confirmanda adeo negligenter verſati fuerunt, vt non examinauerint rationes, à quibus clarè euertitur, nec propoſuerint doctrinas ſcriptorum huius ſæculi, & antecedentium, ipſis aduerſantium, quod neceſſarium erat, vt fideles intelligerent, an ipſis eſſet aſſentiendum: à ſenſu inquam communis ſæculorum antecedentium; neminem enim inueneris ex eorum ſcriptoribus, qui docuerit, eum, qui valet expendere fundamenta opinionũ, ſecurum eſſe in conſcientia, dum ſequitur probabilem opinionem cuius contrariam putat eſſe probabiliorem: Cum enim eius intellectus operetur cum formidine practica circa veritatem regulæ iuxta quam operatur, non poteſt ab eo excludi dubium practicũ circa malitiam eius actus, quem facit: Et ſi enim opinio, ſecundum quam operatur, ſit probabilis, & eam vti talem cognoſcat, non poteſt tamen adimere dubium praticum ex ſuo intellectu, dum cognoſcit argumenta contraria eſſe meliora, quia hoc neceſſariò inducit dubium, an benè operetur; particularis.n. illa cognitio debilitatis fundamentorũ opinionis ſecundũ quã operatur, ſuperat authoritatẽ probabilis opinionis abſolutè cõſideratæ; quoniã cauſæ proximæ, cæteris paribus, efficacius operantur, quã remotæ l. in toto iure ff. de regulis iuris: quomodo enim poteſt adhærere firmiter illi doctrinæ, cuius fundamenta vacillant? non eſſet enim contraria probabilior, niſi ſic ea oppugnaret vt difficile ſit ipſa defendere fortiter. Quod autem fortiter conſiſtere non poteſt quomodo ſecurum præſtabit adminiculum? adeas caput tertium huius voluminis nu. 125; hæc autem appræhenſio eſt practica, cum ſuus intellectus eo tempore, quo operatur eum moneat ad benè perpendendum id, quod agit, cum doctrina, quã ſequitur in operando, habeat fundamenta ſic impugnata à defenſoribus ſententiæ aduerſæ, vt minus probabilis ſibi appareat: Et per hoc non poteſt intellectus quò ad id, quod tunc agit, acquieſcere ijs, qui ipſi dicunt, bonam eſſe eam regulam operandi, quæ innitur veritati probabili cum ſint contradictoria, quod quis credat bene operari, & quod ſequatur regulam, quam dubiam eſſe cognoſcit eo tempore, quolibenter operatur ſecundum ipſam: dubiam autem eam neceſſariò fatetur, dum credit, eos, qui eam oppugnat probabilius ſentire, quam eius defenſores ergo dum operor ſecundum opinionem probabilẽ ſum ſecurus, verò cum credo, hanc eſſe regulam ſecuram operandi; quod de eo non poteſt concedi, qui habet particularem dubitationem circa veritatem regulæ, quam ſequitur, quia generalis regula non poteſt compeſcere intellectum à continua admonitione, quod fundamentum doctrinæ, quam ſequitur, ſic debilitatum fuerit, vt melior appareat contraria ſententia; hoc enim neceſſariò inducit eum in dubitationem practicam circa eã doctrinam, iuxta quam operatur, cum in operando non poſſit à ſuo intellectu ſeparare dubitationem, quam habet circa veritatem eius.

44 Cum verò præſtantiſſimi Theologi in hunc ſcopulum inciderint, vnde errandi occaſio venerit videamus: Hæc quæſtio potiſſimè ſpectat ad ſuperiores Religionum, quorum poteſtatem coercere gratiſſimum eſt frigidis, tepidiſq; religioſis: Dum ergo animaduertimus aliquos Theologos facilius, quam conueniret, ademiſſe hanc poteſtatem Eccleſiæ, non deerit occaſio connumerandi eos inter illos, qui cupiunt coarctare ſuorum ſuperiorum poteſtatem, aut valde deſiderant placere ijs, qui id cupiunt.

45 Cum itaq; munus partium ſit inſeruire ſuo corpori conſeruando iuxta officium ſuum, non video rationem excuſandi à peccato mortali eos Magiſtros,

giſtros, qui diſſimulauerint veritatem à ſe cognitã circa poteſtatem Eccleſiaſticorum Prælatorum vetandi, aut imperandi actus merè internos, cum omittant munus ſuum in re valdè graui; vt eſt defendere eam ſuæ Religionis poteſtatem, quæ prudenter exercita plurimum valere poteſt ad occurrendum eius relaxationibus: quod argumentum ad eos etiam pertinet, qui ſuo exemplo alijs perſuaſerint, hanc poteſtatem non adeſſe in ſua Religione etiam ſi videant rationes, quibus impugnatur, penitus eſſe ſublatas. Eadem ratio vrget aduerſus omnes Religioſos, qui ſua authoritate poſſunt alijs veritatem circa hanc quæſtionẽ perſuadere, ſi eam intelligere neglexerint.

46 Ad ſummum autem concedi poterit impugnãtibus hanc poteſtatem, extremum prudentiæ gradum eſſe, ſequi opinionem magnorum ſcriptorũ, dum eorum fundamenta penitus ſublata apparent, nec meliora occurrunt: In re autem diminuente poteſtatem Sanctæ Eccleſiæ, & Principũ tutam eſſe conſcientiam eorum, qui eam gubernant iuxta regulas poſtremi ordinis prudentiæ; nemo dixerit, cum ſcriptum ſit, vbi maius eſt periculum, ibi cautius eſt agendum c. vbi periculum de electione lib. 6. adeas ſcripta c. 3. num. 125. huius voluminis.

47 Cum verò ex decretis S. Eccleſiæ, quæ examinaui nu. 20. cum ſeq. pateat, eam conſueuiſſe punire actus merè internos, non video, quo colore poſſint ſubditi recuſare obedientiam ſuis Prælatis ſub pretextu, quod id non liceat ipſi: ordinarij enim iuris eſt, vt pendente lite ſuper proprietate poſſeſſor in ſua conſeruetur poſſeſſione l. 1. ff. vti poſſid §. commodum inſt. de interdictis: Ex eo autẽ, quod tot Theologi, & iuris Doctores reuocauerint in dubium hanc poteſtatem, deduci quidem poteſt, eam eſſe dubiam in ſe; non poteſt autem deduci quaſi poſſeſſio libertatis reſpectu ſubditorum quò ad actus merè internos, cũ ad inducendam hanc quaſi poſſeſſionem opus ſit oſtendere, quod ſubditi neglexerint leges imperantes, vel vetantes actus merè internos ſcientibus id, & patientibus ſuis ſuperioribus, iuxta regulam *l. 2. C. de ſeruit. & aqua, vbi notant. gloſſa in verbo ſciente, Bar. num. 8. verſ. tu dicas, Baldus nu. 17, Albericus num. 1, Ang. num. 4, Salic. nu. 5. verſ. cur autem, Caſtr. in fine verſ. per quam, Fulgoſ. num. 2. verſ. in ea gloſſa, & alij apud Petram de fideicom. q. q. 12. à num. 72.*

Finis voluminis de Cambio Nundinali.
Laus DEO, & VIRGINI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google